SYNOPSIS THEOLOGIÆ VETERUM PATRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNOPSIS THEOLOGIÆ
VETERUM PATRUM
AD MENTEM
VENERABILIS JOSEPH
CARDINALIS THOMASII
E Presbyteris Teatinis, Panhormitani,

QUÆ

Tractatus SCHOLASTICOS *ſaniores, Fidei* DOGMATA*,*
ſacramque HISTORIAM *Criticam complectitur.*

EXARABAT

JACOBUS MARIA GRAVINA
Ejuſdem Congregationis & Patriæ,
S. Officii Regni Siciliæ Conſultor & Qualificator,

PARS PRIMA.



Onuphr. Gramignani Panhor. Sculp.

PANHORMI ANNO ÆRÆ VULGARIS CIↃ.IↃCC.XXXII.
Angelus Felicella excudebat
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Onuphr. Gemignani Pinhor. Sculp.

Digitized by Google

SERENISSIMO
ET
EMINENTISSIMO PRINCIPI
CLEMENTI AUGUSTO
ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI,
S. R. I. PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIO & Electori, Sanctæ Romanæ Sedis Legato Nato, Epiſcopo Paderbornenſi, Monaſterienſi, Hildesheimenſi, ac Oſnaburgenſi, Superioris & Inferioris Bavariæ, nec non Superioris Palatinatus, in Weſtphalia & in Angaria Duci, Comiti Palatino Rheni, Landgravio Leuchtenbergæ, Burggravio Strombergæ, Comiti in Pyrmont, Domino in Borckelohe & Werth &c. &c.
DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO

JOHANNES EDLWECKH BAVARUS
Congregationis Clericorum Regularium Presbyter, hujuſce Theologiæ Candidatus
FELICITATEM.

NOn ſine conſilio Theologicum hoc Opus quod publico expono diſcrimini, ante Te, SERENISSIME PRINCEPS, EMINENTISSIME ELECTOR, venerabundus ſiſto: Tu ſiquidem ita erga meos Te exhibes propenſum, ut præter alios eorum nonneminem

Digitized by Google

minem citra infinitos propemodum, quibus illum ampliſſime decoraſti, honores, ab intimis Tibi volueris eſſe conſiliis. Quin & in meam Congregationem quantum & tu & Sereniſſima Stirps tua BAVARICA foveatis affectum, non ego ſolus, ſed & ceteri quoq. æquæ æſtimationis homines ſæpius quidem obſtupuere, deſcribendo tamen imparem me eſſe fateor! enimvero FERDINANDUS MARIA & ADELAIS Piiſsimi tui Progenitores talem Noſtratibus Monachii paravere Baſilicæ Domuſque ſtructuram, ut merito dubitari poſsit, plusne munificentiæ tribuendum ſit, an magnificentiæ? ut enim congenitæ Pietati ſuæ facerent ſatis, nec Labori nec Sumtui putavere parcendum: præterea Suppellectilem pretioſiſsimam, qua res noſtras copioſiſsime auxerunt, compleverunt, dotaveruntque: ac tandem mortalitatis ſuæ non immemores, ſibi & ſucceſſoribus perpetuum deinceps penes nos requiei in Domino capiendæ poſuere monumentum, ut ubi inter vivos jam pridem depoſuerant cor & animum, ibi deponeretur & corpus exanime. Nec minori MAXIMILIANUS EMANUEL Sereniſsimus Pater tuus, qui MAGNI nomen ob egregia quæ ubique terrarum geſsit, facinora ſibi apud poſteros adeptus eſt, Congregationis noſtræ homines reſpexit benevolentia; nunquam enim (ut paucis cuncta complectar) ſe Principem erga nos dominantem, ſed tanquam Patrem filios ſuos tenerrime amplexantem voluit commonſtrare. Potentiſsimus vero CAROLUS germano tibi ſanguine junctus, qui impræſentiarum ad Clavum Regiminis BAVARICI ſedet perquam glorioſiſsime, profuſiſsima ſua liberalitate ac humanitate in dies aperte oſtendit, quanti faciat familiam TEATINAM. De te autem, SERENISSIME ELECTOR, PRINCEPS MAXIME, quid dicam, qui non ſemel, quo ſis in nos animo, nobis luculentiſsime comprobaſti? ego quippe ipſe, Monachii tunc temporis degens, profunde admiratus fui ſummam beni-

gni-

Digitized by Google

gnitatem, qua, quum Domum noſtram quondam perluſtrares, familiariſſime ſinceriſſimeque cum Noſtratibus pertractare dignatus eras: immo vix pedem Neapolim nuperrimis hiſce annis intuleras, ad ædes D. PAULLI & SS. APOSTOLORUM extemplo convolaſti, ne alii quam noſtri Ordinis Viri primos Sereniſſimæ præſentiæ tuæ perciperent honores; & ut haberes, quo in nos & benignitatem & generoſitatem (quam tecum ab incunabulis traxiſti) copioſius exerceres expleresque, ante diſceſſum tuum clementiſſimo munere paupertatem TEATINAM Tibi placuit ſublevare. At veniam dabis, POTENTISSIME PRINCEPS, ſi reliqua quæ ſuperſunt, maxima tuæ in nos pietatis ac devotionis argumenta alto ſubmittam ſilentio; ſuprema equidem, qua ſum in Te, reverentia ſubmiſſiſſimo mentem meam exagitat timore, ne, quum folium hoc in immenſum excreſceret, præſentiſſima clementia ac patientia abutar tua, ea tamen in debitam tanti Principis venerationem ac Religioſæ gratitudinis teſtimonium TEATINI PATRES nunquam memoria excidere patientur. Quæ quum ita ſint, alteri quam Tibi, SERENISSIME ELECTOR, hoc Opus, quantuluncunque eſt, nuncupare haud debueram; vix enim eſt, a quo tutiorem benignioremque poteram ſperare tutelam quam a Te, qui una cum Tuis in Meos æque ac in meam Congregationem tanto ardes munificentiæ ſtudio: nefas ergo foret, ſi publico hoc in munere meum, quantunlibet leviſſimum, auderem ſubtrahere obſequium, quod glorioſiſſimo Nomini tuo tot titulis eſt debitum: ecquid ipſa ter fauſtæ (cujus beneficio ſicut Tu e Regnante BAVARORUM PRINCIPUM Proſapia, ita ego e Celeberrimo BAVARIÆ Solo ortum jacto) nativitatis jura ſibi aliud videntur expoſcere, quam ut Te qua PRINCIPEM MEUM enixe colam? hæc ſunt officii mei vivida prorſus ac efficacia incitamenta, quibus ad tuam majeſtatem audacter

 acceſ-

acceſſerim, hoc Opus Literariæ Eruditorum exercitationi a me ſubjectum in propenſi gratique animi teſſeram, ſubmiſſa veneratione oblaturus: quamvis non minus ad id conſilii me induxiſſet Virtutum tuarum ſumma celſitudo, quæ me totam in tui ſtudium atque cultum rapit. Non me latet, modeſtiam tuam a quavis ſemper laude abhorruiſſe; ſed ruborem patiatur neceſſe eſt, ne veritas debiti ſibi candoris jacturam faciat.

Reticebo in uberrima Virtutum tuarum claſſe protritam illam legem derivandi laudes ab avita Nobilitatis aut Dominationis Majeſtate, quæ felicitas eſt naſcendi, ceu dignitas quædam Majorum ac donum Divinæ beneficentiæ haud parvi faciendum. Non indiges aliorum gloriari Encomiis; ſatis Tibi nitoris Virtutes ſuppeditant, quas ad ſumma excolis laudationis incrementa. Nemo eſt, qui neſciat Sereniſſimæ Stirpis tuæ Auguſtiſſimos æque & vetuſtiſſimos Titulos, Avorum vaſtiſſima Dominia, Tropæa, Monumenta, & ubique poſſeſſa Nomina: hæc illa eſt, quæ Cælitibus Empyreum, Heroibus Orbem implevit; quæ tot Cæſares Potentiſſimos Imperio, tot Optimos Principes BAVARIÆ, tot vigilantiſſimos Præſules dedit Eccleſiæ. Quis in maximis illis Principibus fortitudinem, armorum alacritatem, majeſtatem, ceteraſque quæ Principem ſummopere ornant, animi dotes cogitatione aſſequi digne poterit? illi bellica virtute, iſti dominandi autoritate, alii prudentia in rebus publicis regendis, conſtantia in iiſdem conſervandis, æquitate in juſtitia adminiſtranda, quilibet peculiari ſuo non infimæ virtutis ornamento ſpectabilis, ad prodigium uſque eminuere. Neque heic aliquid (quanquam mihi jucundiſſimum foret) de enixa illorum pietate, de teneirima in ſuperos veneratione, de conſtantiſſima in Summos Pontifices ſubmiſſione, de prodiga in bonos omnes liberalitate attingere licet; quandoquidem nimis

longum eſſet, ſi tot egregia pietatis monumenta vel brevi quoque ſtylo adumbrare in mente haberem: loquentur tamen vel me ſilente tot Noſocomia, Xenodochia, ac quamplurima ubique locorum fundata pauperum Hoſpitia, Templa funditus erecta, Monaſteria, Religioſæ Domus, Collegia magnificentiſſime conſtructa amplisſimeque dotata, tot conſpicuæ Archi-&-Epiſcoporum Sedes copioſiſſimis inſtructæ redditibus, tot peregrinationes Romam uſque ad colendos Petri ſucceſſores diverſis temporibus ſuſceptæ; loquentur, inquam, & BAVARORUM PRINCIPUM vel me ſilente ſpectatam omni ſeculo commendabunt pietatem: præcipue tamen ſingulari illos encomio dignos reddet ſolicitudo illa in aliis vix reperiunda, qua a graſſanti (proh dolor!) in noſtra qua late patet Germania innumerarum pene hæreſum lue fidei candorem ſervare illibatum niſi ſunt: ut enim a ſuis ditionibus maxime noxiam Novatorum progeniem longe abigerent, perpetua atq. inviolabili lege voluere ſancitum, ne ullo unquam tempore hæreticorum quiſquam firmum intra BAVARIÆ fines ſibi aut malenatæ genti ſuæ figere auderet domicilium, ac propterea ob humanæ ſocietatis, quæ faceſſunt, commercia, tranſeundi ſolum, non vero permanendi eis daretur libertas. O vere æternæ memoriæ conſignanda virtutum exempla!

Verum neque iſta commemoro, neque ex his magnitudinis tuæ argumentum capio: quid enim magni ex alieni gloria nominis tibi accedere poteſt, qui proprio ita illuſtraris, ut præclariſſima virtutum decora quæ in Auguſtiſſimis Proavis tuis miramur diſperſa, in Te Uno ſubmiſſiſſime veneremur collecta? Tu ſiquidem is illes es, qui in proſperis non elatus, ſed humilis; in adverſis non dejectus, ſed magnanimus; in affluentibus non prodigus, ſed liberalis; in neceſſariis non deficiens, ſed providus; in cunctis denique exiſtis moderatiſſimus. Is

Digitized by Google

ille es, qui omni virtute ſic ornaris, ut cunctis Te gentibus commendabilem efficias: ſive enim ad perſpicientiam veri ſolertiamque animum intendamus; prudentiſſimum: ſive ad hominum ſocietatem tuendam ſtudiumque tribuendi cuique jus ſuum & rerum contractarum fidem animadvertamus; juſtiſſimum: ſive etiam animi excelſi atque invicti magnitudinem ac robur conſideremus; fortiſſimum: ſive tandem omnium quæ facis quæque effaris, ordinem ſcrutemur & modum; quiſque te dixerit modeſtiſſimum. Didiciſti ſane firmiſſimæ qua potiris, potentiæ tuæ ita temperare vires, ut fœdera tua Amicis non parum emolumenti, inimicis vero plurimum adferant detrimenti. Didiciſti obſequentes feliciter Celſitudini tuæ populos tam arcto tibi devincire amore, ut illo lucreris, quidquid alii metu & ſervitute vix conſequi valent; ac nullibi magis quam in magnificentiſſima Aula tua æquitas pietaſq. inoffenſæ vivant. Quocirca efferant merito florentiſſimæ illæ Regiones de tuo gloriantes dominio ineffabilem morum tuorum comitatem, Regiminis tui Clementiam, animi moderationem, publicæ utilitatis amorem, in ſtabiliendo cum fœderatis Principibus commercio ſedulitatem, in procuranda urbibus annonæ & omnis generis negotiationis ubertate ſtudium ingens, hiſque etiam majora addant ad pleniorem atque juſtiſſimam Serenitatis tuæ laudem: quæ omnia libentiſſime ſilentio veneror, ne eadem exarem fruſtra, quæ reticet nemo. Nec ſolum indigenarum, ſed & exterarum quoq. nationum provincias famæ tuæ repleſti amplitudine; recordaberis ſane, quos apud reliquos Germanos, apud Gallos, apud Italos olim exceperis plauſus, & quibus tibi gratulatæ ſint vocibus, ac ſi Te non ut alienum, ſed quaſi ſuum Principem ſalutarent! neminem latet, quam alte de Te ſenſerint vel ipſi Summi Pontifices, piæ recordationis INNOCENTIUS & BENE-

DICTUS

Digitized by Google

DICTUS XIII. quorum ille, quum ad COLONIENSIS ARCHI-EPISCOPATUS Cathedram adſumereris, ſibi & Eccleſiæ non ſine exiguo animi gaudio viſus eſt gratulari: ſuſpexerat equidem in Te Uno tale virtutum omnium complementum, quale tam ſublimis par eſſet faſtigio dignitatis: iſte vero de adventu tuo vix certior factus, ipſemet *Viterbum* extemplo conceſſit, ut propriis Te manibus Epiſcopalis Ordinis donaret poteſtate, quam jam pridem antea tenebas juriſdictione. Qui ergo fieri poterit, ut in communi hac exiſtimatione, quam de Magnitudine tua ferunt omnes, violentiam mei cohibeam deſiderii, quo minus tuam humiliter appellem majeſtatem, & meam quoque in Te obſervantiam operis hujuſce ſignem munuſculo, exiguo, fateor quidem, præſeferente tamen doctrinam tuo dignam patrocinio: ea quippe eſt, quam de graviſſimis materiis Theologicis non novam, non inſolitam, ſed antiquiſſimam, PATRUM utpote veſtigiis tritam, e latebris nihilo ſecius noviſſime erutam primus nobis porrexit *Venerabilis* JOSEPHUS *Cardinalis* THOMASIUS, cujus doctrinæ & ſanctitatis vis tanta fuit, ut ipſe CLEMENS XI. Pontifex Maximus Papale conſcendere ſolium recuſaverit, quin prius explorata THOMASII (ſimplicis tunc inter noſtros adhuc Religioſi) ſententia ab eo didiciſſet, illæſo ſingulari quod olim emiſerat, voto, ac prorſus licite ſeſe Pontificios amplexurum faſces: nec multo poſt, quum plenam meritis placidiſſime exhalaſſet animam, idem Pontifex decretum habuit, quo mox ab ipſa morte, ut in ſacram Apotheoſim aſciſceretur, cogerentur proceſſus. Clementer proinde (ut ſoles) excipias quæſo lectiſſimam hancce doctrinam, quam ſub tuis SERENISSIMIS AUSPICIIS propugnare contendo AD MENTEM EMINENTISSIMI DOCTORIS HUJATIS, qui ſolo veritatis amore ductus,

ductus, in evolvendis Patrum Codicibus, in detegendis Antiquitatum ſacrarum latebris, in perquirendis Bibliothecarum ſcriniis totam tranſegit ætatem, ut puriſſimum ac genuinum PATRUM ANTIQUORUM ſtudium reſtitueret, depelleretque tam ſpiſſas litigioſarum tot quæſtiuncularum tenebras, quibus illud vulgares quidam Scholarum declamatores inordinata abrepti diſceptandi libidine vix non obruerant. Tuam vero interea mihi liceat attollere humanitatem, & de mea forte lætari, quod conceſſeris, ſtudia hæc noſtra Auguſtiſſimo Nomini tuo ſacra facere, quo ex ampliſſimo tuo favore ſecuritatem, ex majeſtate patrocinium & ex autoritate pondus nanciſcerentur. Quare dum impenſiſſimum Tibi pro ſumma in Meos ac in meam Congregationem munificentia fero obſequium, ſuperos enixe precor, tuos ſic protrahant annos, ut mihi, ac Meis, Ordinique meo de Auguſtiſsima protectione tua diu liceat gloriari.

Scribebam Panhormi in noſtris Ædibus Divi Joſephi Anno Epocha Christiana Vulgaris M.DCC.XXXII. ante VII. Kal. Martii.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO
UTRIUSQUE POTESTATIS,
Eccleſiaſticæ & Secularis.

SI unquam alias, tunc profecto demandatam mihi Provinciam perquam libens ſuſcepi, quum ferendi cauſſa judicii mei librum hunc attente perlegi: *Synopſis Theologiæ veterum Patrum ad mentem Venerab. Joſeph Cardinalis Thomaſii* &c. *exarabat Jacobus Gravina* &c. Enim vero multiplicem totius Sacræ Doctrinæ eruditionem quum præſeferat, illamq. peculiari quadam methodo digerat; adeo in eo feliciter & expedite penitiora Theologiæ ſenſa doctiſſimus Autor expendit, adeo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſeriem Theologiamque Scholaſticam ac Polemicam *inoffenſo pede* percurrit, ut numeris omnibus abſolutum opus Theologiæ Candidatis exponat, quo non ſolum eos ad contentioſam palæſtram, ſed ad ſacram eruditionem informet: quodque magis mirari ſubeat, id tam dilucida diſſerendi methodo præſtat, ut nec faſtidium prolixitas creet, nec brevitas penuriam faciat. Quid quod religioni mihi ducerem, niſi faterer ingenue, ne quidem nævum in pulcherrimo opere deprehendi, qui fidei morumq. candori minus conveniat, debitamq. regiis juribus obſervantiam maculet; quum potius ſibi conſtans ubique religioſiſſimi æque ac nobiliſſimi Autoris pietatem non minus, quam præclariſſimi generis ſui ingenuitatem præſeferat, atque SS.PP. doctrinam ſuiq. in primis nunquam pro meritis commendati Card. THOMASII Concivis noſtri pientiſſimam ac profundiſſimam mentem nedum penitus adſequatur, ſed luculentius illuſtret atque invictiſſime tueatur. Quapropter non minus e re Catholica, quam Patriæ noſtræ ac nobiliſſimæ Congregationis Teatinorum decori, & eruditorum omnium compendio futurum exiſtimo, ſi dignum cedro opus votiſque ſingulorum expetitum publici juris fiat. Dabam Panhormi ex Seminario Archi-Epiſc. 4. Nonas Septembris 1731.

Benef. Doct. D. Laurentius Migliaccio in Seminario Archi-Epiſcopali Studiorum Præfectus, & Librorum Cenſor, ac ex parte Ill. Præſidis de Drago ſpecialiter delegatus.

Attenta ſupradicta Approbatione imprimatur.
Sidoti V.G. *Præſes Drago.*

Sa-

Digitized by Google

CENSUS TITULORUM
Hujus Primæ Partis Operis.

DE SACRA DOCTRINA.

De natura, & utilitate Theologiæ Sacræ, Fidei Dogmatum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. fol. 5.
De qualitate, & objecto Sacræ Doctrinæ. 10.

DE LOCIS THEOLOGICIS. 12.

DE SACRA SCRIPTURA.

De exiſtentia & numero Sacrorum Librorum. ibid.
De multiplici editione Sacræ Scripturæ. 15.
De Hebraica editione. ibid.
De Græca verſione LXX. Interpretum. 18.
De Libro Ariſteæ. 21.
De autoritate prędictę verſionis. 22.
De Latina vulgata editione. ibid.
De multiplici ſenſu Scripturæ Sacræ. 24.
De Judice veri ſẽſus Scripturę. 26.

DE TRADITIONIBUS.

De his, quæ Apoſtolicæ dicuntur. 28.
De Traditionibus Eccleſiaſticis. 30.

DE CONCILIIS.

De Autore & Autoritate Conciliorum. 32.
De vocante ac vocandis ad Concilia. 34.
De Conciliis Apoſtolorum. 36.
De Canonibus Apoſtolicis. 39.
De Conſtitutionibus Apoſtolorũ. 42.
De Generalibus Eccl. Conciliis. 44.
Generalium Eccleſiæ Conciliorum ſeries recenſetur.
Concilia œcumenica univerſim probata. 45.
Concilia generalia ex parte tantum probata. 48.
Concilia generalia ex toto improbata. 49.

DE SUMMO PONTIFICE.

De Primatu Juriſdictionis in Petro. 50.
De Summo Pontificatu in perſona unius Petri. 53.
De Romano Epiſcopatu per Petrum acto. 55.
De infallibilitate Romani Pontificis. 58.
De Prælatione Papæ ſupra Concilium. 62.
De Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi in cauſſa Pontificum. 64.
De Epiſtolis Romanorum Pontificum ad Siricium uſque. 67.
De Catalogo Romanorum Pontificum. 70.
De Felice Secundo, vivo Liberio. 71.
De fabella Johannæ Papiſſæ. 74.
De S. Anacleto. 77.

DE SANCTIS PATRIBUS. 78.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA. 81.

DE CONSUETUDINE ECCLESIÆ. 83.

DE

Cenſus Titulorum.

DE DEO IN SE.

DE DIVINIS NOMINIBUS.

DE exiſtẽtia & notitia Dei. 85.
De origine Atheiſtarum. 89.
De Eſſe Dei. 90.
De Unitate Dei. 93.
De origine Idololatriæ. 94.
De lapſu Marcellini Papæ in Idololatriam. 96.
De Bonitate Dei. 98.
De errore Manichæorum. 99.
De Simplicitate Dei. 101.
De errore Antropomorphitarũ. 102.
De Melitone & Tertulliano. 103.
De Immenſitate Dei. 104.
De erroribus Ethnicorum & Vorſtii Calviniſtæ. 105.
De Æternitate Dei. 107.
De exiſtentia futurorum in æternitate. 108.
De Infinitate Dei. 109.
De errore Calviniſtarum. 110.
De diſtinctione Divinorum Nominum. 111.
De errore Eunomii. ibid.
De errore Porretaniſtarum & Palamitarum. 112.
De Autore librorum Divinorum Nominum. 114.

DE VISIBILITATE DEI.

DE clara & intuitiva Dei Viſione. 118.
De quibuſdam viatoribus qui dicuntur vidiſſe Deum. 119.
De errore Armeniorum. 120.
De Millenariis. 122.
De Semi-Millenariis. 123.
De Johanne XXII. 127.
De principiis Viſionis beatæ. 128.
De improportione ſolius naturæ ad videndum Deum. 128.
De eſſe ſupernaturalitatis. 129.
De errore Anomæorum, Beguardorum & Beguinarum. 131.
De lumine gloriæ. 132.
De elevatione mentis per lumen gloriæ. 134.
De inelevabilitate oculi carnis ad Deum attingendum. 135.
De termino Viſionis beatæ. 138.
De inæquali perceptione objecti divini. ibid.
De errore Joviniani. 139.
De proxima origine prælaudatæ inæqualitatis. 140.
De eo quod de objecto vident Beati. 141.
De Incomprehẽſibilitate Dei. 142.

DE SAPIENTIA DEI.

DE latitudine Sapientiæ Divinæ. 144.
De errore Averrois. 145.
De multiplici acceptione Scientiæ divinæ. 146.
De modo cognoſcendorum poſſibilium. 147.
De notitia libere contingentium. 148.
De errore Ciceronis & aliorũ. 149.
De modo cognoſcendorum contingentium. 150.
De ſententia FARDELLÆ. 153.
De Maignano in hac ſentẽtia. 156.
De notitia eorum quæ contingerent. 158.
De modo cognoſcendorum conditionatorum. 159.
De Scientia ad quam pertineant conditionata. 161.

DE VOLUNTATE DEI.

DE multiplici acceptione Divinarum Volitionum. 164.

De libertate Volitionis Divinæ. 165.
De errore Ethnicorum, & Wicleffiſtarum. ibid.
De proprio conſtitutivo Libertatis Divinæ. 166.
De Sententia Card. CIENFVEGOS. 167.
De æternitate actuũ Divinorũ.170.
De errore Calviniſtarum ex Vorſtio. 171.
De voluntate Dei ſalvandi omnes. 172.
De modo intelligendæ hujuſmodi voluntatis. ibid.
De Chriſti morte pro omnibus. 174.
De quinta propoſitione Janſenii, deque hiſtoria Janſeniſmi. 177.

DE PROVIDENTIA DEI.

De temporali Providentia ſuper terram. 181.
De errore Ethnicorum & Lutheranorum. 182.
De ſpirituali Providentia quoad auxiliũ ſufficiens datũ cuiq.183.
De efficacia hujuſmodi auxiliorum. 186.
De Providentia baptiſmi ad infantes in uteris ſe extendente. 191.
De finali Providentia, ſeu Prædeſtinatione. 195.
De motivo proximo prædeſtinandi ad Gloriam. ibid.
De Prædeſtinatione Semi-Pelagiana & Calviniſtica. 198.
De ordine ſignorum in prædeſtinando. 200.
De Hæreſi Prædeſtinatiana. 204.
De Conciliis Arelatenſi ac Lugdunenſi in cauſſa Lucidi. 209.
De Conciliis Moguntino & Cariſiaco in cauſſa Gothescalci. 211.
De Conciliis Valentino III. & Lingonenſi aliiſque PP. in cauſſa ejuſdem. 214.
De 4. propoſitione Janſenii. 216.

DE SSS. TRINITATE.

De notitia, & exiſtentia Myſterii. 219.
De Pymandro Mercurii Triſmegiſti. 221.
De Hæreſi Sabelliana. 223.
De Hæreſi Trithcitarum. 228.
De Abbate Joachimo. 230.
De Raymundo Lullo. 232.
De conciliatione Myſterii cum noto Principio: Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. 237.
De Perſonis in communi. 239.
De ratione qua Perſonæ procedunt. ibid.
De Hæreſi & Schiſmate Græcorum. 240.
De Divis Johanne Damaſceno & Leone Tertio. 244.
De Symbolo Divi Athanaſii. 246.
De Particula FILIOQVE. 250.
De Divinis Verbo & Amore, dum hic ab eo non procederet. 254.
De Phyſica quidditate uniuſcujuſque Perſonæ. 256.
De Syſtemate Cardinalis CIENFVEGOS. 259.
De Divinis Hypoſtaſibus & Relationibus. 265.
De Miſſione & Circuminſeſſione Perſonarum. 267.
De Perſonis in particulari. 269.
De Patre & Filio. ibid.
De Hæreſi Ariana. 271.
De Patribus Ante-Nicænis. 275.
De variis Arianorum Conciliabulis. 277.
De S. Liberio Papa. 279.

Cenſus Titulorum.

De Perſona Spiritus Sancti. 281.
De Hæreſi Macedoniana. 282.
De Ingenerabilitate Spiritus Sancti. 284.
De ſententia FARDELLÆ. 286.
De Prædicatis notionalibus cujuſcunque Perſonæ. 289.

DE ACTIONIBUS DEI AD EXTRA.

De Creatione Univerſi. 290.
De erroribus Ethnicorum quorundam & hæreticorū. 291.
De Opere ſex dierum. 293.
De duabus hac in re Auguſtini opinionibus. 301.
De ſacra Chronologia. 303.
De Temporis diviſione. 307.
De Annis Antiquorum. 309.
De conſummatione & fine temporum. 312.
De Anti-Chriſto. 314.
De ineptiis Novatorum quoad perſonam Anti-Chriſti. 317.
De Creatione Hominis. 318.
De Imagine Dei in Homine. 319.
De Paradiſo Terreſtri. 321.
De Arbore Scientiæ & Vitæ. 323.
De exiſtentia Paradiſi, ejuſque habitatoribus. 327.
De Lapſu primorum Parentū. 330.
De Præ-Adamitis. 332.
De Creatione Angelorum. 333.
De tempore quo Angeli creati ſunt. 335.
De Synodo Lateranenſi IV. hac in re. 340.
De Spiritualitate Angelorum. 342.
De peccato Angelorum. 344.
De ſententia FARDELLÆ. 346.
De Pœna Dæmonum. 349.
De ſententia FARDELLÆ. 350.

INCIPIT RATIOCINIUM FARDELLÆ pro ſua Doctrina,

De Unione Hypoſtatica Ignis cum Dæmone. 353.
Declaratur Concluſio, & adſertur illius vera intelligentia. ibid.
Explicatur quomodo per dictam Unionem hypoſtaticam poſſint torqueri Dæmones. 354.
Probatur Concluſio loquendo de poſſibili. 356.
Probatur Concluſio variis rationibus, quòd ita ſit de facto. 358.
Prima Probatio. 358.
Secunda Probatio ex graviſſima conjectura. ibid.
Tertia Probatio ex paritate corporum & ſpirituū in inferno. 359.
Quarta Probatio ex S. Script. 361.
Quinta Prob. etiā ex S. Script. 362.
Sexta Probatio ex Divo Aug. 363.
Septima Probatio negativa. 366.
Solvuntur cōtraria Argumēta. *ib.*
Primum Argumentum. ibid.
Secundum Argumentum. 367.
Tertium Argumentum. ibid.
Quartum Argumentum. ibid.
Quintum Argumentum. 368.
Sextum Argumentum. 369.
Septimum Argumentum. 370.
Octavum Argumentum. 372.
Nonum Argumentum. 375.
Decimum Argumentum. 378.
De cruciatu combuſtionis in Dæmone. 381.
De loco prælii Angelorum, eorumdemque præliandi genere. 384.
De divinatione Dæmonum. 386.
De Angelis Tutelaribus. 387.

Sa-

Digitized by Google

Sapientiam ANTIQUORUM exquiret Sapiens,
Et in PROPHETIS vacabit,
NARRATIONEM Virorum nominatorum conſervabit.

Eccleſiaſtici cap. 39. verſs. 1. & 2.

Digitized by Google

OPERIS
RATIO.

N*EC aptius quidpiam nec profecto quid exploratius cupienti fuiſſet animo comparatum, quam illud ipſum quo vera* Sapientis *idea pertraditur, laudabile monumentum. Hoc equidem his unum brevibus comprehenſum* : Sapientiam Antiquorum exquiret SAPIENS, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conſervabit : [a] *rationem potiſſimum noſtri Operis atque plurimum commendando eſt. Enim vero; ecquid fortaſſe* Antiquorum Sapientiam exquirere, *niſi eam quæ piiſſime ac primum Majores noſtri excelluere, Divinarum rerum contemplationem ac Theoriam profundiſſimam adipiſci? Quid* vacare in Prophetis, *ſi in illis confirmatorum Eccleſiæ (ut quæ ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ædificata eſt) ſacrorum dogmatum ſuſcipiendam prorſus probationem intellectum iri inficiaberis? Quid ultimo* virorum conſervare narrationem, *quam Eccleſiaſticæ Sacræque Hiſtoriæ detineri exercitationibus perjucundum, occuparique utiliſſimum? Hæc ſane ſtudia incumbendique in ea ra-*

a Loc. laud.

Digitized by Google

tionem adeo fuiſſe cordi, animoq. inſediſſe PATRUM, *evolventi quæ ſcriptis reſignaverunt, exploratum, compertum eſt. Qui porro quum valde ſobrie piiſſimeque ſacra ſtudia de ſanctis (eorum utique prima origine) ſcripturis deduxerint; hac cauſſa, cur jure nobis inoffenſo pede eorundem calcanda demus veſtigia, ipſiſq. plurimum reamur in integrum innitendum. Vegetior quidem lux eſt ac ſplendidior, quæ proxima faci ſuæ, & quæ lympha ex eo quo dimanat fonte, non longe abeſt, limpidior. Ea quidem etiam ſtudendique docendique arte omnimodis omnibuſq. fere antecelluit inſignis ille ac notiſſimus, deque Patribus præclare meritus, Sanctitate ac Doctrina celebris, fama magnus, re major, totiuſque Orbis literarii maximum luminare.* Venerabilem *loquimur* JOSEPHUM Cardinalem THOMASIUM *e Presbyteris Teatinis vel repugnanter adſumtum* [a] *ſtudiorum noſtrorum, quin & pene omnium vere literatorum quæſitiſſimum Mæcenatem. Rem ipſam quinimmo loquimur, dum de eo quæ varia dedit opera laude digna, teſtimonium perhibent probatiſſimum: atque ad præſens quod attinet;* INSTITUTIONIBUS *illis* THEOLOGICIS VETERUM PATRUM *quas nobis delegimus regulas, ex ſua met limpidiſſima origine Theologiam ita repetens, operæ ſibi pretium effecit ſatis. Quum autem, ajente Ambroſio,* [b] primus diſcendi ardor nobilitas ſit magiſtri; *ut qualem nobis, jam fama notum, ac Doctorem quantum præfixerimus, cujuſvis obverſaretur oculis; nobile vellemus nunc furtum facere: ampliſſimas nimirum laudes heic dare editas, quas de Piiſſimo Doctiſſimoque Cardinale hucuſque ſibi collegit eruditus* Cajetanus *noſter* Cottone (*cui ob ſanæ literaturæ rationem inſtituendi* ad *hiſtoriam ſacram nobiles Adoleſcentes in Panhormitano* IMPERIALI COLLEGIO, *quod Augu-*

[a] *Urgente nimirum præcepto Pōtificis: quo factum eſt, ut heterodoxis etiam Venerabilis evaderet: hinc* Grundmannus *ſic habet*: Joſephus M. Thomaſius Palermo-ſiculus, Teatinus, Vir pientiſſimus & doctiſſimus dignitatem Cardinalitiam ſibi a Pontifice decretam modeſte recuſavit, & ægre tandē ſibi conferri paſſus eſt, *cetera*.

[b] Lib. 2. de Virginibus ſub initium.

guſtiſſimus Dominus IMPERATOR CAROLUS SEXTUS *iſmet* inſtituit, erexit, [a] *provincia fuit demandata) ſuæ illi doctæ Bibliothecæ Scriptorum hujus Urbis Teatinorum, quæ jam jam ſub prælo eſt, nonniſi magna cum laude proditura, inſerturus. Id ſane Operis adgrederemur vel avidiſſimi, ni habendum fortaſſe abſonum, exemplar præmitti Autographo & anteire, neve plurimis de Viro ampliſſimo commendationibus atque laudibus fere immenſis opus iſtud ad ejus inſtitutionem digeſtum, valde magis, derideretur, ſuffertum. Hæc vero dum animo evolvimus, id unum opportuniſſime nobis occurrit; nempe futurum facile ut illæſis quæ hucuſque adtulimus, æqua laus rependatur Doctori noſtro, & huic noſtro Operi ſumma honeſtas. Quum enim omnibus ille præſtet, ac nonniſi exiſtat par ſibi ſoli, eum inde ſua tantum opera æquiſſime decorabunt. Quocirca arceſſemus huc brevem ejus* INDICULUM INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM VETERUM PATRUM; *quem & datæ hujuſce Operis noſtri opportunitati ipſum etiam referemus appoſitum. Exiguum ſane Opuſculum, ſed egregium, totius Orbis conſenſione probatum, ex magnis octo illis ſupra viginti, per tomos ad 40. circiter diſtributis, quæ habuit omnia Sanctitate ac Doctrina plena. Sed te quoque præterea remiſſum volumus ad ipſas met* ANTIQUORUM PATRUM INSTITUTIONES, *quas juxta laudatum Indicem auſpicatus eſt edere ab anno nono currentis ſeculi: earumque cuſos tres tomos habuit, digeſſitque plures, perfecturus omnes; feciſſetque, ſi diu vixiſſet.* [b] *Interim nobis cum piæ recordationis* CLEMENTE PAPA XI. *cui* THOMASII *Doctrina & Sanctitas plurimum venerationi erant, ſperare eſt,* [c] adfuturum nobis ope ſua apud Deum in Cælis, qui *Doctrinis* ſuis nobis adeſſe *amplius* non potuit

a Ex ejus Cæſareo Diplomate dato Laxemburgi 14. Junii 1730, quo & illud Congregationi noſtræ devinxit. Quare ſtata die, *Divo Carolo* ſacra, Imperiale-Auſtriacũ Stemma e Regali Regni Palatio paratiſsimorũ militũ agmine ſolenniter aſportatum, ſolẽnius per Urbis Proceres in majorem Collegii januam illatum fuit: quũ prius Excm̃us Dominus *Criſtophorus de Cordova*, Comes de Saſtago (Siciliç Prorege) encænia ejus præſentia ſua celebraviſſet. Qua in occaſione *Johannes Gravina* ex noſtratibus publica vota commendans, adq. majorem ſpem amplius erigens, latine proclamavit.

b Verum qui ſuperſũt tomi, eis donãdis luce operã navat Card. Albanus.

c Apud Berninum & alios in vita ejuſdẽ Cardinalis.

tuit

Digitized by Google

tuit in Terris. *Quod ſi minus tibi elegantem, quam dabimus Epitomen Theologicam deprehenderis, omnibuſque haud numeris abſolutam; pleniſſime dabis veniam, ut primum memineris, parum nobis otii conceſſum currentemque inde calamum id grave & multum non exacturum.*



SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS THEOLOGICA

*SCHOLASTICO-DOGMATICO-HISTORICA.

*Ratio cur primum membrũ Theologię PP. Scholaſticum, nuncupemus, dabitur n. 3.

DE SACRA DOCTRINA.

STUDIA præſentium temporum etiam, hanc exercitationem provocant noſtram: neque tamen, quod his occupentur doctiores, ſed quod, niſi recta & utilia, minimum amplecterentur. Magnam inde gratiam habebunt nobis Theologiæ Candidati, ſi opera noſtra id effecerimus, ut ſumma occupationum harum utilitas pateſiat; omniumque paratior erit animus addiſcendis.

De natura, & utilitate Theologiæ Sacræ, Fidei Dogmatum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.

1 A Tempore Apoſtolorum nomen ſuum nacta eſt Divinarum rerum ſcientia; ut Theologia nuncupetur. Id quod ex eo deprehendimus, quia Dionyſius [a] Areopagita, (ſi forte ejus ſunt libri de Divinis Nominibus) *antiquiſſimum Theologorum columen* Divum Petrum expreſſit. Multumque etiam ſucceſſu temporis

[a] Ut infra in de Adtributis divinis n.239.

Digitized by Google

poris græcum hocce vocabulum latinis ipſis arriſit ; atque adeo, ut in proprium adoptatum, & vernaculum ſibi factum , nonniſi Theologiam ab antiquo vocitent quencunque de Deo ſermonem diſceptationemque. Hanc porro ſcientiam, quoad finita hominum mens pati poterat, non latuiſſe Philoſophos quoque Ethnicos, id inuunt verba hæc : [a] *Inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur*; quin & paullo altius de Deo ſenſiſſe quoſdam Platonicos, Autor eſt Auguſtinus; [b] omnium autem elevatiſſime *Mercurium Triſmegiſtum*, ejuſmet prodit [c] *Pymander*. Id quod in cauſſam venit, ut Theologiam dividamus in naturalem & revelatam; ſuis utranque nixam principiis, illam natura notis, iſtam divinitus reſeratis.

[a] Ad Rom. 1. 20.
[b] Lib. 7. Cōfeſs. c. 9.
[c] *Jure adſeri Mercurio Pymandrum oſtēdetur in de* Trinitate Dei *n.* 490.

2 Hæc ſuum tametſi ortum duxerit ex Antiquiſſimis Patriarchis, profeceritque in Prophetis, incrementum tamen ſortita fuit ab Apoſtolis, & ſucceſſive a Patribus per ſingulas quaſque ætates. Quem vero iſti modum ad prima octo ſecula in ea tradenda paſſim adhibuere, is profecto eſt, qui quod fere ab aula receſſerit, neutiquam veris Eccleſiaſticis cum piiſſimo Doctiſſimoque noſtro THOMASIO, ni ſola ob eum redeundi ſpes moderationi foret, a lacrymis temperandum eſſet: totus quippe erat, ut explicarentur Divina Biblia, eorumque panderentur quam propriiſſima ſenſa; ſicque aditus pateret facile ad Eccleſiaſtica Dogmata & firmiſſimas veritates. Eam ipſam ob rem Theologia eorum dicta eſt *Poſitiva*; quod in ſuis deducendis conſecutionibus tota erat expoſitiva ſacrorum Codicum Divinarumque Traditionum. Quum poſtmodum in id unum convenere complures, ut extraneas ſuaſiones (queis potius ingenium, quam veritas pateſit) inveſtigent, & principia quæque Philoſophica decurrant, regulíſque artis Dialecticæ in ſolidum innitantur. Qua nova methodo quum a tot annis jamdiu ſcholæ ac litigioſe uterentur, ad id ventum eſt, ut ejuſmodi Theologia aſcito nomine *Scholaſtica* nuncupetur.

3 Ea tamen docendi forma olim adeo Patribus non probabatur, ut ſibi prorſus videre eſſet nefas, & non ſecus cum Epiphanio [d] ac una ſtatuere idola gentium cum arca Domini, Dialecticam intrudere paſſim in Theologiam. Id ipſum quoque Tertullianus, [e] ubi ad verba Paulli: *Videte ne quis vos circumveniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum præter providentiam Spiritus Sancti*, hæc ſubjungit: *Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid Hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt*. Tantoque magis quod Patres omnes apud Socratem [f] advertere, dialecticis ejuſmodi diſputationibus *non modo diſſidia non ſanari, verum etiam hæreſes ad majorem contentionem accendi*. Nec prætereundam ducimus magni Theologi Gregorii Nazianzeni, quippe quem inſtituendis ſacræ doctrinæ prolegomenis in-

[d] In Panario adverſus hæreſes.
[e] De Præſcriptionibus adverſus hæreticos c. 7.
[f] Lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 10. *Quorum triū monumētis utitur* THOMASIUS *in Inſt. Theol. Antiq. PP.*

ſinuat

Digitized by Google

ſinuat nobis THOMASIUS, eam quam hic adfert opportuniſſimam autoritatem: *De Ethnicis*, inquit, [a] *Philoſophis & Dialecticis agit, QUI VELUT ÆGYPTIACÆ QUÆDAM PLAGÆ* (*ſunt ſancti Doctoris verba ex græcis latina*) *MALE IRREPSERUNT IN ECCLESIAM NOSTRAM*. Ubi ergo in fronte hujus operis membrum primum Epitomes Theologiæ Patrum *Scholaſticum* dedimus perlegendum, id potius, de qua ſcholaſtica tractat, materiam, quam methodum ſumentes nos feciſſe noveris, atque notioris gratia vocabuli hoc tibi maxime exhibitum.

4 Verum enim vero quum ſemel atq.iterum ac ſæpius hæretici multo magis fidem noſtram laceſſerent ſuis ſophiſmatis, atque impeterent; illud tandem fuit factum, quod quandoque inter certantes; ubi unus alterum, quod huic eripuit, ferro percutit; ſuumque ſic facit enſem, non quem induat, ſed quo feriat. Potuit igitur laudatiſſime Theologia noſtra fieri demum *Scholoſtica* & *Dialectica*, iiſdem hæreticorum armis eos hinc perculſura, ſibique hoc aſciſcere armorum genus, non quo ſe firmet, ſed quo vincat ſectarios. Fruſtra inde conati ſunt hodierni hæretici *in* Theologiam noſtram Scholaſticam, eo deſipientiæ devenientes, ut *conventus Idololatriæ* & *impietatis* perſæpe illam vocitent. [b] Utiliſſima quidem fuit, ac eſt Eccleſiæ Catholicæ, quæ proinde habet ut ſit modo *potens exhortari in Doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*; [c] quum ea profecto, ut ipſe etiam THOMASIUS [d] ajebat, *exacuendis armandiſque ingeniis ad diſceptationes conflictationeſque ſcholarum ſit idonea, ſuamque utilitatem habeat, ſi ſobrie ac pie ex locis Theologicis materias tractet, ac bona methodo digerat*.

5 Hoc ſane ordine ac laudabili ratione antiquior omnibus omniumque exemplar ſcholaſticam reddidit Theologiam apud Græcos VIII. ſeculo *Johannes Damaſcenus*. Specialius tamen ac ordinatius id operis ſunt adgreſſi ex Latinis *Petrus Lombardus* Italus, Epiſcopus Pariſienſis ad finem ſeculi XII, qui ſententias Patrum undequaque diffuſas collegit una ac digeſſit, dictuſque ea propter *Magiſter ſententiarum*: [e] poſtque ipſum Divus THOMAS AQUINAS, ſpecialem, vere Angelicam, quandam Summam inſtituit ad annum 74. ſeculi XIII. Qua profecto principaliora videtur fidei, ac profitenda cunctis myſteria reſpexiſſe; quæ ſunt ex Paullo, Deum eſſe, remuneratorem eſſe, ac eſſe mediatorem: nam tribus comprehenſa partibus totius operis ſumma, dum æque omnes Deum exhibent, prima tamen velut illum *in ſe*, exiſtentem nimirum ſuiſque perfectum nominibus; altera *in nobis*, ceu per beatitudinem illapſum, ac per virtutem & gratiam queis tantam remunerationis mercedem adſequi poſſumus; tertia tandem *pro nobis*, Incarnatum videlicet Autoremque Sacramentorum. Horum duorum celeberrimæ docendi formu-

læ

a In ſuo Indiculo, *qui in calce huj. Oper.*

b Calvinus & Sectatores.

c Ad Titum cap. I. verſ. 9.

d In Indic. laud.

e *Prodibunt hoc anno in lucē Cōmentaria* S. ANDREÆ AVELLINI *in libr. Sent. Petri Lomb., opera, & ſtudio Rm̄i P. D.* Joſeph Brembati *totius Cōgr. Præp. Gen̄lis, Viri profecto quavis literatura maxime inſtructi, e ſuggeſtu celeberrimi, nulliq. ſecundi, qui jam quædam alia S. Patris opuſcula in Archivio Divi Paulli Majoris Neapoli diu aſſervata, paucis ante menſibus præli luce donavit. Quæ quidē opuſcula nonnulli vitæ illius Scriptores commemorant, ac recens* Mauritius Bargellini, *Vir utriſq. literis, ſacris profaniſq. illuſtris, & dignus Eccleſiaſtes, Domuſque hujus S. Joſeph prudentiſſimus Moderator.*

Digitized by Google

læ ſcholas omnes, ut exemplaria, nunc uſque circumferuntur.

6 Sed ubi *Scholaſticam* ſalutatum venimus Theologiam, illam ne fore putes intelligendam, quam, omni penitus ſublata utilitatis ſpe vel leviſſima, ineptis perſæpe nugis quæſtiunculiſque futilibus [a] totque hypotheſum inſulſarum ambagibus Scholaſtici quidam, [b] *perſtrepentis torrentis inſtar, arentes agros non tam fœcundantis, quam ſternentis*, malo otio refertam habent. Neque enim eouſque perducti inſipientiæ comperti ſumus, ut ſacro-gravi Doctori aptata minus minuſque ſtudia illum decentia, atque quibus adimpletum Salomonis prænuncium, *occupationem peſſimam daturum Deum filiis hominum*, [c] ſane diceret qui auderet magis; tam ſublimi, tam magno tamque excelſo Theologiæ nomine dignaremur, honeſtaremus. Ac ſi fortaſſe aperiendis (ut in ſumma multis ſemper natat ſaliva) ſunt ipſa mentibus; quum quæ ceterum iſtæ videant, opponant minus; id plane accidit quod Saulo, dum captus lumine [d] *apertiſque oculis nihil videbat*. Profecto ob cauſſam iſta minorem ajebat demum THOMASIUS de illis quæ jam Ephebus ſtudia didicerat, [e] *ſi repueraſcerem, alio me prorſus modo mea ſtudia inſtituturum*.

7 Hoc genus inde Theologos, haud injucunde quidem, olim jam præfiguratos deprehendes, ubi tibi Noëticus *Corvus* in mentem venerit: ſiquidem ex illis quos (vel non) in prolegomenis libavere, Divinis Bibliis Sanctorumque Patrum Codicibus (qui, ut Arca lectiſſimas animas, præelectam ſanamque doctrinam continent) jam pridem ipſi, ac ex ea niger Corvus, egreſſi, tam avide humanis vaniſque ſimul inventis ſeſe tenent ac depaſcuntur, quo in arcam illam reverti ultra non cogitent. Quare iſtis oppoſitos quos unice commendamus, nonniſi *Columba* quoque Noëtica formoſiſſima adumbrat, dum ex arca parumper profecti Sacrorum Codicum, humanam ita ſobrie rationem decurrunt, ut ſupervolitent quaſi Terras, non figant pedes, quamque proſpiciunt ſemper, petituri arcam quamprimum. Ceterum quid pluribus immoramur? quid hoſce amplius non Theologos, ſed ad peracutam Baſilii animadverſionem [f] *Technologos* percellimus, diriſque devovemus? En perinde illi ſunt ac mercatores decocti, quorum præcipuæ merces jam obſoleſcunt.

8 Ut ut autem de hoc ſit; (quum *pius quidem ſit labor*, fere ad rem noſtram Hieronymus, [g] *ſed periculoſa præſumtio ſenis mutare linguam, & caneſcentem mundum ad initia retrahere parvulorum*) cur quæſo tamen, & quorſum tot annos impendere, bonamque exigere ætatem in ſolis Theoreticis & *Scholaſticis* diſceptationibus, illamque ſibi accommodam reddere argutiſſimam Plinii [h] animadverſionem: *Sexageſimum annum exceſſit, & adhuc Scholaſticus tantum eſt*? in eis profecto ſolis, quæ Fidei Chriſtianoque foris ſunt (has enim ſolum complecti-

tur

[a] *Harum quâ plures a Melch. Cano, Graveſon, Card. Gotti, & aliis numerantur.*

[b] THOMASIUS in Indiculo.

[c] Eccls cap. 1. verſ. 13.

[d] Actorum c. 9. n. 8.

[e] In Epiſtola ad P. Mabillonium præfixa Indiculo.

[f] Apud Damaſc. in Eclog. tit. 76. ex epiſt. 18.

[g] In Epiſtola 123. ad Damaſum Papam circa Bibliorũ editionem.

[h] Epiſt. 3. lib. 2.

tur ſtrictior Theologia *Scholaſtica*) quæque poſtea fidem ſpectant ac firmant, quæq. intra nos ſunt, *DOGMATICAS* Diſciplinas nec primoribus guſtare labris, nec extremis digitis attingere? Siccine ergo, minus plane religioſe Divina Biblia, Conciliorum Codices, Decreta Pontificum, Sanctorumque Patrum volumina oblivioni atque pulveri damnabuntur? Siccine ergo, ubi nobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, infirmiores inibi in conſpectu validiſſimorum hoſtium perſæpe nos exhibebimus? Abſit profecto, ut ajenti Petro; [a] *parati ſumus rationem reddere quæ in nobis eſt Fidei*; noſtrum ibi obſequium ſubtrahamus, ubi ſacrorum Dogmatum otio poſthabito, in contumeliam Fidei cederet ſilentium, ſi quis ſectarius virium noſtrarum periculum vellet facere. Id quod eveniſſe in Germania Lutheri tempore, lamentabatur eximius Theologus Melchior Canus: [b] *Egit enim diabolus*, inquiebat, *quod ſine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adverſus ingruentes ex Germania hæreſes oportebat ſcholæ magiſtros optimis eſſe armis inſtructos, eo nulla prorſus haberent, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum*: quum inibi a ſcholaſticis diſciplinis abſtracti tunc orthodoxi Doctores, minus ſoliciti *in Prophetis vacarint*. Laudamus interim quammaxime laudandum morem illorum, qui ut catholicos omnes adverſus heterodoxos inſtituant pluribuſq. arment, vernaculo quoq. ſuæ nationis idiomate dogmaticas tractant materias, aptataque methodo digerunt. Magno ſiquidem noſtra hac in Italia adjumento eſſe didicimus *Polemicos diſcurſus* illos, quos italice nuper condidit [c] Vir egregius ex noſtratibus *Cajetanus Meratius*, a perfuncto olim apud Venetum ad Anglos Legatum Theologi, atq. modo apud Sacram Congregationem Conſultoris munere commendatus. Neq. enim illæ peculiarem quorundam hominum linguam nationemve concernunt, ſed profeſſionem & ritum, [d] orthodoxorum videlicet, diverſis utique linguis florentium.

9 Hæc autem quum ita ſint; nullus profecto dubito, quo minus ultimas catholico ſapienti lauream texendo det manus, ipſiq. *SACRA HISTORIA* potiſſimum ſit profutura; quandoquidem *Virorum nominatorum narrationem* ſibi adipiſcatur ad criticæ ſcientiæ leges acceptatiſſimas, in eorum confuſionem qui multum his armis impræſentiarum pugnant heterodoxi. Quod & recta fuit cauſſa, qua poſthabitis Antiquorum clamoribus, ſubtiliora Dialecticæ adſumeret Theologia tandem principia & argumentationes. Tantoque magis quod, ajente Auguſtino, [e] *quidquid de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur HISTORIA, plurimum nos juvat ad ſanctos libros intelligendos*. Quum enim ſæpius non hæretici modo quæ effutiunt, ſed & catholici quæ diſputant, non rite intellectis fulciant autoritatibus atq. firment; præſtabit hocce ſtudium Eccleſiæ, quo vera

B &gra-

[a] Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 15.

[b] Lib. 9. cap. 1.

[c] *Venetiis anno* 1721. *hoc nomine*: La verità della Religione Criſtiana e Cattolica *&c.* Ragionamenti Polemici.

[d] *Pari quoq. formiter quod ad naturam, non ad nationem, Philoſophia ſpectet; recte hanc ex Græca latinam Cicero fecit* (de Off. lib. 1.) *exēplumque nuper ſecutus, eam nonnullis ad ſe confluentibus, nobilibus Panhormitis italicam tradidit, vir vere in ſolidiori Philoſophia humanioribuſq. literis eximius, noſter* Johannes Baptiſta Nævius.

[e] Lib. 2. de bono Perſever. cap. 28.

& graviora ſenſa Conciliorum & Patrum máxime intellecta habeamus. Plurimum nempe ac potiſſimum ad tempus quo loquebantur, ad hæreſes quas impugnabant, ad ſenſum Acatholicorum & juxta ea quæ tunc geſtabantur, recte erant accommodiſſima. Hac ratione *quum locum aliquem vel Scripturæ vel Dogmatum Patres verſant, ſæpe illum tanto apparatu tantaque copia dicendi premunt atque urgent, ut aliquantulum deflectere videantur de aliis Dogmatibus & Virtutibus*, ajebat THOMASIUS [a]. Atque ob id recte poſuit hiſtoriam inter locos Theologicos opinatus Melchior Canus, [b] nullum futurum verum Theologum, qui malo fato ſacrorum Hiſtoricorum vix limina ſalutaverit.

[a] In Indiculo laudato.
[b] Lib. 11. cap. 2.

10 Cum riſu proinde excipiendos remur male quoſdam feriatos Theologos, quatenus hi non ſemel effutire veriti non ſunt; ne periculo quidem caret (audivimus quippe nos eos) incumbere *dogmatis* adoleſcentes, ut qui hæreticorum ſophiſmatis abstracti forte atque illecti, de *orthodoxia* deflectant, prudentius ſit pertimeſcendum. Itane, tamque alte deſipiunt, quaſi neſciant in una quoque ſcholaſtica id fore magis timendum, ubi, an Deus ſit, omnes quæritant, & utrum mentiri queat? Quidni ergo haurirent etiam *Scholaſticæ* Candidati ex adverſantium ratiunculis totius ſemina impietatis & perfidiæ, inque Atheiſmum quoquo modo inclinarent, aut de veritate Evangeliorum ſuſpicarentur? Puſillorum igitur hic timor eſt, qui [c] *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: quo qui vincuntur, fidem ſuſq. deque cum non fide permiſcent, cui & detrahunt dum ita augent: permulta enim quæ in Eccleſia controvertuntur, ignoratione ſacrorum Dogmatum ut a Deo revelata credunt & dicunt, [d] *Hæc dicit Dominus; quum Dominus non ſit locutus.*

[c] Pſalm. 13. verſ. 5.
[d] Ezechielis cap. 22. verſ. 28.

11 Amœniores ſe exhibent qui ſtudium Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Lyceis parum dignum derident, atque id Pharmacopolarum quam proprium: utpote qui, dum ſedent in officinis miſſuros ad ſe ſubinde noſocomos præſtolantes, ne tædio neve otio abſumantur, hiſtoriolam quamdam decurrunt, qua ſeſe oblectent & occupent: putant-ne fore ut idem negotium ſit Criticis in ſacra Hiſtoria, quam decurrentibus legendarium Virginum, actiones Eremitarum aut alium quempiam libruncnlum? Evolvere, ſciant, Criticorum eſt, tot ingentia Conciliorum volumina, tot Patres biblicos, ſacroſque aliud genus Scriptores, hoſque invicem labore tanto tantaque induſtria conferre, ut quoad poſſit, veritas ſuadeatur: opus ſane ne memoriæ ſolum, ut blaterant, ſed ac maxime mentis. Veram proporro cauſſam cur ita effutiant, reſerare valeas apud Judam Apoſtolum; [e] quia nimirum loquentibus aliis, *tanquam muta animalia* ſilentio damnati, *quæcunque ignorant, blaſphemant*.

[e] In Epiſtola Cathol. verſ. 10.

De

Digitized by Google

De qualitate & objecto Sacræ Doctrinæ.

12 QUodnam ſibi vindicet Theologia noſtra ſubjectum, argumento eſt ipſum nomen: *Theos* namque (nec eſt qui neſciat) nonniſi Deum latine reddit, atque *Logos*, Sermonem. Tota ergo de Deo diſſerens, nemo dubitat, quo minus & hunc qua talem ut ſubjectum atque objectum reſpiciat, inque illum tota collineet. Enim vero quidquid ipſa tractat, ſi non primo in Deum, ſaltim ultimo atque unice ſic terminatur, ut ipſius aliquod adtributum & per adtributa ipſummet ipſum ſibi quiſque exploratum habeat compertumque.

13 Ad qualitatem quod attinet; eam primo ſapientiam eſſe, inficias non ibit ullus; rerum enim per altiſſimas cauſſas, divinam videlicet revelationem divinamque infinitudinem, cognitio eſt. Eidem ad mentem PATRUM nec refragari quidem volumus obſcuritatem principiorum, quo minus vera ſcientia vocitetur ac ſit. *Nemo enim*, dixerat Ariſtoteles, [a] *opinari arbitratur, quum impoſſibile exiſtimet aliter ſe habere; ſed ſcire*. Et quanquam alibi [b] cognitiones inevidentes ab albo ſcientiarum prorſus excluſit; hoc fecit iccirco, quia facultatum extraordinariarum quas *ſupernaturales* vocitant, ideam ceu Ethnicus nullam hauſerat. Verum non eo nunc animo *ſupernaturalitate* hacce doctrinam ſacram donavimus, ut putandum, in ejus quoque ſubſtantia fore ut ea ſit hujuſmodi; ſubditur nempe labori, acumini ac ſolertiæ Intellectus; ſed ſolum quia vere illud cui proprie innititur, ex eoque ut e radice conſurgit, conſecutionum ſuarum *principium*, nonniſi *revelatum* habet, & inde ſupernaturale. Quam quidem ob rem omnino aliam a noſtra Theologiam ſuam habent Sectarii; porro qui quum a fide defecerint, ſolummodo eorundem doctrina humanæ fidei acquiſitæ ſubnitatur neceſſum eſt. In quod & Auguſtinus quoque pedibus ivit, [c] dum interpretatus fuit Iſaiam iſta exhibentem; *Si non credideritis, non intelligetis*. Quapropter nec Theologia etiam noſtra in Patria forte perſeverabit.

[a] Lib. 2. Poſteriorum cap. 26.
[b] 1. Poſter. cap. 2.
[c] In Epiſtola 132.

Digitized by Google

DE LOCIS THEOLOGICIS.

14 QUi ſane ceteris accuratior Melchior Canus [a] Epiſcopus Canarienſis vere aureum de hac re (ſecutus Ariſtotelem in Topicis) librum condidit; horum locorum nomine nonniſi quoſdam e quibus Theologicæ petuntur argumentationes ac referuntur, primarios fontes propoſuit, ſibiq. fixit. Eorum porro uſus ne frequentiſſimus quidem eſt apud veros Theologos, ſed ac maxime neceſſarius; quum nulla ex oppoſito plane dabitur, quæ ſit Theologica ratiocinatio. At quamvis eos iccirco ſinguli amplectantur; quoad eorum tamen numerum in incerta ſtudia conſcinduntur. Interim nobis principaliores qui ſunt, *Scripturam* nimirum Sanctam, Apoſtolorum *Traditiones*, Decreta *Pontificum*, Canones *Conciliorum*, Autoritatem Veterum *Patrum*, humanæque *Hiſtoriæ* dilucidationem, ſeligere atque expendere viſum fuit.

[a] *Ex Ordine Prædicatorum inſignis Autor, atq. hac in re omnium Princeps.*

DE SACRA SCRIPTURA.

De exiſtentia & numero S. Librorum.

15 DIvina Biblia, [b] quam vulgo Scripturam vocant, Auguſtinus vero & Gregorius [c] *Epiſtolam Creatoris ad Creaturam*, a Prophetis una & Apoſtolis exarata; nonniſi eodem in Deo ſibi primum Autorem ſuum nanciſcuntur, atque ipſius ſcriptum nonniſi verbum præſeferunt. Eapropter libri omnes in Bibliis, cum veteris Teſtamenti tum novi, divinæ inconcuſſæque ſummam autoritatis ingerunt quotquot continentur. Quamque ob rem in primam altiſſimæ fidei noſtræ regulam ac fundamentum, & fontem quoque primarium ſe ſacra Biblia pandunt, nobiſque exhibent, maxime argumentaturis. Cujuſce profecto rei ſufficientiſſima nedum in præſens hæc extat ratio, totius nempe Chriſtiani Orbis conſenſio, verum & ipſa etiam plauſibilitas, firmitas atque ſanctitas Scripturarum. Quarum quidem prærogativis legentes ſi non moventur; nec etiam putaverat per os Chriſti olim Abraham, [d] fore ut vel paullulum moveantur & credant, tametſi *ex mortuis* ad eos aliqui reſurgerent: potentior quippe eſt illarum le-
ctio,

[b] *Ita dicuntur, ceu liber omniū primus ac maximus, a* Papyro *ægyptiaca arbore* (*ex cujus codicibus ſeu corticibus libri olim conficiebātur*) *quā græce* Biblion *etiā nuncupant.*

[c] Lib. 4. epiſt. 84. ad Theodorum.

[d] Luc. c. 16. v. 31.

Digitized by Google

ctio, quam viſio iſtorum. Sed ubi relata hæc veritatem Scripturarum ſilerent, alte id ad peracutam Chryſoſtomi animadverſionem [a] earundem *neceſſitas* clamitabit. Quum enim Deus adorandus cuilibet colendusq.ſit, neq. tamen, ut prius, adfari dignetur homines, ſicq. minimum noſcendo ſint iſti, qua ratione, quo ritu id ille profecto velit; oportuit conſtans aliquod ſignum,cuivis evidens (ſicque Bibliis nil aptius) æternam voluntatem ejus debitumque noſtrum quod referet, ſuffeciſſe.

16 Neque tamen nos fugit Pſeudevangelicos ſub *Caſpare* quodam *Schvvencſeldio* corruptelæ omnis fundamenta jeciſſe;nihili penitus divina Biblia facientes; quod ſeculorum omnium hæreticis ob longe varia & ambigua ſenſa quæ ferunt, in ſuis erroribus (uti ajunt) præſidio eſſe conſpiciantur. In cauſſa propterea iſtud putant, cur omnibus, quoad credenda, ſcripturis deſpectis, *privatus Spiritus* ſit cuique unice antehabendus, audiendus conſulendusque. [b] *Deus enim*, inquiunt, *æque nos docet hodie, atque olim Patriarchas & Prophetas; viſionibus & ſomniis attendendum: illis enim loquitur nobis Deus.* Sed quod miramur valde,illud eſt,Scripturarum nixos præſidio,ac maxime illo Paulli; [c] *Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti non litera, ſed ſpiritu; litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*; ſcripturis omnibus abrogare conatos eſſe autoritatem. Eos inde peſſime *Libertini* quidam hæretici ad annum 25. ſeculi XVI. in Brabantia & Gallia ſub Quintino Picardo graſſantes, ſecuti ſunt. Qui quidem quum privatum, quoad agenda, conſcientiæ ſtimulum excuſſerint, a privato tamen cujuſvis animi ſpiritu credenda omnia fluitatura autumarunt.

17 Aſt quo devenit hæreticorum inſipientia! Scripturas nonniſi futiles habent, eas tamen adferunt queis ſe fulciant. Sed æqua inde pace de ſpiritu ejuſmodi per alias ſinant edoceantur, ſtultique ipſi aliquando ſapiant. Reprehenſa eſt ſoror Moyſis, quod ſimiliter effutiiſſet; [d] *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter locutus eſt?* redargutique noſtris iis haud diſſimiles Prophetæ, dictumque illis, *Væ qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* [e] Et ſane jam una veritas duorum ſubeſſet diſcordibus atque adverſis ſententiis, ſi privato concederemus cujuſvis ſpiritui tantum juris. Ea igitur *litera*, quæ juxta Paulli præmuncium non raro occidere viſa eſt, illa prorſus intelligenda erit modo, ad cujus ſenſum (deſpecto, ubi excolendus, ſpirituali ſeu myſtico) in expoſitione textuum aberratur. Nec magis interim urgent, aut grande faciunt negotium tot quæ adducunt, involucra Scripturarum locorum; ob eum comparatum nobis, de quo inferius, controverſiarum Judicem probatiſſimum.

18 Porro numerus eorum qui canonici libri ſunt, quos nempe in Canonem ſeu Catalogum Biblicorum Eccleſia tota redegit, ad *ſeptuageſimum* uſque *ſecundum* ab antiquo quidem atq. jure perductus eſt; [f] ita tamen, ut horum 45. ad teſtamentum vetus, & 7. ſupra *viginti* ad

alte-

[a] Homil. 2. in Geneſ.

[b] Ex Hoſii libro 1.de hæreſibus noſtri temporis.

[c] Epiſt. 2. ad Cor. cap. 3. verſ. 16.

[d] Numerorum cap. 12.

[e] Ezechielis cap. 13.

[f] *In Bibliis vulg. editionis poſt Apocalypſim quidã alii exhibentur libri:* oratio *nẽpe* Manaſſe, Eſdræ tertius & quartus; *atq. in aliis Bibl.* liber Hermæ, *ſive* Paſtoris, *&* Pſalmus 151. *qui licet canonici nõ ſint, ſuã tamẽ utilitatẽ habent, quibus & Patres uſi olĩ fuere. Triplex igitur librorũ biblicorum genus: alii ſunt* proto-canonici, *qui ſẽper recepti sũt, ut in antiq. teſtam.* Pẽtatheucus, *& in novo* quatuor Evang. *alii* canonici, *qui tractu tẽporis in Eccleſia obtinuerunt; ut a libr. Joſue ad Apocalyp. alii* apocryphi, *de quibus nondũ cõſtat, ſuntq. nuper laudati.*

alterum novum pertineant, quemadmodum in vulgata Bibliorum editione digeſti olim fuere, ac ſunt in præſens. Verum eſt autem, ex primis libris nonnullos, *Tobiæ* nimirum, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici* & *Machabæorum*, extravagantes Hebræis fuiſſe, eorum canoni haudquaquam uſquam inſertos: nempe quum, ad Hieronymi [a] obſervationem, non plures apud eos libri recenſerentur, quam qui ſinguli ſingulis literis alphabeti ſui reſponderent, nonniſi hac ratione redactis in unum pluribus quos apte poterant, [b] vigintiduo tantum venerant ſupputandi.

19 At quoniam de iis in Eccleſia Catholica nullus olim elenchus ineluctabilis legebatur, ſed quotquot ut ſacri habebantur tunc, id ex ſola Patrum derivabatur traditione; factum inde fuit, ut quum hæc non omnibus perſpecta eſſet, aliiſque etiam ſe jungentibus cauſſis, neq. omnes qui nunc ſacri ſunt, apud quaſvis Eccleſias venerati extiterint ſemper tales. Hujus profecto rei graviſſimo teſtimonio eſt Concilium *Laodicenum* [c] ad annum viceſimum ſeculi IV., ubi primum omnium ſibi condens librorum cenſum, plures hodie probatiſſimos prætermittit. Tunc enim pleriſque dubitationem non modicam adferebant laudati quinque ex veteri teſtamento, nec non ex novo *Apocalypſis* Johannis Evangeliſtæ: [d] quin & antea Paullina Epiſtola *ad Hebræos*, ceteræque aliorum Apoſtolorum quæ *Catholicæ* nuncupantur, ultra quædam quorundam librorum loca. [e] Verum eo tandem a ſeculo V. deventum eſt, ut univerſi Patres & Synodi, quos omnes libros ut canonicos modo Eccleſia recenſet, cunctos ipſi probaverint & in ſacrum retulerint quoque codicem. Sic profecto, quum ante ſecula *tredecim* id fide ſancta jam ſanctum ſit, nonniſi dementiſſime in dictum Canonem blaterant hodierni heterodoxi.

20 Neque ſane *duobus* tantum abhinc ſeculis primum omnium *Tridentinum* Concilium id muneris adgreſſum eſt; quum & eo, juxta fidem Carranzæ [f] quem Bail tamen impugnat, [g] functa ſit etiam per Eugenium IV. *Florentina* olim Synodus in inſtructione Armeniorum, ante centenos ab illo annos. Quibus quidem univerſalibus Eccleſiæ cœtibus nonnulli quoque œcumenicorum Pontificum longe prius per decreta ſua viam ſtraverunt. Sacros libros in Romano Concilio ad an. 94. ſeculi V. *Gelaſius* Papa ſingulos numeravit; [h] oblatumq. a Carthaginienſibus Patribus laudatorum catalogum ad viceſimum annum ejuſdem ſeculi *Bonifacius* Papa firmavit ac ſacrum reddidit. Fertur quoque tribus ante hunc fere luſtris epiſtola quædam *Innocentii* Papæ I. ad Exuperium, ubi in eo uno omnes docuit, divinorum horunce librorum canonem Apoſtolos ad nos derivaſſe, quibus propterea refert acceptum. Verum hujuſmodi *Innocentiana* non viſa eſt tantum mox juris promeruiſſe, ut eam omnes ſub jactura fidei reciperent: quei enim aliter prædicti Patres Carthaginienſes qui ſuum aliquot annos ante

Inno-

a In Prologo Galeato.

b *Nēpe quinque libri Pentatheuci ſub una atq. prima litera recenſebantur*; Prophetę minores *ſub una alia, & ſic de aliis quibuſdam*.

c Can. 59.

d *Olim ab aliquibus græcis Patribus* Johannes *quidā* Ephesinus *Presbyter putabatur Autor Apocalypſis*.

e *Hos varios librorū Canones compēdioſe exhibet Johannes Dovjat* in Prænot. Canon.

f In ſumma Conciliorum.

g Tom. 2. Cōcilior. pag. 607.

h In Canone *Sancta Romana* apud Gratianum diſt. 15.

Innocentium Elenchum digeſſerunt, judicium Bonifacii Papæ curaſſent quæſo exquiſitum? Quei etiam impune Maſſilienſes objectum ſibi a Divo Proſpero *Sapientiæ librum*, ut apocryphum apud Auguſtinum [a] illico rejeciſſent? Sed & præceſſerunt hos omnes duo olim *Carthagine* ac *Laodiceæ* coacti Conventus; ille deſinente ſeculo IV., hic ineunte. [b]

21 Utrunque hoc teſtamentum, Propheticum & Apoſtolicum, quatuor diſtinctis & diverſis materiis ununquodque eorum comprehenditur: [c] *Legalibus* nempe, *Hiſtoricis*, *Sapientialibus* & *Propheticis*. Ita in antiquo fœdere Pentateuchus Moyſis legalis eſt; Proverbia vero, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia & Eccleſiaſticus, hæc omnia ſapientialibus aſciſcuntur: Pſalmorum [d] autem Davidis, aliorumque ſexdecim Prophetarum libri ſe quidem propheticos ipſimet produnt manifeſtiſſime. Qui tandem remanent, hiſtorici profecto ſunt. Pariter in novo fœdere Evangelia legem, Apoſtolorum Actus hiſtoriam, eorumque viginti & una Epiſtola ſapientiam, atque demum Apocalypſis Johannis hæc ſola prophetiam ſpectat.

DE MULTIPLICI EDITIONE S. SCRIPTURÆ.

22 QUanquam autographi Codices prioris teſtamenti nonniſi hebraico potiſſimum idiomate, [e] ac fere omnes alterius ſermone nobis græco [f] prodierunt; utrorunq. tamen diverſis linguis, ac multifariam ſubinde apographos novimus exaratos. Moleſta porro ac minus utilis cuique provincia demandaretur, editiones quæ ubique circumferuntur, ſingulas ut expenderet: neq. enim declinandis ullus ſat eſſet omnibus quæ ſe certiſſime offerunt, ambagibus, aut prorſus involucris diſſolvendis. Propterea quæ ſolum principes ſeſe exhibent ac maxime nobiles, & quibus dudum divina Biblia *hebraice*, *græce* ac *latine* ad nos jam devenerunt, expendendi animo ſeligemus.

De Hebraica editione.

23 SCripturam divinam quam initio Moyſes ceterique identidem Prophetarum hebraicis literis demandarunt; hanc ipſam, captivitatis [g] jugo colla Judæis ſubmittentibus, abſumtam igne quoad omnia quoque exemplaria periiſſe, in eo plurimi ſunt judicio. Voluntque inde per *Eſdram* [h] ſub Rege Artaxerxe divino ſpiritu abreptum de novo & ex integro reſtitutam, poſtquam illam memoriter quinque Scribis per dies quadraginta dictatam habuit. At quoniam ubique fere locorum permulta Scripturarum apographa reperirentur; ut minus verum id nobis, quia minus plauſibile, viſum eſt. Nec jure tamen huic noſtro refragatur judicio *liber quartus* [i] ipſius Eſdræ in hæc verba: *Immitte in me Spiritum*

[a] De Prædeſt. SS. cap. 14.

[b] Ut ſupra num. antec.

[c] Materia Bibliorum quadruplex.

[d] *Eorum fuiſſe varios Auctores, ex Euſebio Cæſarienſi refert* THOMASIUS *in præfat. Pſalterii juxta duplicem editionem* fol. 1. *ac duntaxat 72. Davidi adſertis, reliquos filiis Core, Aſaph, Eſdræ, Salomoni, & Moſi aſciſcit.*

[e] Exceptis *Tobiæ, Judith, Eſdræ, necnon Danielis libris,* chaldaice *primum datis; ac lib. 2. Machab. græce prius juxta Hieronym. conſcripto.*

[f] Exceptis *Evágelio Matthæi* ſyriace *exarato, item Evangel. Lucæ dato* latine, *necnon juxta Hieronym. contra Orig. epiſtola Paulli ad Hebræos,* hebraice *conſignata.*

[g] Sub Nabuch. 4. Regū 25, vel ſub Antiocho 1. Machab. 1.

[h] Ex libro 2. ejuſdem Eſdræ cap. 8.

[i] Cap. 14. verſs. 22, 42, & 44.

Digitized by Google

ritum Sanctum, & ſcribam, quæ erant in lege tua ſcripta . . . & dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerunt . . . ſcripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor: utpote qui & canonicus minus eſt, & multis Judæorum fabulis refertus. Verum ne debitum SS. Patribus ſubtrahamus obſequium, qui ſacrorum voluminum omnes Eſdram reſtauratorem habent; reapſe ac vere eum nos quoque volumus eſſe talem: ſed id ratione non alia, quam quod libros omnes in unum canonem redigens, [a] conferensq. inſimul inter ſe quæ ſupererant exemplaria, illos a multis qui amanuenſium incuria vel oſcitantia irrepſerant, erroribus expiaverit.

[a] Juxta lib. 1. ejuſdem cap. 7. verſ. 6. & 10.

24 Hujuſmodi hebraicum textum ad nos integrum perveniſſe incorruptumque non convenit inter omnes. Verum etſi non ſemel quid ille vitii contraxit, injuria præſertim temporum & librariorum inſcitia; æque ipſi tamen & auxilio eſſe potuit, & perfectæ correctioni opus illud *Maſora* dictum, modo accuratum prodiverit: probandumq. exinde, non deridendum, ut *Lud. Capello* [b] heterodoxo inſediſſe animo non latet. Certe quum nulla hebræis qua dictiones diſtinguerent & comprehenderent, vocalium literarum praxis & uſus; magna textuum interpretandorum difficultas, & aberrandi copia erat, veruſq. ſcripturarum ſenſus ac lectio perpaucis (traditione quadam a patre in filium derivata) commiſſa Rabbinis unis peritioribus ac verſatiſſimis. Quod ſane clarum ut fiat, tres heic lubenter conſonantes literas ſubjiciemus: [c] *d b r*; quæ diverſis interjectis vocalibus diverſa ac longe alia conſignant: *d a b a r* enim *verbum*, vel, *ipſe dixit*; *d a b i r atrium*; *d a b e r mortem*, ſeu *peſtem*; atq. aliis alia id genus multa. Illud igitur quod traditione jam ſanctum erat, ſeu quam in diverſis locis eaſdem literas (& ſic de omnibus) ſignificationem obtenturas fore ſciebant, ſuffectis punctis Maſoretæ Doctores perpetuo poſteros docuere. Quæ quidem puncta ne vocalium defectum ſi quando defuerint, ſupplent; ſed & ſonum diverſe appoſita moderantur; an quieſcentes, an exprimendæ ſint literæ, an longæ, an breves; ſuiſque etiam locis periodos dividunt. Ut proinde Maſora aliud non ſit, quam in hebraicum textum quoad verba, puncta, literas & accentus ad omnem depravationem vitandam adprobata & accurata *critica* quædam, quam reddit ipſiſſa lexis. [d]

[b] In ſua, ut inſcripſit, *Critica ſacra*.

[c] Ex Auguſt. Calmet in ſuo *Dictionar.* Hiſtorico, Critico, Geograph. &c. ſacræ Scripturæ, verbo: *Maſora*.

[d] *Maſora, latinis Critica juxta Lexic. vel Traditio juxta Calmet et alios laud. loco.*

25 Maſoræ hocce opus a Moyſe vel Eſdra originem ſuam deduxiſſe, nonniſi perperam opinati ſunt Hebræorum nonnulli: quandoquidem varia legendi atque ſacrum textum interpretandi ratio, pluribus poſt illos ſeculis adhuc occurrens, compertam ſatis rem facit, multo his recentius aſpexiſſe lumen. Atque ut ore ſuo ſe judicent, ab eorum ſententia liceat eorundemmet *Talmud* in præſentia appellare. Videlicet quum ibi Joas copiarum Davidis ductor, ab eo quod Amalecitarum cladi pepercisset, objurgaretur; reſpondiſſe ferunt: jubenti ſe Deo morem geſſiſſe, qui ſolos maſculos dictione hac *ſ c r* (quam

ſa-

Digitized by Google

ſacar a ſuo Præceptore doctus interpretabatur) præſcripſerat internecione delendos: cui confeſtim David non *ſacar* legendum, ſed *ſecber*, hoc eſt *memoria*, quaſi omnis Amalecitarum memoria abolenda eſſet, objecit. Siccine ergo Talmud non prius V. ſeculo elaboratum, ac X. ab Eſdra (de quo in tertia parte hujus operis) exhibitam heic ſibi atque alibi recenſendorum punctorum copiam neglexit, dedignatum eſt? Quo ſane argumento plane intelligimus, nutanti ſcripturæ lectioni nunquam ad id temporis modum fuiſſe impoſitum, ac Maſoram neutiquam adornatam. Sed neque profecto minus *Hieronymi* tempora præceſſiſſe opus iſtud, ex iis quoque fit palam quæ ipſe literis exaravit; [a] atque ex eo maxime quo vertendi Biblia demandatum ſibi onus valde fuiſſe arduum conteſtatus eſt. [b] Quare ſolum & ſummum primis illis ab eo defuncto temporibus conſignandum eſſe, quorundamque *Tiberiadis* Doctorum operæ inſcribendum, exploratius videbitur.

26 Hinc non eo declinandum, ut illud forte putemus quod Novatores cum Buxtorfio [c] elapſo ſeculo; omnia videlicet ad fidem hebraici textus examinari prorſus debere: ſuſpicio ſiquidem nobis ingeritur, ne non ſatis conſtantem Maſoretæ traditionem quam ſequerentur, habuerint; vel ſi qua forte ipſis fuit, eorum fides in ea tradenda defecerit, ſubſtituerintque novas interpretationes Chriſtianis minus faventes. Non exiguo tamen momento is ipſe hebraicus textus habendus eſt (ut elegantius oſtendit *Ghislerius* [d] noſter cum aliis) valiturus profecto Vulgatam noſtram juvare in multis; quæque in ea ſunt obſcura, dilucidare, quæque dubia, reſolvere: nam ſi quid erroris Maſoretarum poſt opus in eum irrepſit, vel forte illis ſuperfuit, vel hoc ipſi quoque peccarunt; tantum ſane haud credendum, quantum animadverſu facile (collatis ſaltim Antiquorum Patrum autoritatibus) emendatuque non ſit. Eadem fere nobis opinio eſt & ſententia circa ea, quæ ad chaldaicam ſpectant Paraphaſim; ſic ideo nuncupatam, quod per illam hebraicum textum non de verbo ad verbum, ſed *ſenſu ad ſenſum* Chaldæi Doctores interpretatum dederint. Hi fuiſſe plures ac ſingulares ſuamq. ſibi quiſque adſumſiſſe partem cenſentur; ac nonniſi ad Morini [e] animadverſionem poſt Servatorem noſtrum V. ſeculo floruiſſe. Sed quam eorum Paraphraſim [f] modo habemus, a tot inſulſis quibus Pentateucho excepto reſperſa eſt, fabulis & anachroniſmis purgari diligentius oporteret; dum ceterum non mediocrem utilitatem adfert Eccleſiæ quoad plures ſuas contra Judæos veritates corroborandas.

[a] In Iſa. 26. 14. in Jerem. 22. & in Abacuch 3.

[b] In Prologo Galeato.

[c] In Anti-Critica adverſus Capello laudatum.

[d] In Cōmentariis ad Cantica Canticorū juxta lectiones vulgatam, hebræam & græcam &c.

[e] Lib. 2. Exercit. Biblicarum exerc. 8. *qui rem hanc ob ſilentiū priſcorum Patrū, alioquin abrūpendum, compertam facit.*

[f] De qua Frãciſcus Lucas *in Chaldaicis editionibus.*

De Græca Verſione LXX. Interpretum.

*a Paſſim harũ meminit Johannes del'Haye in ſuis Bi*bliis maximis.

27 GRæcæ verſiones quæ ad *decem* [a] olim perductæ communius numerabantur, has non amplius quam *ſex* jure dixeris, inter quas notiſſimam omnium *ſeptuaginta* illam *Interpretum* collocabis: reliquæ nempe quatuor quæ ad perficiendum denarium eum numerum deſiderantur, nonniſi poſterioris ſunt hujus emendationes, quas *Origenes*, *Lucianus* Martyr, *Heſychius*, ac *Sophronius* ſeu *Hieronymus* potius, ut probatur THOMASIO mox laudando, a tertio ad quartum ſeculum concinnarunt. Sex illas priores (quarum tres, Apoſtatas quoſdam Judaiſmum reinduentes, ut *Aquilam* Ponticum, *Theodotionem*, & *Symmachum*; duas vero certis quibuſdam doliis repertas Hiericunte ac Nicopoli, incertos aliquos condidiſſe a ſecundo ad tertium ſeculum ſuaſum eſt) una cum hebraico textu, hebræo ſimul atque græco characteribus exaratas, in unum laudatus Origenes redegit codicem. Quem, quoniam columnas octo juxta totidem editiones quævis ejus pagella præſeferebat, *Octapla* tandem inſcripſit; ubi primum quia ſolum quatuor, *Tetrapla*; quia ſex deinceps, *Hexapla* peculiari volumine titulaverat.

b Ex Typographia hæredũ Corbelletti 1688. *quod laudibus exornãt Acta Eruditorum Lipſię to. 1. ſupplem. pag. 490.*

28 De Verſione hac opus edidit Romæ cuſum [b] THOMASIUS, fecitque ipſi nomen, *Sacrorum Bibliorum juxta editionem, ſeu verſionem ſeptuaginta Interpretum, ſeu Beati Hieronymi*, &c. Quod quidem quum ad manus noſtras non habeamus, alioqui diligenter conquiſitum; nec ut e regione alia advocemus impendendam ſinat majorem curam, breve otium conceſſum nobis atque currens exinde calamus; id quod oramus in præſens eſt, ne nobis vel parvo vitio vertatur, ſi mentem Doctoris noſtri quoad verſionem iſtam adamuſſim fortaſſe non adſequemur. Videtur autem ob libri nomenclaturam Beato Hieronymo propius adhæſiſſe, qui vulgarem opinionem *ſeptuaginta cellularum* fabuloſis accenſet. *Neſcio*, [c] inquit, *quis primus Autor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quum Ariſtæas ejuſdem Ptolemæi Legatus, & multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint; ſed in Baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe; aliud enim eſt eſſe vatem, aliud interpretem.*

c Sua in Pentateuch. præfatione.

d Ex traditione quadam utcunque lata penes Patres laudandos.

29 Vulgo ſiquidem ea vox erat: [d] *Eleazarum* Hebræorum Pontificem tribus fere ſeculis ante Chriſtum delectis ex unaquaque tribu Senioribus ac Magiſtris Græcæ Linguæ peritis, hos Alexandriam ad *Ptolemæum* Philadelphum, ſecundum Ægyptiorum Regem, adlegaviſſe, quo laudatæ verſioni accuratius darent manus; quoniam de hoc per Ariſtæam Legatum enixe ei fuerat ſupplicatum ab illo, conſcio jam facto per Demetrium Phalereum Regium Bibliothecarium, dignos

apud

Digitized by Google

apud Hebræos extare Codices quos Biblia vocant: quumque vero acceſſiſſent, Regem facturum periculum integerrimæ verſionis incluſiſſe ſingulos in ſingulis cellulis, quas ob id in inſula Pharo conſtruxerat ad ſeptem circiter ſtadia procul Alexandria: poſtque dies ſeptuaginta duos verſionem hanc mira in omnibus conſenſione quoad minutiſſima quoque verba perfectam eſſe, ingentibus ex eo muneribus donatis Eleazaro & interpretibus ſuis: hos tandem, tametſi duo amplius fuerunt, rotundioris numeri gratia ſeptuaginta fuiſſe dictos.

30 Hebræorum huic voci aliquot Chriſtianorum ante Hieronymum Patrum de quibus infra, quoque ſuam adjunxerunt, vulgi ſiquidem abrepti clamore, ſuæq. etiam cura cauſſæ: ii tamen in geſtarum rerum narratione conſtantes non ſunt. [a] Interim haud ſibi prorſus cellulas iſtas ſuadere noveris *Auguſtinum*, ubi futurum ipſi e re maxima fuiſſe perpenderis illas admittere, quippe qui græcam verſionem hebraicæ mordicus anteponebat, quo ex illa potius quam iſta, latina purior adornaretur: & nihilo tamen ſecius, recenſitis Verſionis illius aliis præeminentiis, in laudatam hanc, maximam quidem, nonniſi ancipitem deveniſſe & ex hypotheſi tantum: [b] *ſi* (*UT FERTUR*, inquit, *multique non indigni fide prædicant*) *ſinguli cellis etiam ſingulis interpretati eſſent, quis huic autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?* Sed nec *Philo* [c] Judæus Apoſtolorum ætate, non multo ante Joſephum ſcribens, talia, credas, edidit, ex quibus cellulæ evincerentur. Interpretes quidem *ſolitarios* commemoravit, ſed *conſediſſe*; veluti illos ab aliis (nimirum erant in dicta Pharo fortaſſe incolis deſtituta) non ab invicem ſeparatos voluerit: inque eadem omnes ad unum deveniſſe verba, *QUASI quodam ſuggerente interius ſingulis*; veluti inſimul eos contuliſſe dixerit, nullo ſeſe tamen opponente illorum vel diſcordante: dum ſecus, Deus iis omnibus certo certius ſuggeſſiſſet, non *quaſi* tantum, ut Philo locutus eſt. Cui ſane noſtræ animadverſioni omne pondus addere Auguſtinum-met ipſum non ibit ullus inficias, qui eum nondum iſtarum cellularum rationem habentem, ſimilia tamen & ampliora quoque verba proferentem audierit: [d] *Tanta nimirum PRÆSENTIA SPIRITUS SANCTI interpretati eſſe DICUNTUR, ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi* (*UT FERTUR*) &c.

31 Mirum tamen non fuit, ea ſtante voce aliquot Patrum, *Juſtinum* Martyrem, [e] *Irenæum*, [f] *Clementem* Alexandrinum, [g] *Cyrillum* Hieroſolymitanum [h] & *Epiphanium* [i] pro cellulis abundaviſſe: eo ſane maxime tempore quo Verſio Græca a Judæis impugnabatur; ut iccirco eidemmet vindicandæ univerſam navare operam debuerint, atque utcunque de ea latas traditiones adſumere; hoc uno quod ſufficeret, contenti fundamento, quia ab illis jam ſatis antea divulgarentur. Immo Juſtinus in Pharo inſula quum fuerit, deſignata ſibi antiquarum cellularum

[a] Ut in ſequentibus adnotationib. ad lit. e & g.

[b] Lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 15.

[c] In vita Moyſis lib. 2.

[d] Loco proxime laudato.

[e] In orat. exhortatoria; *qui tamen in apol. 2. nō ab Eleaz. Pontif. ſed ab Herode Rege expetiiſſe vult Ptolemæum eruditiſſimos viros, qui græce Biblia interpretarentur.*

[f] Lib. 3. contra hæreſ. cap. 25. ſeu 21. novæ edit.

[g] Lib. 1. Stromat. *qui tamen verſionē hanc* 70. *Interp.* ſecundam *vult, poſt græcam aliá ante Alex. Magnum adornatam.*

[h] Catecheſi 4.

[i] De pond. & menſ. n. 9. ad 36.

Digitized by Google

rum veſtigia reliqua facile potuit credere, eo quod ſuam cauſſam juvarent. Id quod tamen poſtea ad critices leges examinatum & accuratius expenſum, commentitium Hieronymus dijudicavit. Qui tamen ubi dictas domunculas ab opinione eruditiorum notavit penitus exſufflandas, quæ ſuperſunt non improbat: ſicque omnes ad unum quoad ſubſtantiam Patres concordant, ſingulisque divina eſt interpretatio illa, divinoque conſilio adornata: quibus præiverunt ſpectati ac ſapientes Viri ex Judæis Philo [a] & *Joſephus*. [b] Quin ille præterea ſubdit, a Ptolemæi tempore ad ſuam uſque ætatem magnum quotannis ad Pharum inſulam fieri concurſum Hebræorum ac Gentium, quo translationis ſeptuaginta Interpretum memoriam celebrent. Ut proinde Critices intemperantioris pruriginem arbitremur, eam divinitus verſionem elaboratam eſſe inficiari.

32 Verum quia ſecutis temporibus quamplurimi Judæorum per Græca Biblia quæ clarius de Chriſto effantur, [c] Chriſtianæ Fidei nomen darent, Hebræoſque reliquos eorum etiam Literis redarguerent; ægre iſti primum quos ſuæ ſtudium cauſſæ tranſverſos egit, editionem illam ferre cœperunt, ac maledictis inceſſere: commenti propterea nonniſi ab Alexandrinis Judæis quos Helleniſtas vocant, audacter verſionem confectam, atque in profanum ſermonem converſam legem. Hinc Rabbinorum quorundam de *triduanis tenebris* [d] ob illud prætenſum facinus toti orbi incubantibus fabula, quarum tamen antea nulla vel levis mentio: hinc & *jejunium* [e] placandi Deum ergo, octava die Decembris Calendariis ſuis quaſi ab illo tempore aſcriptum; cujus etiam nec Rabbi *Maimonides* jejunia gentis ſuæ diligentiſſime conſcribens verbum aliquod quidem fecit.

33 Sed ad quem Philadelphi annum laudata verſio conſignanda ſit; profecto recedendum non arbitror ab opinione Clementis Alexandrini [f] & aliorum eveniſſe hoc autumantium ſub utroque Ptolemæo, Patre nempe Filioque in Regni conſortium ab eo adhuc ſuperſtite aſcito. Enim vero ex Hermippo *apud Laërtium* [g] demonſtrata res eſt, Ptolemæum Philadelphum qui Filius, ut Regni abſolute potitus fuit, amandaſſe in exilium ubi paullo poſt oppetiit, Demetrium; quod Patri olim jam ſuggeſſiſſet ut non illum ex Berenice genitum, ſed ex prima uxore Eurydice ad Regnum filios cooptaret. Quod quidem non prius Philadelphus adgredi potuit, rationem tum habens Patris, cui valde Demetrius in deliciis erat. Sed eſto tunc Judæorum multa millia *degerent* in Ægypto, ſacroſque *libros* penes ſe haberent; ac Hieroſolymis non omnes Iſraëliticæ *Tribus* reperirentur, adductis decem earum in Mediam & Babyloniam; [h] facile tamen utrunque quod ſupra diximus, contigit. Et voluiſſe nempe Ptolemæum Regem a *Palæſtinis* potius hebræis ex omni tribu delectis interpretatos codi-ces;

[a] In recenſita vita Moyſis lib. 2.

[b] Lib.12.Antiq. hebraicæ cap.2. & lib.2. contra Appionem.

[c] *Quod nimirum, juxta Genebrardi animadverſionem, a ſenſu grammatico non raro diſceſſerunt, quo allegoricū ſequerentur.*

[d] *Quas tamē Rabbi Azarias, qui ante 90. annos ſcripſit, nōniſi adſumtas ab hebræis voluntarias afflictiones, ne quid infauſti dictis Interpret. accideret, commentatus eſt, ob quendam qui ad manus ejus devenit, veterem codicem.*

[e] In utroque eorū Talmud.

[f] Lib.1. Stromat., idem etiam Natolius in cōputo Paſchali.

[g] In vita ejuſd. Demetrii.

[h] Lib.4.Reg. cap. 17. & 18.

Digitized by Google

ces; ut in magis hoc pacto authenticam formam prodirent, ac ſane talem quam redarguere mendarum haud valeret Judæa Religio, in ſuo Hieroſolymis robore ac magiſterio effloreſcens; & Eleazarum Pontificem ſenos per tribus ſingulas ad Regem illum ſeniores adlegaviſſe; ut qui, cogente ſaltim Religione, peritos legis debuerat ab Aſſyria & Babylonia ex omnibus quæ deficiebant, tribubus illis arceſſere, quos una cum Palæſtinis Alexandriam ad Regem mitteret. Ceterum *Joſephus Scaliger* [a] qui primus a pervetuſta Patrum ſententia deflectere cogitavit, falſus fuiſſe deprehenditur, ubi putat omnino omnes ex decem tribubus Hieroſolymis eſſe profectos: nimirum quamplures ex ſingulis remanſiſſe prohibet nihil, quin & ex *quarto Regum* [b] obſcurioribus minime verbis totum hoc ſuadetur.

De Libro Ariſtææ.

34 SEd quod infartum pluribus fabulis, contradictionibus & anachroniſmis, *Ariſtææ* adſertum opus fere omnes deprehendant, a quo & ceteri collegere (ajunt plures) quæ de hac verſione ſcriptis ſuis insererent; viſum eſt oppoſitæ ſententiæ principale adminiculum. At nos ultro fatemur idem, & ea etiam eſt noſtra mens, fuiſſe Ariſtææ ſuppoſitum opus illud, atque in gratiam *Helleniſtarum* (qui quum jam hebraicam linguam dediſcerent, lectionem hanc græcam, Palæſtinis male ferentibus, hebrææ publice præponebant) a Judæo quodam confictum. Id nanque pluribus compertum feciſſe novimus laudatum Scaligerum, poſtque ipſum, *Valeſium*, [c] *Natalem* Alexandrum, [d] Cardinalem *Bona* [e] alioſque plurimos. Quod ut tibi etiam præſtemus vel propenſiſſimi, inſignem quendam anachroniſmum ſubjicimus: meminiſſe nempe *Heptaſtadii*, quod multo poſt Philadelphum a Regibus Ægyptiis extructum eſt: [f] nec aliis te pluribus immoramur; ſat enim modo quod puncta tolleret, exhibuimus. Iccirco mittendum arbitror quod alii ſubdunt: *epiſtolas* nempe Demetrii ad Regem, Regis ad Pontificem, Pontificis ad Regem, uno omnes omnino, ac ſi ab eodem uno exaratæ fuiſſent, conſcriptas ſtylo; Ptolemæum paganum hominem profeſſione, verbis vero hebræum ac religioſiſſimum inibi induci; Biblicamque ſacram eam verſionem cujus veritatibus minime adquieverat, ſumma ſemper veneratione ac religione habuiſſe; atque id genus alia incongruentia etiam non minora. Ceterum præfati operis figmentum etſi multo poſt Ariſtæam, præceſſiſſe tamen *Joſephi* ætatem deprehenditur: is enim apertius illud commemoravit, ex eoque plurima excerpſit. Verum credibile eſt futurum fuiſſe ut id non feciſſet, niſi hiſtoriæ ſubſtantiam ex Gentis quoque ſuæ monumentis eſſet edoctus, juxta ac ſimul hau-

[a] In obſervatione Euſebii, & in duabus epiſt. inter ceteras nuper editas.

[b] Capite 6. *Quin aliquot ex Aſſyria progreſſu temporis in Palæſtinam migraſſe, commeatu provinciá inter utráque libero, ex Tobiæ 10. colligitur: atque cum Eſdra rediiſſe aliarum quam ſupradictarum tribuũ Judæos, legenti Joſephum l. 11. c. 5. patebit,*

[c] In notis ad Euſebium.

[d] Seculo II. part. 2, & tom. 6. hiſt. veter. Teſtam.

[e] In notis Autor. a ſe citatis.

[f] Ut oſtendit Valeſius in Commentariis ad *Ammianum Marcellinum.*

hauſiſſet: nullam enim alibi de ea mentionem fieri, non levi tunc prudenti hiſtorico fuiſſet argumento falſitatis; ſin minus, non junctis pedibus in eam iviſſet. Quam ſane Judæorum traditionem ex Philone ſupra [a] retulimus; qui & ignoto ſibi pſeudo-iſto-*Ariſtæa*, ut videtur, non marte proprio effinxiſſe quæ ſcripſit, credendus eſt.

[a] Num. 31.

De autoritate prædictæ Verſionis.

35 NUlli dubium quo minus Eccleſiæ primis ſeculis ea dicta verſio ſcriptura authentica fuerit, Apoſtolorum [b] & Patrum uſu quammaxime conſecrata, tantique etiam habita, ut quoque Chriſti labiis expreſſam Voſſius contendat. Sed in quo hebraicam notavimus, eundem & Græca exitum paſſa eſt; dum amanuenſium incuria injuriaq. temporis tot ac non levia menda contraxit, quo Hieronymo adornandæ latinæ ſuæ non potuerit recto uſui eſſe;pluribus quippe in locis Theodotionis permixta verſiculis,atq. alibi commutata, & paſſim corrupta. [c] Verum poſt *Complutenſem* Ximenii, & *Venetam* Aſulani emendationem, eam Sixtus V. Card. Carafæ demandata provincia integritati ac nitori reſtituendam curavit. Adgreſſuſq. iſte opus perfecit græco ſermone anno 86. ſeculi XVI. quod *Flaminius Nobilius* latine Romæ poſt biennium reddidit: ſuamq. inde Papa manum admovit; [d] *ut ad verbum reddita* (verſio) *pura & integra & incorrupta perpetuo conſervetur.* Tanti tamen haud faciunt decretum iſtud, quanti appoſitum aliud Vulgatæ Editioni: quocirca etſi nihil forte in ipſa offenderemus quod nævum ſapiat,fidem tamen nobis inconcuſſam non faceret; quin ſupereſſe adhuc quæ corrigantur leviores mendas plurimi [e] animadvertunt. Interim tibi ſcandalum non pariat, differre in multis verſionem iſtam LXX. Interpretum a Vulgata Editione noſtra, ſicque ab Hebraica a qua hæc ſumta eſt; prout commodius contemplaberis in eximio opere illo ad decem diſtincto ac novem tomos, quod *Biblia maxima* vocavit horum digeſtor Johannes de l'Haye: ecce enim Auguſtinus tibi præſto eſt in his verbis: [f] *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in 70. Viris, quando illa interpretati ſunt. Qui profecto autoritate divina, & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrunque dixiſſet, quia utrunque idem Spiritus diceret, & hoc ipſum aliter.*

[b] Ex Divo Hierony. in Commentariis ad cap. 2. Habacuch,& aliis.

[c] Ex Hieron. præfat. in lib. Paralip. & epiſt. 89. ad Auguſt.

[d] In decreto cõfirmationis, dictæ verſioni appoſito.

[e] Apud Nat. Alex. ſec. II. part. 2,

[f] Lib. 18. de Civit.Dei cap. 43.

De Latina Vulgata Editione.

36 TOt olim ſibi verſa latini dedere Biblia, ut cunctis iis nec Hieronymus nec Auguſtinus enumerandis ſuffecerint. Eorum omnium duæ potiſſimum ſibi principem locum verſiones promerebantur:antiquior una & incerti Autoris quam

Vulga-

Vulgatam Oroſius, quod totum fere orbem Chriſtianorum circumferretur; *Italam* vero Auguſtinus, quatenus latine traditam, nuncupavere; (Vernaculus tunc ille ſermo apud Italos, quouſque ante ſecula quinque auſpicium is accepit quo nunc effantur; ſuamque inſtitutionem habuit gratia Friderici Secundi Romanorum Imperatoris & Siciliæ Regis, habitis heic *Panhormi* [a] quæ ipſi cuna, ſedes ac ſepulchrum, primis & multis de illo academiis, legibus & præſcriptis) Altera nova quam juſſu olim Damaſi Papæ donavit luce Hieronymus. Hic tamen ſe quidem ipſo fatente nonniſi vetus teſtamentum ex hebræo in latinum vertit, novum autem cui ob plurimos qui irrepſerant errores, admovendam manum putaverat, græcæ integritati reſtituit. Sed quum ad ea tempora circa prælationem alterutrius præ alia in adverſa multi ſtudia diſcinderentur, eo tandem non longe a defuncto Gregorio deventum eſt, ut ex illis duabus, excerptis nonnullis hinc inde libris, una integra adornaretur, quæ *Vulgatæ communis* nacta eſt amodo nomenclaturam. Et hæc adamuſſim eſt hodierna *Vulgata* noſtra, quæ quum ante ſecula XII. uſui fuerit Eccleſiæ Catholicæ, magnamque ſemper venerationem ſit conſecuta, recta potuit Tridentinum Concilium [b] de ea peculiare decretum edere, quo *pro authentica & canonica recipiatur* ad fidem & mores ſtabiliendos infallibilem habente autoritatem: quidquid in oppoſitum oblatrent ex oppoſito heterodoxi, præcipueq. *Thomas de James*, [c] in cujus fere omnes ſententiam uti in ſuam vel lubentiſſime Sectarii conceſſerunt.

37 Non proinde tamen ab uſu fidelium eliminandas omnino ducimus aliorum Catholicorum editiones, [d] ut *Sanctis* Pagnini, *Ariæ* Montani, *Vatabli*, *Iſidori* Clari aliorumque quorundam a ſeculo XVI. hebraicum textum in latinum vertentium, utpote eruditioni maxime atque ornatui accommodiſſimas. Neque diverſa nobis ſententia eſt quoad vernaculas cujuſque regionis peculiares alias, quarum tamen *Kemnitius* inhibitiones per Tridentinum habitas ſuo mendacio conſtruxit. Ea hoc tamen mente ſit dictum, ut duo valde ac ſemper in obſervantia ſint; & ne in publicis Eccleſiæ officiis utamur illis, & ne indiſcriminatim omnes legamus; ſed id judicio demandetur vel Ordinarii, vel locorum Inquiſitoris. Querebatur enim ſuo tempore Hieronymus [e] de promiſcuo uſu legendi Scripturam ſanctam, quod *hanc garrula anus*, *hanc delirus ſenex*, *hanc ſophiſta verboſus*, *hanc univerſi præſumunt*, *lacerant*, *docent*, *antequam diſcant*.

38 Suas quoque habent heterodoxi Scripturas laudato ſeculo elucubratas. Quas inter omnes duæ quidem ab iiſdem ſæpius citari ſolitæ, in ſummo apud ipſos ſunt pretio: Baſileenſis nimirum per Sebaſtianum *Caſtalionem*, quod puriſſima floreat latinitate; atque altera *Genevenſis* per *Junium* ac *Tremellium*; quod perperam judicetur ad

fidem

a Ut ex Dante lib. 1. vulg. Eloquẽtiç cap. 2. fol. 13. Petrarcha cap. 4. in Triumphũ Amoris, ex Bembo lib. 1. obſervat. ling. vulg. fol. 18. & Vocab. *della Cruſca*, in ſyllabo libror. cõpertum habetur, de quo *Ant. Mongitore* cap. 9. §. 5. fol. 150. in obſervat. *ad Sicil. inventric.* Vincentii Auriæ.

b Seſs. 4. de edit. & uſu ſacrorum libr.

c In ſuo, ut inſcripſit, Bello Papali.

d Harũ etiam paſſim meminit Johan. del' Haye in ſuis Bibliis max.

e In epiſt. ad Paullinum.

fidem hebraici textus accedere quam potiſſimum. Sed hæ quemadmodum ac vernaculæ quædam aliæ, non ambigendum, quo minus extorres a Theologia noſtra eſſe debeant, dum vel ipſis invicem ſe carpentibus Acatholicis, omnino ab originali integritate alienas, depravatas, atque paſſim ſeſe prodúnt corruptas: quemadmodum de ſua tandem Germanica faſſus eſt palam Lutherus apud *Cochlæum*. [a]

39 Quoniam vero Synodus recenſita dixit anathema [b] ſuſcepturis ut minus ſacros quos ipſa libros recenſet, eo quidem ſenſu id intelligas, ut ad quaſvis horum particulas referendum quoque non opineris. Hoc enim apte ſuadent contra nonnullos & ipſa *præfatio* Editionis Vulgatæ, qua iſtam *etſi cæteris emendatiorem purioremque, pro humana tamen infirmitate omnibus numeris abſolutam difficile eſſe adfirmare*, legentes nos admonemur; & ipſa correctio inſuper Bibliorum quam ſemel ac iterum *Sixtus Quintus* & *Clemens Octavus* Pontifices maximi ſuſcepere, atque multa inibi mutanda inſpexerunt, [c] *quæ conſulto tamen immutata relicta ſunt*. Quare Concilii ſcopus in eo ſitus fuit, ut Lutheranos percelleret & Calviniſtas, qui aliquas partes amplas quorundam librorum ut commentitias deſpicabantur.

DE MULTIPLICI SENSU S. SCRIPTURÆ.

40 Quem Johannes [d] intuſque foriſque ſcriptum admiratus eſt librum, aptiſſime hic divina præ ſe Biblia videtur ferre, in horum duplici plane ſenſu, ad *literam* nimirum ſive quem verba ferunt, & ad *ſpiritum* ſeu quem res ſignificata ſuis verbis: adeo ut exterior ſcriptura literam atque interior ſpiritum nobis præferant indicatum. Anathema interim *Luthero* [e] gregalibuſque ſuis, qui Porphyrio Julianoque apoſtatæ obſecuti, *ſpiritui* prædicto turpiſſime conviciantur, famoſæ eundem meretrici turpius adſimilantes. Neque enim ſemper aut ſolum quem verba præbent, ſequi nobis ſenſum expedit; quum & literam quandoque occidere opportune Apoſtolus admoneat, ſolumque ſpiritum eo tunc a nobis expendi jubeat.

41 Porro ejuſmodi ſpiritum ſeu myſticum, ut ajunt, ſenſum trifariam Doctores ſcindunt ac Patres. Atque alius quidem eſt *Allegoricus*, qui ad fidem ſeu credenda ſpectat: *Anagogicus*, qui ſpem reſpicit, ſeu ſperanda: & *Moralis*, qui caritatem ſeu mores ad caritatem ipſam perſovendam concernit. Quæ quidem tria hæc omnia ſenſa una cum *ad literam* exemplo gaudent luculentiſſimo apud Bedam [f] vel Caſſiodorum in hac ſola voce *Hieruſalem*; quæ ſpectatis literis nonniſi denotat Palæſtinæ Metropolim, allegorico vero ſen-

[a] *Multa circa* res geſtas *contradicentia peccare effutiunt Sectarii Vulgatam noſtram, a quibus facile vindicát pleriq. Catholicorum, ac recés Petrus Annatus in ſuo* Apparatu *ad Th. Poſit. lib. 2. ab art. 13. Is tamen nõnihil in eá irrepſiſſe putat, ut quod 4. Reg. 8. 26. dicatur 22. annorum fuiſſe* Ochozias, *initio Regni, qui 2. Paral. 22. 2, annorum tum 42. cõſtituitur: inſuper quod Geneſ. 11. 26. computus vitæ* Thare *juxta ea quę inferius dicuntur, videatur longius protractus. In quo tamen nihil ineſſe erroris monſtrabitur n. 655.*

[b] Loco proxime laud.

[c] In Bulla Clem. VIII. *de emendata editione, cujus ipſa Bibliorũ præf. meminit.*

[d] Apocal. 5. verſ. 1. & Ezechiel. 2. verſ. 9.

[e] Cap. 30. in Geneſ.

[f] Lib. de Tropis S. Scripturę.

ſenſu militantem Eccleſiam per Johannem; [a] Anagogico eandemmet triumphantem, ſecundum Paullum; [b] atque Morali denique, fidelem animam, juxta Iſaiam. [c] Quod ſi lubet eruditis hic obſequi, quatuor præfatis ſenſis reſpondebunt totidem, quos Eccleſia Doctores maximos veneratur; porro qui ſinguli in ſingulis explanandis vel unice præſtitere: Hieronymus nempe in ſenſu ad literam, Ambroſius in Allegorico, Auguſtinus in Anagogico, Gregorius denique in Morali.

a Apoc. cap. 21. verſ. 2.
b Ad Galat. cap. 4. verſ. 26.
c Cap. 52. verſ. 2.

42 Hiſce autem recenſitis literæ ac ſpiritui, quæ principalia ſane ſunt, ſuccedit, ut minus præcipuus ſenſus accommodatitius; quo plura loca per quandam extenſionem ad rem aliam producuntur, quam ſacer Scriptor intenderit. Qui quidem plurimum Concionatoribus videtur uſui, quin & immo Eccleſiæ met ipſi, dum, quæ de Sapientia in libris Salomonis hic retulit, Beatæ Virgini accommodantur non raro; & alia quoque iſtud genus. Ex eo tamen haud momenti eſſet, ſi forte aliquod peteretur, ad probandum ſerio, quæ ad fidem moreſque pertinent, argumentum; vel minimæ plauſibilitatis. Quare eſt, multo aptius probari nobis contra Janſenium Gandavenſem, [d] nuſpiam Scriptores ſacros & canonicos, præſertim Evangeliſtas in confirmationem quorundam Fidei noſtræ myſteriorum, Chriſtianæve alicujus veritatis, eos vel nuda ſolaque accommodatione intelligendum adduxiſſe ullum locum.

d In concord. Evāgeliorum cap. 11.

43 Sed inter tot ac diverſa locorum ſenſa, illud nobis a Patribus [e] animadverſioni eſt, fore nimirum, ut ad literam quoad poſſumus ſcripturas interpretemur, ubi hoc videlicet vel Fidei vel rationi neutiquam abſonabit. Sed quum ſæpe contingat, quod ea ipſa litera plures in ſe patitur acceptiones, ſicque locus unus firmando Fidem ex vi verborum non ſit idoneus; plura tunc ſimul ac invicem conferantur neceſſum eſt: ſunt enim non ſecus ejuſmodi quandoque textus, ac plures milites, quorum quilibet propugnando arcem non eſt, ſimul tamen omnes propugnant. Sed quid facto opus judices, ubi fortaſſe, ſpectatis literis, duo ſic loca occurrunt, ut unus alterum elidere videatur? liberum ne tunc erit, quo, prout magis tibi volupe eſt, unum potius exponas ad intelligentiam alterius, quem retineas? Regula quippe hæc: ut quem præ altero Eccleſia & Traditio non explicant, tu ipſum facias, quum claritas potior, majorque in ſcripturis inculcatio alteri favet ne dum, ſed patrocinio videtur eſſe. Sic duorum horumce textuum: [f] *Filius non portabit iniquitatem patris*, &: [g] *omnes naſcimur filii iræ*: ni Traditio, Eccleſia & Patres poſteriorem ita ample intelligerent, ut portare ex eo nos doceant originariam labem primi parentis; jam haberes, quo id ipſum docereris ampliſſimam copiam ſuppeditatam. Nimirum evidens ipſe eſt, atque in Bibliis perquam maxime inculcatus: Paullus [h] nempe: *Omnes in Adam* *pecca-*

e Auguſt. lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 7.
f Ezech. cap. 18. verſ. 19.
g Ad Epheſ. cap. 2. verſ. 3.
h Ad Rom. cap. 5. verſ. 12.

D

peccaverunt; atque etiam Job: [a] *Nemo mundus a ſorde, neque infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*: cetera: ut proinde explicationi obnoxium primum illum deprehendas, qua ſaltim hunc reddat ſenſum: particularium parentum neminem ſuam iniquitatis maculam in filios derivaturum.

[a] Cap. 14. juxta Septuag. interpretationem.

De Judice veri ſenſus Scripturæ.

44 Quoniam, ajente Petro, [b] plura ſunt in Scripturis *difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant*; quin inſuper Apoſtoli met ipſi apud Lucam, [c] *nihil horum*, quæ plurima dicebantur, *intellexerunt*; nonniſi eſt eorum futilitas, qui nimium blaterant Hetorodoxi: controverſias nempe omnes per ſolas & ſimplices divinas Literas nullo duce nulloq. judice dirimi prorſus ac definiri. Videlicet pro ipſa ſua, qua ſacri Codices eminent, altitudine non uno eodemq. ſpiritu univerſi hos accipiunt; ſed eorundem eloquia aliter & aliter, alius & alius commentatur, variique exinde errorum anfractus; multum iccirco neceſſe eſt, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici probatiſſimi Judicis, cui conceſſa tanta poteſtas, & ſumma infallibilitatis jura conveniunt, normam dirigatur. Et quanquam provocatos [d] olim Judæos a Chriſto id nos non fugiat, ad eas ipſas, quippe quæ de illo teſtimonium perhibebant, divinas Literas, quas perſcrutarentur; hæ tamen, quum teſtimonium ſæpe præferant, non judicium, non amplius ſibi jure comparant, quam normam eſſe in ferenda ſententia per ſacrum Judicem inſpiciendam: ceu in prophano judicio, in quo quiſque ibi Judex, quaſi regula, ſua lege utitur, quam ſequatur.

[b] Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 16.

[c] cap. 18. verſ. 34.

[d] Johan. cap. 5. verſ. 39.

45 Hac demum veritate obruti Novatores, convicti quidem, converſi minimum, locorum quorundam obſcuritatem & involucra non inficiantes, ſolis & unis clarioribus (quo ſupremum, illorum enodandorum cauſſa, Eccleſiæ judicium declinent) contentos ajunt nos eſſe debere: atque ubi myſterio eos ita ſacrant, otioſe locutum Spiritum Sanctum incuſant, ſermonemque, ubi nunquam futurus auditus, effudiſſe. Qua fronte inde Paullus, [e] univerſa quæ ſcripta ſunt, *ad noſtram doctrinam* exarata omnia venditavit? aut quam nobis ex illis hauriendam *ſpem conſolationemque* promiſit? Non ne perinde illæ forent inextricabiles divini Spiritus locutiones, ac oracula quædam ſimulacrorum, quæ dum pluries loquuntur, obſcuritate ſua loquendo obmuteſcunt, nullo hanc loquelam inter & ſilentium diſcrimine? aut quid teſtamentum Biblia vocavit, dum quæ ibi plura

[e] Ad Rom. cap. 15. verſ. 4.

Digitized by Google

plura teſtatur, interdicta quibuſvis interpretandi facultate, ſuſpenſoque, quo id faciant, afflatu divino ſuo, ſpiſſiſſimis tenebris teſtator idem occuluit? Nil profecto obvoluere ſcripta ſua juvaſſet latebris, dum aptius ne paterent animi ſenſa, tacere poterat. Mittimus perſpicuos duntaxat Scripturæ textus Hebræorum Synagogæ neutiquam fuiſſe ſatis, cui conſtituta Synedrios occulta Legis adeo reſerabat, ut inde ad dexteram declinare vel ad ſiniſtram, longe cuique a Religione cenſeretur.

46 Rectiſſimum igitur, ab obſcuritate plurium locorum ad ſacræ Scripturæ interpretem, ſeu controverſiarum Judicem provocemus, atque aptiſſimum multo eſt: rati ſiquidem fore iccirco, ut ipſiſſimum a Spiritu Sancto intentum ſenſum edoceamur pleniſſime planiſſimeque. Circa quod in primis, rejecto ſupra, [a] contra SchWencfeldium, privato cujuſvis ſpiritu, non inepte exploratum iri exiſtimabis Chriſtianorum veterum fidem, quum ea ipſa fides credentium ſit optima Scripturarum Interpres: qui profecto ſi erraſſent, in ipſam etiam Eccleſiam, quæ illos proſequitur, ex quibus & coaleſcit, quamque alioquin decet non habere rugam vel maculam, refuſam horreremus deformitatem. Atque id non levi quidem motivo fuit, cur inde Patres ad IV. ſeculum apud Socratem laudato loco, [b] quo & utitur THOMASIUS, [c] deſpectis in cauſſa Religionis dialecticæ argutiolis concertationibuſque, hoc Arianis proponerent: velint ne, an non venerari Patres primævos, eorumque fidem ſectari? [d] *quod ſi illos rejiciunt, a multitudine vulgi protinus extrudentur; atque hoc facto manifeſta erit veritatis victoria.*

[a] Num. 16.

[b] Sup.num.3.

[c] Inſtit.Theol. tom. 3.

[d] Ex Hiſt.Eccleſiaſt. Socr. lib. 5. cap. 10.

47 Sed paullo quoque altius præfatum fidei magiſterium apud ipſos Eccleſiæ Paſtores reſidet, Romanum nempe Pontificem, ceteroſque alios ſimul Epiſcopos; quo nimirum ſalubriter concreditum ſibi gregem enutriant ac depaſcant, poſtquam illi quæ bona ſunt, quæque nociva pabula indicaverint. Id quod ſæpius quidem ac luculentius nos docent ipſipſæ divinæ Literæ, ac præcipue illo, quo admonemur loco, [e] defecturam nuſpiam Petri fidem ad fratrum ſuorum corroborationem, infernique portas nec in minimo contra ipſum eo tunc prævalituras. Id ipſum inſuper Sanctorum Patrum conſenſum cum D. Auguſtino [f] ſat prodidiſſe exploratum eſt; ac demum Concilia quæque omnia ab ipſius Eccleſiæ incunabulis nunc uſque ad id muneris jam coacta. Verumtamen in his amplius firmandis, multi modo non ſumus: ſat enim utrorum robur proprius uniuſcujuſq. locus infra exhibebit.

[e] Lucæ cap. 22. verſ. 32.

[f] Lib. 1. contra Creſconii, & 2. Retract. cap. 50.

D 2 DE

DE TRADITIONIBUS.

De his, quæ Apoſtolica dicuntur.

48 ID ſuo nobis firmat teſtimonio Johannes, multa & alia papyro atramentoq. non demandata operatum Dominum; quod nec etiam futurum eſſet, ſi totus orbis volumen portento evaderet, ipſius omnia exaranda geſta ut ſuſciperet. Quæ quoniam facta ejus ex Divo Gregorio [a] doctrina noſtra profecto ſunt, nil conſecutius, quam ſi præter ſcriptum illius verbum, & aliud, non ſcriptum ſolumque traditum intellexerimus, quod ad nos ex Apoſtolis conſtanti ſucceſſione de aure in aurem viva voce transfuſum, fidei doctrinam morumque ſpectet. Quod ſi ſemel noverimus, religioſiſſime obſequemur Paullo, quo loco habet: [b] *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam*: ceteriſque id quoq. ſæpius exhibentibus ſcripturis. Sic ubi forte deprehenderis Calvinum hunc ſibi textum aſſumere: [c] *quæ in lege præcepta ſunt, nec his quicquam vel addamus, vel minuamus*; aut alium quempiam; eum ad ſummum vel de apocryphis traditionibus interpretabere, quæ legi detrahant, & immutent; vel legis hujuſce nomine utramque una comprehendito & literis conſignatam, & verbis traditam, Scripturam Traditionemque.

[a] Homil. 17. in Evangel.

[b] 2. ad Theſſal. cap. 2. verſ. 14.

[c] Ex Deuteronom. cap. 12. verſ. 23.

49 Quam quidem ſufficientiſſimam fore nobis regulam actionibus quibuſcunque, ex eo fit palam, quod nulli ſane ambigendum, quin ſolis traditionibus, antiquior cunctis ſcripturis Eccleſia olim inſtiterit. Fuerunt ſiquidem ab Adamo ad Moyſen, a quo primum conſcripta Lex, toto illo bis mille annorum curſu, veri Dei religioſi Cultores, quique inter alia ſacrificiorum ritum & obſervantiam, futurum Meſſiam profitendum, ſuſcipiendamque maribus circumciſionem, non in membranis ullis vel tabulis inſcripta forſan, ſed in cordibus quaſi impreſſa conſervaverunt. Neque etiam fortaſſe minus obtinuere in Sinagoga Hebræorum ejus olim retentæ traditiones; quibus innixa unis divina plura credebat, ut remedium ab originali labe, tam pro femellis, quas ac maſculos, æque morbidas profitebatur, quam pro iſtis etiam, diem octavum morte prævenientes, ceteriſque aliis exterarum nationum hominibus. Quinimmo ea Ju-

Judæi religione traditiones ſuas proſequuntur, ut alteram ſibi legem, ſub *Miſna* vocabulo, quæ pars eſt eorum Talmud, comprehenſam, eas appellitent.

50 Sed neque Chriſtus, ad Evangelicam legem quod attinet, univerſis ſuam daturus gentibus voluntatem, librum aliquem exaravit, nec quantum legimus præcepit, ut ſcriberetur: [a] *Prædicate*, inquit, non autem Scribite, ut recte Canus [b] hoc loco, *Evangelium omni creaturæ*. Sed etſi Apoſtoli prædicantes reapſe nova erant Scriptura Evangeliumque animatum, quo immerito exigeretur legendus calamus, quorum præſtantior audiebatur tunc lingua; non tamen ubique fuiſſe cenſendi ſunt, iiſdemque ſemper manſiſſe in locis; quare nec illos univerſi fideles ad ſalivam exauſcultaſſe; ſic ut, non niſi per ſolam traditionem crediderint horum plurimi, quod a Chriſtianis aliis deprehendebant, hæc & illa dixiſſe Apoſtolos; tenendum ſit, Eoque unice medio, univerſam omnino terram, qui eorum exivit ſonus, perfecte ac plane decurſam habuit.

[a] Marc. cap. 16. verſ. 15.
[b] Cap. 3.

51 Rectiſſime propterea, ut dicebamus, ac omni omnino Paullus habet jure, tenendas eas, quas accepimus traditiones, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam. Quæ duo Scriptura & Traditio, hoc uno comprehenſa textu, quum ab eodem Deo, falli neſcio, proficiſcantur, utraque hæc juxta divina ſunt, atque in firmandis fidei dogmatibus, inferendiſque Theologicis conſecutionibus æqua pollent auctoritate; ut inde, ſi tibi aliqua *traditio eſt, nihil quæras amplius*, argutetur Chryſoſtomus. [c] Quam dudum normam pleræque aſſecutæ Synodi impiiſſimas Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis, Iconoclaſtarum aliorumque hæreſes traditione potiſſimum confixere ac proſtraverunt. Id etiam quum ſemper Patribus gentile fuerit, tam Latinis, quam Græcis, monumenta quorum recenſent Bellarminus [d] & Canus; [e] nonniſi merito tandem obſervantiam obſequiumq. profeſſa eſt Traditioni Synodus Tridentina, ſummumque juris in ea confeſſa, ut anathema dixerit quibuſcunque ſeſe opponentibus Sectariis.

[c] Hom. 4. in 2. ad Theſſal.
[d] Lib. 3. cap. 7.
[e] Laud. loco cap. 6.

52 Verum eſt quidem vero, non adeo ſtupidos habendos Heterodoxos, ut odiſſe traditiones vere divinas cenſendi ſint: modo enim ea Chriſti Domini fore verba compertum eſſet, nil quidem vel ipſis refert, quod non fuerint ab Evangeliſtis conſcripta. Sed quoniam eos id ſolos noviſſe putant, qui Chriſtum vel Apoſtolos audiere; iccirco nunc fore nullas firmandis fidei dogmatibus arbitrantur traditiones quantaslibet. Quid ni? Si potuere, dicunt, Scripturæ ipſæ injuria temporum, amanuenſiumque oſcitantia talia & tanta vitia contrahere, quo gravem nimis fateatur demandatam ſibi corrigendi provinciam vel Hieronymus; [f] ea minus ſubiiſſe poſtea dixerimus nudas voces, quæ nempe ſolitæ, dum de aure in aurem deferuntur, [*]

[*], vel ipſis faventibus, refert &c.
[f] In Prol. galeato.

aut

aut majores fiant in dies, aut non illæ, quæ prius, perſeverent; ſed mutatis auribus permutentur?

53 Sed ſi Chriſto curæ Eccleſia ſua eſt, jam id apud omnes in confeſſo eſſe debet, ut quemadmodum ob hoc, verbum ſcriptum cuſtodit illa, ita & cuſtodiat quoq. traditum: ob eandem nempe Dei providentiam, qua id potuit recenſita hebræa Sinagoga, & vetuſtiſſimi primorum ſeculorum in lege naturæ Patres. Eoque profecto magis, quod Eccleſia non aliter, quam ſola potuit reſcire traditione, hos atque illos canonicos habendos libros, divinumque in eis ſcriptum præferre verbum. Sed quibus ex multis, quæ tradita eſſe circunferuntur, obſequendum nobis divina fide; hoc tibi, ſi conſulas antiquos Patres, abunde exhibent; ſi Eccleſiæ Synodos, abundantiſſime: porro qui non cunctas, quæ vulgo pronuntiabantur, traditiones, eas æque in Dominicas recepiſſe, ac promiſcue, nullo delectu, credendi ſunt. Qua ratione perpetua Mariæ virginitas, deſcenſus Chriſti ad inferos, infantes baptizandos, non ſic hæreticos, vel ab hæreticis baptizatos, divinitus fuere accepta cum aliis pluribus. Ad quæ ſane omnia collineant tres illæ notæ inſigniſſimæ, dignoſcendiſque veris traditionibus ſatis aptæ, queis Vincentius Lirinenſis [a] (moderandis Theologiæ prologomenis a THOMASIO [b] nobis exhibitus) quoſvis admonitos eſſe voluit: ut id in catholica Eccleſia teneamus, *quod ubique*, *quod ſemper*, *quod ab omnibus traditum eſt*.

[a] Commonitor. 2.
[b] In Indiculo laud. & Inſtit. Theol. PP. to. 3.

De Traditionibus Eccleſiaſticis.

54 Divinas hucuſque expenſas Traditiones, humanæ quædam ſequuntur; quas nimirum, vel ipſi Apoſtoli non ut Chriſti præcones (quo quidem titulo & charactere nunc jam recenſitas pronuntiabant) ſed ut Eccleſiæ Paſtores primique Patres, vel Romani inde Pontifices & ſacræ Synodi, æterno afflante ſpiritu, ad ſibi commiſſi gregis moderationem tuliſſe, noſcendi ſunt. Sed eas, quemadmodum humanæ jam facultatis & plenitudinis, ſic per Eccleſiam diſſolubiles, [c] ac per legitimam, recte noveris, conſuetudinem, aliaſque probatas cauſſas: ut quidem inſignem illam, præ ceteris, abſtinentiam decretam ſervari olim, a ſanguine ac ſuffocato, præceptamq. illam ſub utraque ſpecie communionem. Quin & aliæ, dum fere omnes totum orbem Chriſtianorum ubiq. gentium concernunt, ut notiſſime annua Paſchatis celebratio prima Dominica poſt Martiam quartamdecimam lunam; nonniſi hæ peculiarem Eccleſiam ligare habent ac moderantur, ut olim Sabbatarium jejunium apud Romanos, de quo Ambroſius, [d] a Divo Petro creditum inſtitutum.

[c] *Traditionum Eccleſiaſticarũ aliæ temporales, particulares, & liberæ.*
[d] Epiſt. 118. ad Januar.

Quin

Quin & immo nec omnes, de neceſſitate fidelibus recognoſcendæ præceptæ veniunt, ut aſperſio luſtralis aquæ, ut ſuſceptio ſacrorum cinerum, ac ſimilia; perque quidem, & alia capita a divinis traditionibus, quarum nonniſi omnes [a] perpetuæ ſunt, generales ac neceſſariæ, diſcriminatum iri ſat noveris.

a Traditionum divinarũ omnes perpetuæ, generales ac neceſſariæ.

55 Sed inter humanam quoque, ac humanam traditionem, Eccleſiaſticam nimirum Apoſtolicamque plura tibi reperire eſt, per quæ inter illas diſtinguas, diſcrimines, haud confundas. Quorum tamen unum, aut alterum ſubjungemus, non multis te moraturi; ut ſi quod traditur, profectum ſubſequi videatur Apoſtolorum, jam non erit ambiguum, quominus Eccleſiaſtica dicenda ſit, quemadmodum ſi dominicum, humana erit. Sed aliam abſolutiorem ſternit viam Auguſtinus [b] facilioremque, diſcriminandis hujuſmodi traditionibus accommodiſſimam: *Quod nempe univerſa tenet Eccleſia nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Quam ſane normam ſi attenderis, non tibi Papam Teleſphorum, ſecundo ſeculo, jejunandæ Quadrageſimæ autorem dabis, ſed eum, cum Patribus apud Canum, [c] ab Apoſtolis forte noveris acceptum morem; atque alia id genus multa. Quod vero in moribus dictum eſt, id etiam in fidei dogmatis locum habet, æquamque inibi rationem habere volumus, ſi unumquodlibet eorum, quæ Catholica Eccleſia Chriſti profitetur, novum eſſe Hæretici calumnientur. Hujus rei exemplum quoddam illuſtre ab Euſebio, [d] quod maximi modo tibi & in decurſu faciendum eſt, exhibetur. Eundem iccirco adeas.

b Lib. 1. contra Donatiſtas cap. 24.

c Lib. 3. cap. 4. de locis Theolog., qui & Teleſph. laudat.

d Lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. ultimo.

DE CONCILIIS.

De Autore, & Autoritate Conciliorum.

56 SAcra Præſulum Eccleſiaſticorum comitia, definiendiſque fidei controverſiis moribuſque firmandis jamdiu cogi ſolita, Concilia Latini dicunt, quas Græci Synodos, ac Synedrion Hebræi vocavere. Quarum trium ſane vocum ſi ſpectes etymon, hoc ab eo, retento ordine, repeticris, quo illas a perſonarum concitu, adunatione & conſeſſu, æquo jure duxeris dimanatas: atque ad præſens, non aliud Conciliorum nomine tibi dederis, quam conventum aliquem, ſeu quendam cætum eccleſiaſticum Religionis cauſſa collectum. Iſtius porro jus & originem ad Deum uſque referre nonniſi haberes æquiſſime, cujuſce numine, ne primum illum Apoſtolos auſpicatos, ſed maximis ante annis hebrææ Sinagogæ fuiſſe uſui compertum eſt. Hoc nempe jubet ipſe Dominus Moyſi: ut de ſenibus Iſrael ac magiſtris populi congreget ei ſeptuaginta viros, ſtentque una ipſo ſecum; [a] *ut deſcendam*, inquiens, *& loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis*: atque huc primum collineare videntur multis [b] ea vulgatiſſima Chriſti verba: [c] *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Cujus ſane interventus feciſſe pluries periculum ipſos Apoſtolos conciliis ſuis, nobiſque hujus ſe teſtes exhibuiſſe, atque ad ſimile pandiſſe viam, id quidem in verbis illis ſæpius repetitis, [d] *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: edocemur luculentiſſime.

57 Quæ autem quum vera ſint; ſummum juris ſummamque infallibilitatem num vere Concilia obtineant, quam fons divinus in ea derivet, non ſani eſſet judicii vel quam minimum nunc ambigere. Neque inſuper vulgare extat exemplum, quod, dum eſſet hebræa Sinagoga vel tota peſſimis conflata hominibus, facinuſque omnium maximum per eandem Synedrion meditaretur, ejuſce tamen ſententiam: *expedire* nempe, *ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat*: veram fuiſſe ac divinam teſtatur Johannes, [e] Concilioq. in medio impium Caipham, ut Pontificem, prophetaſſe. Sed negatum fortaſſe dixeris Eccleſiæ noſtræ, quam ſibi in fide Æternum Verbum ſponſavit, quod Ancillæ novimus abunde datum impertitumque? fue-

[a] Numerorum cap. 11. verſ. 17.

[b] Innoc. diſt. 20. can. de quibus, Chalcedonenſi in epiſt. ad Leonē Pontif., Synodo ſextæ actione 17.

[c] Matth. 18. verſ. 20.

[d] Actorū cap. 15. verſ. 28.

[e] Cap. 11. verſ. 50.

fuiſſeque *legem veritatis in ore ejus*, [a] quæ neutiquam in illo Eccleſiæ, cui veritatis ſpiritus in Apoſtolis eorumq. proinde ſucceſſoribus illapſus eſt? Neque ad id forte te moveat qui in ſpeciem videtur opponi Auguſtinus, dum habet, [b] *plenaria Concilia ſæpe priora a poſterioribus emendari*. Sequentia nempe quæ verba facit, expendito; & ſic dignoſces de ſola ad ſummum emendatione legum locutum illum, non fidei; dum nimirum, ut loquitur, *aliquo rerum experimento aperitur quod clauſum erat*. Quo enim aliquid a ſui principio æquum eſt, ut ſanciatur; eo eſt congruum, ut mutatis inde circumſtantiis noviſque accedentibus cauſſis immutetur.

a Malach. cap. 2. verſ. 6.

b Lib. 2. de baptiſm. contra Donatiſtas cap. 3.

58 Sed ubi tanto jure potiri diximus Concilia noſtra; quæ ſuo Papa firmat aſſenſu, hæc intelligas. [c] Is enim eſt, pro cujus *fide* Chriſtus rogavit, quem ſuis inde fratribus *confirmandis* præfecit, quem ſæpius appellavit *Petram*, & ſuper quam Eccleſia *ædificaretur*, & cui iſta ſemel innixa *inferni portas*, nunquam eſſet formidatura. Eamque ob rem Eccleſiam Chriſti non præferet conventus ille qui Petræ huic non adhæſerit, ſupraque illam minimum ædificabitur. Neque etiam fortaſſis *in Chriſti nomine* ſeſe putent id genus Præſules congregatos, ut inde eorum in medio ille interſit, præſumant. Qui nempe hocce conveniunt modo, quo neutiquam præferant reſpectum illius quam Dominus ipſe-met præordinavit inculcavitque, *ſubjectionis* ovium ad Paſtorem & membrorum ad Caput; in ejus ſe plane nomine, ni ſe vellent decipere, haud dicerent coadunatos.

c *Concilia firmitatē ſuam irrefragabilē, accedente ipſis Papa, obtinēt.*

59 Quem porro exigendum eſſe hujuſmodi Pontificium præſidatum adprobationemque dogmatibus confirmandis, exitiales eorum oſtendunt eventus, quæ ſine illo turpiter erravere Concilia. Inter quæ quidem *Antiochenum* & *Mediolanenſe*, queis Athanaſius fideſque in eo Catholica proſcripta eſt IV. ſeculo; atque *CPolitanum* [d] aliud per quod ſacrarum cultus imaginum VIII. fuit ſeculo obliteratus. Immo adeo id conſtans eſt, ut Papa quanquam per ſuos præſens legatos extare poteſt, ut in omnibus *Orientalibus* ac *Tridentino* fuit factum, admoveat adhuc manum Concilio neceſſum habeat, ubi non illi accedunt inſtructi prius & moniti de vero ſenſu Pontificis circa ea quæ ſunt in Concilio definienda: quemadmodum evenit præcipue in laudata Synodo Tridentina. Sed audies nos de hoc iterum.

d Cogitur a Conſtantino Copron., ad mediet. ſeculi VIII: damnatur a Nicæno II.

60 Porro Eccleſiaſticum Concilium *duabus* ſolis comprehenditur ſpeciebus, [e] ita ut aliud ſit *Œcumenicum* ſeu generale, dum ad illud orthodoxi omnes chriſtiani orbis Epiſcopi convocantur, quin tamen ſinguli neceſſe ſit eo conveniant, modo accedat non eorum pars infima vel exigua; & aliud *Particulare*, quod Epiſcopus ſi indixerit, *diœceſanum* dicetur, ſi Archiepiſcopus vel Primas vel Patriarcha, ſuoſq. ſibi ſubjectos ac ſuffraganeos arceſſiverit, *Provinciale* tunc, *Nationale* vel *Patriarchale*

e *Conciliorū aliud œcumenic. ſeu generale, aliud particulare: atque hoc vel nationale, vel provinciale, vel diœceſanum.*

Digitized by Google

chaie vocare erit. Quæ quidem particularia Concilia ſuo quamvis gaudeant æquo jure, quo reis in cauſſa fidei ſententiam proferant (ut præ aliis *Toletanum* I. in Priſcillianum effecit, *Milevitanum* & *Carthaginienſe* adverſus Pelagium) perpetuumque addiderit *Lucius III.* [a] anathema ſic damnatis; ſuopte tamen jure *infallibilitatem* non redolent; obnoxia ſiquidem errori, ſed raro, ſunt, ni ſe Papa convertens ea firmet ac probet. Multa eum Provincialia, illiſq. alia majora firmaſſe ac ſacraſſe liquet; ſolumque ex diœceſanis unum, quod eſt *Complutenſe* ſub Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano, Magiſtrum quendam *Oxomenſem*, quippe male de Eccleſiæ clavibus ſentientem, proſcribens.

[a] Cap. *Ad abolendam* de hæreticis.

De vocante ac vocandis ad Concilia.

61 EO dudum animo commenti ſunt poſt Lutherum ſectarii reliqui, nonniſi unicos *Principes* indicendis eſſe generalibus Eccleſiæ Comitiis, ut *Proteſtantes* Germaniæ Tridentino non intervenerint, quoniam fuerat a Pontifice convocatum. Quin & ab initio rem hujuſmodi ſe habuiſſe nonnulli arbitrati ſunt Catholicorum, inter quos Johannes Doujat. [b] Sed quoniam Paſtoris eſt, pervigilem gregi ſuo ſe exhibere ſalubriterque paſcentem; idque non magis alibi quam ipſiſpſis exercetur plane in Conciliis, ubi quæ paſcua nociva ovibus ſunt, evelluntur, quæque ſana, exhibentur; ejus inde profecto erit ea cogere, cui paſcendi gregis provinciam in abſentia ſua demandavit divinus Paſtor: ni alium in terris Paſtorem dici, aliumque ipſum agere comminiſcamur.

[b] De Prænotion. Canonic. lib. 2. cap. 1. n. 6.

62 Ex eo quidem jus illud in vetuſtiſſimum *Canonem*, quem laudaſſe Nicænum I. eſt autor in literis *ad Felicem* Synodus Alexandrina, quemq. Julius Pontifex *ad Epiſcopos Antiochenos*, ut Apoſtolicum recipit; *præter ſententiam* nempe *Romani Pontificis non poſſe Concilia celebrari*; profectum eſt. Ex eoque unanimis illa *Chalcedonenſium* Patrum exprobratio adverſus Dioſcorum, qui aliam Roma inconſulta generalem coëgit Synodum; [c] id *nunquam factum* ajentium, & *nunquam fuiſſe licitum*. Atque alia id genus momenta plurima penes etiam Socratem [d] ac Sozomenum, [e] Id quod eo interim animo nos volumus eſſe dictum, ut non eamus inficias, quo minus partita Eccleſia *ſchiſmatibus* [f] legitimum Concilium ſit, tametſi abſq. Papa evocatũ. Hoc tamen; ut ſolum ſibi ſchiſmata dirimat Papamque declaret, confringatq. heic fluctus ſuos, facturum reliqua cum ſibi diſcooperto Principio Apoſtolicarum definitionum. Non ſecus quidem ac naturalis potentia, quæ dum per a ſe diſtinctam actionem, quibuſdam Peripateticis, operatur; vim aliam ex ſe non habet, dum ſola eſt, quam ut actionem derivet, conſortio ſemper cujus cuncta eſt mox operatura quæcunque operabitur;

[c] Actione 1.
[d] Lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 8.
[e] Lib. 3. c. 10.
[f] *Tempore Schiſmatis, ſine nutu Papæ, quippe qui tum nullus certus, coguntur Concilia, ut de vero Papa judicent, neq. tunc quidpiam de fide inconcuſſa ſtatuunt.*

63 Ne-

63 Neque tamen nos terrent, quæ in ſpeciem per ſolam Imperialem laicam poteſtatem coactæ primæ quatuor videntur Synodi: ut nimirum per Conſtantinum, Nicænum; per ſeniorem Theodoſium, Conſtantinopolitanum; per Juniorem, Epheſinum; & per Marcianum, Chalcedonenſe. Quod enim ſe immiſcentibus illis, vel conſulentibus actum eſt, non recte ipſis autoribus, jureque proprio interpretaberis illud factum. Admittuntur quidem prophani Principes ad Eccleſiarum comitia, ſed nonniſi, ut ſuo illas favore adjuvent atque protegant, eorundemque interdum conſultationes ad ea cogenda exaudiuntur. Nempe abs re non erit, quo filii matrem conſultent, eique, ubi opus fuerit, ſuppetiis ſint. Sed nec egiſſe ampliores perſonas, quos laudant, Principes, abunde erit ex eo colligere, quod primo habet ſexta Synodus generalis, ubi Nicænum a Sylveſtro coactum liquet; [a] quod Patres Conſtantinopolitanæ in epiſtola ad Damaſum, qua illam huic Pontifici aſſerunt; [b] quod Epheſina ipſa met in relatione ad Theodoſium, qua Cæleſtinum autorem ſuum ipſa prodit panditque ſatis; [c] & quod tandem epiſtola Leonis ad Marcianum præfixa Chalcedonenſi, qua ſe hujus convocatorem ſignificat atque exhibet: [d] quin & contrarium *nunquam licitum, nunquam factum*, eandem Synodum novimus faſſam eſſe.

64 Sed neque Moyſen, cui condendæ ſoli, convocandæque Synedrios jus plenum datum, præfectumque in illa eſſe didicimus, laicum credas, [e] ſimplicemq. populi Ducem & Imperatorem. Sacraturo nempe Aaron in Pontificem, neceſſum erat & Sacerdoti illi eſſe; qualem præterea qui habet pſalmus oſtenderit: [f] *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Sed quid ſi non Sacerdos, ſi laicus Moyſes? Eminentia nimirum illius legislationis divinæ, tantis prodigiis per eum acceptæ indictæque, nil vetuit, quin quemadmodum Sacerdotio Lex præſtat, ſic ipſa Legislatorem Pontifice altius evexerit; per quem is unum inſtitui quoque debuit; ac nil inde profecto planius, fateberis, quam quod (ita dignus per Deum effectus) unus ex omnibus legeretur. Sed ille ceterum, qui lege in antiqua hæc Moyſi dixerat: [g] *Congrega mihi ſeptuaginta viros, qui ſenes populi ſunt ac magiſtri*; dixit idem in nova, non alii plane, quam Petro; non Regi ulli, ſed Epiſcopo Eccleſiæ: [h] *Et tu converſus confirma fratres tuos*.

65 Ex facto autem Moyſis, non alios ad laudata Concilia, quam Paſtores unos, quibus hoc ipſo doceant onus eſt, ſeu ſolos Epiſcopos arceſſendos, qua Judices, ac de jure compertum venit; non enim quoſvis viros ex Iſrael congregandos juſſiſſe Dominus legitur, ſed quos Moyſes ſeniores populi noverat ac magiſtros: eos nimirum tales; cujuſmodi, quo ſuo funguntur munere, Epiſcopi noſtri efficiuntur. Quandoquidem, diſtributis per Paullum in tres quaſi claſſes

[a] Actione 8. & ex Rufino lib. 10. hiſt. ubi dicit actũ eſſe Conc. illud *ex ſententia Sacerdotũ, & nominatim Sylveſtri.*

[b] Dicentes: *mandato literarum a Veſt. Reverentia ad Sanctiſs. Imperat. Theod. miſſarum ad iter Conſtantinop. uſq. nos præparavimus.*

[c] Actione 3. in qua dicit: *antequam Syn. conveniret Cæleſt. I. indicaverat, & Cyrillo, ut ſuas vices ſubiret, commiſerat.*

[d] Hæc verba præferens: *literas dedimus ad Coepiſc. noſtros, iiſq. Conc. gen. indiximus*

[e] De quo Canus lib. 5. cap. 2.

[f] Pſalm. 98. verſ. 6.

[g] Numerorũ cap. 11. verſ. 16.

[h] Lucæ cap. 22. verſ. 32.

Digitized by Google

Apoſtolis, Prophetis & Evangeliſtis, Paſtores una & Doctores, ambos conjungere habuit & colligavit. [a] *Et ipſe dedit*, ſic habet, *quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios vero Paſtores & Doctores*; ut eoſdem omnino eſſe in Eccleſia Chriſti, qui & paſcerent & docerent, deprehenderemus. Huc ergo recidit vox illa Chalcedonenſium Patrum expellendis Dioſcori fautoribus exploſa olim: [b] *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt*. Quo cum ſtat tamen, ut de conſuetudine Cardinales omnes, ac de privilegio, quo Epiſcoporum exuerunt ſubjectionem, Abbates conveniant, & Regularium Generales, ut ſibi ſubditos ab Epiſcopis non amplius repræſentatos exhibeant, totamque ita in Conciliis veneratam habeamus Eccleſiam.

[a] Ad Epheſ. cap. 4. verſ. 11.
[b] Actione 4.

66 Suffragaturum tamen ne putes heterodoxis Concilium illud Apoſtolorum circa legalia, quo ne ſolum videntur Epiſcopi conveniſſe, ſed & presbyteri plurimi, pluresque alii fideles. Id quod ex eo eſt colligere, quod approbatum fuerit, placueritque [c] *Apoſtolis & ſenioribus, cum omni Eccleſia*. Nempe ſi vim verborum antecedentium perpendis, eam tibi totam difficultatem evacuant. Queis nimirum edoceris, hoc genus homines triplex illuc vere ſe contuliſſe, diverſos tamen, diverſa munera ſubituros: Apoſtolos quidem, ut judicarent; rem propoſitam ſeniores diſcuterent; & acquieſcerent fideles reliqui. [d] *Quum enim magna conquiſitio fieret*, (quod ſeniores amplectitur) *ego judico*, cum ſibi coapoſtolis inquit D. Jacobus, & reliqua *tacuit multitudo*. Eodemque inde ſpiritu ſimilem textum interpretaberis, quo præcepiſſe dicitur Divus Paullus [e] cuſtodiri *decreta dogmata ab Apoſtolis & ſenioribus*. Ni forte utrobique aptum ſit, per ſeniores hujuſmodi, alios ab Apoſtolis Epiſcopos deſignari, ad illum nos Petri locum ſic referendo: [f] *Seniores ergo paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*; tantoque magis quod, ut habet Paullus, [g] in eo fuit congreſſu Titus Epiſcopus, non niſi per Seniores expreſſus & comprehenſus.

[c] Actorũ cap. 15. verſ. 22.
[d] Ibidem verſ. 7, 12, & 19.
[e] Ibidem cap. 16. verſ. 4.
[f] 1. Petri cap. 5. verſ. 1.
[g] Ad Galat. cap. 2. verſ. 1.

De Conciliis Apoſtolorum.

67 QUos omnes Divus Lucas relatum ivit Apoſtolorum conventus, appellitandi ipſi Concilia, neglecto rigore, quamplurimis viſi ſunt: ut hi præ ceteris, de [h] ſubrogato Mathia veris ſortibus in locum Judæ prævaricatoris; deque [i] cura viduarum & miniſtrorum electione, ipſamque in rem, ad prophanam ſacramque menſam Diaconibus inſtitutis. Rectiſſime tamen laudatum nuper, ac pleno jure extitiſſe verum Concilium dijudicaveris, ceteriſque Eccleſiæ ſubſequentibus caput

[h] Actor. cap. 1. verſ. 26.
[i] Ibid. cap. 6. verſ. 1, & 6.

put æque ac exemplar ſpectabiliſſimum. Nemo jam neſcit, in hoc Judæos cum Cerintho fuiſſe animo, ut ſibi ſolis promiſſus, miſſuſque Chriſtus id egerit, quo nunquam eum per baptiſmum induendo eſſent Gentiles, niſi prius circumciſi, atq. aliis obſtricti ſimul legalibus, Judæi quodammodo efficerentur. Qui rumor Hieroſolymas Antiochia translatus, in cauſſa fuit, ut eo ipſo anno, qui Chriſti erat quinquageſimusprimus, Concilio convenirent Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, atq. viderint, una cum Spiritu Sancto, non eſſe præfata onera, exceptis paucis, gentibus ſuperponenda. *Decreti cujus Magiſtram BEATAM VIRGINEM* cenſuit doctiſſimus noſter *Novarinus* [a] in uno plurium ſuorum operum egregiorum, *quam Apoſtoli, totuſque conventus conſuluerunt; illius autem mentio non fit, quia non palam, publiceque ſententiam rogata dixit, ſed privatim. Fors ob modeſtiam ſuam a Concilio abſuit, ne præfuiſſe crederetur, & ne deinceps mulieribus anſa in Eccleſia publice loquendi præberetur.*

68 Sed circa eam diſciplinam de novo ediſſe Canones, alioſque aliam concernentes, collecti demum Apoſtoli Antiochiæ perhibentur. Cujus ſane adducendæ rei ſibi primitus dedit copiam Gregorius Piſinuntenſis in ſeptima Synodo generali [b] contra Iconomachos ad finem ſeculi VIII; cui tamen illa parum blandita fuit, multum autem, ac primum omnium Baronius [c] & Binius: [d] quin Apoſtolicas eas ſanctiones ad novem uſque perductas, fuiſſe olim in Origenis bibliotheca per Pamphilium Martyrem reperire, ſuaſioni ſibi fuit Turrianus [e] ex quodam, (loco tamen nullo laudato) quod nactus eſt manuſcriptum. Sed hujus Antiocheni Concilii, quod octavum, atq. ultimum habent, nulla extans vetus memoria, nullumque in antiquis ſacræ hiſtoriæ libris veſtigium, aliudve momentum, quin ipſi Canones, & præſertim octavus de adorandis Chriſti, ſervorumque ejus iconibus, quo tempore ex Tertulliano, [f] interdictum erat fidelibus ſtatuariæ, pictoriæque artibus ſeſe addicere, ne gentibus, æque ſibi efformaſſe idola, apparerent, id ipſum, ut apocryphum reprobat, ac declarat ſuppoſititium; ſuaſumque ſimul eſt nobis coactam prius laudatam Synodum Hieroſolymitanam controvertentis Antiochiæ gratia, inſimulando illi occaſionem dediſſe; quum & inde Antiochiam miſſo Judæ [g] cum Paullo & Barnaba de geſtis in Hieroſolymitano Antiochenos fuerit inſtruere, quo facile circa ipſam materiam ſuppoſiti Canones per aliquos recuderentur. Atque huc ſe potiſſimum retulit Innocentius Primus [h] de Antiochena Eccleſia facturus hæc verba: *Ibi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit.*

69 Sed neque tamen ſcripſiſſe Lucam putandum eſt, (*quem multa hiſtoriographi licentia prætermiſiſſe*, habuit Hieronymus) ſe ſimul quo-

[a] In Act. Apoſtol. expenſ. cap. 15. num. 1097.

[b] Actione 1. ubi primus illorum Canonum citatur *ex Synodo Apoſtolorum apud Antiochiam.*

[c] anno 102.

[d] in editione Concil.

[e] Lib. 1. adverſus Magdeburgenſes cap. 25.

[f] Lib. contra Hermog. cap. 1, & de Idololatr. cap. 3.

[g] Actor. cap. 15. verſ. 27.

[h] Epiſt. 18.

Digitized by Google

quoties Apoſtoli collegere; ut novum aliud ex traditione habitum Concilium non colligamus. Æquum nempe ſuaſu eſt, (quod ab antiquo etiam Rufinus [a] a majoribus ſuis accepiſſe loquitur) ituros Apoſtolos in diſperſionem gentium convertendarum in unum antea ſe contuliſſe eundemque locum, qui de communi fidei profeſſione, quibuſvis fidelibus emittenda, conſulerent, *Symbolum*que unum omnibus adornarent. Atque id exhibitum profecto habeas in eo, quod vulgo *Apoſtolorum* nactum eſt quam rectiſſime nuncupari; dum nullis inſtitutum Conciliis, ſed ſemper retentum eſſe, abunde fuit ſanctis Patribus argumento, quo cunctis retro temporibus Apoſtolicum illud dicerent, omnibuſque Catholicis contra Sectarios explorata res inde eſſet.

a In Præfat. expoſitionis Symboli.

70 Quod quoniam ſimpliciter traditum, juxtaque phraſim Chryſologi [b] *mandatum cordi, non chartæ*, non æque omnibus in Eccleſiis integrum & intemeratum ſervatum eſt, ut hic longe pluribus, atque alibi paucioribus verbis, aut ſententiis [c] apud THOMASIUM in Codicibus Sacramentorum, [d] non legeres conſtitutum. Et ſane ut mittamus cetera; quem Chriſti ad inferos in vulgato habemus deſcenſum, hunc Orientis Symbola, quin & Romanum apud Natalem Alexandrum, [e] non præferunt: niſi quod, ex laudato Rufino, [f] in eo, quod Chriſtus ſepultus dicitur, comprehenſum illum edocearis; quaſi communem legem complexus, nedum in monumento corpus, verum & animam, quoad reſurgeret, in lymbo voluerit conſepultam. Ceterum ubi quandoque in aliis ſymbolis adjecta ſunt quædam, novis hæreſibus eliminandis explicatiora, in Eccleſia tamen Romana, quæ, Ambroſio [g] teſte, *Symbolum Apoſtolorum intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat*; eo id quidem ordine, iiſque ſane verbis, ac ſententiis colitur, quo ab Apoſtolis traditum fuit.

b Serm. 62.
c *Symb. Apoſtolicũ pro variis Eccl. multipliciter recitabatur.*
d Ubi de variis Miſſal. Romano, Goth., Francorum, & Gallic. vet. diſſerit.
e Seculo I. diſſert. 11.
f Ibidem.
g Lib. I. epiſt. 7. ad Siric.

71 Sed quoniam ſermo huc noſter evaſit, animadverſioni tibi abs re quidem non ſumus, nullam Apoſtolorum Symbolo per Nicænum factam injuriam, quod recenſitum Chriſti deſcenſum prætermiſerit; ut paucis ante annis Heteredoxus quidam, aut hoc defeciſſe, aut illud Apoſtolis effutiebat abjudicandum. Atque id ſane; quod ne dum in orientalibus ſymbolis, quæ illis Patribus debuerunt exemplar eſſe, ſed nec in Romano, adeoque nec in Apoſtolico, ipſomet argumento commendationis Ambroſii, expreſſis ſyllabis fuerit declaratus. Hinc ubi THOMASIUS cum præfato deſcenſu Apoſtolicum laudat in ſuo Pſalterio, [h] ad vulgatum ſe retuliſſe credendus eſt, conſtatq. id ex illius abſolutione, quam habet per *vitam æternam*, dum Hieronymus, [i] *in Symbolo*, inquit, *fidei ab Apoſtolis tradito, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione concluditur*.

h Folio 431.
i Epiſt. 16.

De

De Canonibus Apoſtolicis.

72 NUlli dubium, quin ſuam Apoſtoli Chriſtianam Rempublicam, ut aliam quamque bene fundatam alii, partim ſcripto jure partimque tradito, initio gubernarint; ita ut amplam ſuorum feciſſe copiam recenſendorum Canonum ſibi poſtea ſuccedentibus orthodoxis, facilius ſint æſtimandi. Ex eo quidam ferunt Beatum *Clementem* Apoſtolis coætaneum, eorumque Principis ſucceſſorem, nonnullas regulas ad *quintum* ſupra *octogeſimum* numerum, vulgo *Canones Apoſtolorum*, ab iis editas ſeu prolatas in prædicta Synodo Hieroſolymitana aut in *ſummo Sionis* (ut quidam *Codex Arabicus* Bibliothecæ *Bodlejanæ* per Willelmum Beveregium [a] nuper exhibitus) renunciaſſe *græco* ſermone, ac VI. deinde ſeculo *Dionyſium* [b] monachum Scytham, cognomento *Exiguum*, utranq. percallentem linguam, *latinam* earundem interpretationem adgreſſum eſſe.

73 Verum *Gelaſius* Papa in Concilio Romano [c] ad annum 94. ſeculi V. tres librorum ordines quum recenſuiſſet, amplexuſque eſſet in primo *canonicos* omnes, utrunque ſcilicet teſtamentum; pluresque alios non canonicos, ſed per Eccleſiam *probatos* in altero, ut acta Conciliorum pleraq. opuſcula SS. Patrum; repoſuit in tertio *rejectos*, inque eo laudatos Canones his hiſce verbis; *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus*. Quem quidem Pontificem non diſtinguentem inter hunc & hunc librum (quemadmodum inter Evangelia *Divi Lucæ*, dum ſolum illud per *Marcionem* interpolatum expungit) interq. hos & hos Canones, nullum propterea quam apocryphum in re hac agnoviſſe Codicem, nullum ejuſdem *authenticum* crediiſſe unquam canonem, omneſque ad unum inter conficta amandaſſe, tenendum eſt. [d]

74 Atque id jure merito: dum altum de re ea *ſilentium* primoribus Eccleſiæ ſeculis non ignobile falſitatis eorundem, ſeu ſuppoſitionis ac fictionis argumentum eruditis ſuppeditare, in confeſſo plane eſſe deberet. Siquidem ſtantibus illis, *Origenem* qui *ſe abſcidit*, piiſſimum tunc eruditiſſimumq. virum, ſcholæ jam Alexandrinæ Eccleſiæ præfectum ad teſtimonium Euſebii, [e] fugere neutiquam debuiſſent Apoſtolici Canones a *viceſimoprimo* ad *tertium* diſtricte lati in quoſvis ſe devirantes; neque illum *Demetrius* ejus Patriarcha bono animo juſſiſſet eſſe, [f] neque alius quiſpiam eum hominem violati Apoſtolici decreti reum, cogente ceteroquin æmulatione, tam alte reticuiſſet. Quinimmo & pſeudapoſtolicos ipſos Canones ſuis-met damnari dogmatis deprehendes, ubi tu vel leviſſime eorum plures expendere in animum induxeris. Cujus quidem rei promtum periculum ut facias, unum ſolum & alterum ne conſlemus nobis invidiam, deſignabimus examinandum. Enim vero, quid ſibi aliud vult quam errorem manifeſtiſſimum Canon ille *quadrageſimus ſextus* de rebaptizandis hæreticis contra ſententiam

Ste-

[a] In Pandectis Can. t. 1.

[b] Ut in ſua Collectione.

[c] Ut in Can. *Sancta Romana* diſt. 15.

[d] *Perperam igitur Gratianus in fide cujuſdam Iſidori qui Pontificum decretales confinxit, pro his Canonibus Zephyrinum laudat*, diſt. 16. can. 2. *Et licet ante Iſidorū nonnulli* regulas antiquoſq. Canones *recordentur, nō hos Apoſtolicos ſpectant, ſed* Conciliares *alios, aut* praxim paſsī Eccleſiæ; *ſic Nicena Syn.* can. 13. legem antiquā *vocat, qua cuiq. in extremis viaticū conceditur: ſic Ancyrana can.* 21. priorē definitionē *dicit qua fornicariæ perimentes fætū in utero ab Eccleſia perpetuo arcentur: quæ tamen nec in his Canonibus Apoſtolicis, nec in aliis Conciliis legūtur.*

[e] Lib. 6. c. 7.

[f] Ex eodem Euſeb. ibid.

Digitized by Google

Stephani Papæ, quippe oppoſitum adverſus Cyprianum & Afros, Firmilianumque, & Aſiaticos definientis? Tantoque magis, quod defectus inibi verborum nullus in cauſſa eſt, ſed nuda & ſola cum Sectariis inhibita Orthodoxis communicatio, maximeq. divinis in rebus: *Quæ enim*, ſic ille habet *conventio Chriſti cum Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quid ille alius *ſexageſimusquintus* de vetito Sabbatario jejunio ac diei dominicæ, dum a temporibus Apoſtolorum obteſtantibus Ambroſio [a] & Auguſtino Sabbatum ipſum a Romanis jejunabatur?

75 Porro heic nobis mentem noſtram confirmaturis aptiſſima ſunt Cardinalis *Humberti*, ex *Panhormitano* Archiepiſcopo [b] Antiſtitis Sylvæ candidæ, famoſa verba in græcum illum *Nicetam*, Sabbatarium jejunium ex eo Canone latinis objicientem: (quæ profecto non erunt minus accommoda obtundendo cuidam qui ex eo-met loco abſtinentiam illam *die Palmarum* criminabatur, quam paucis retro annis exemplo Chriſti per illum integrum juxta Bonaventuram jejunantis, [c] cunctis *Meſſanæ* expoſuit venerabilis memoriæ ex noſtratibus *Auguſtinus Marino*, autoritateque virtutum ſuarum obtinuit piiſſimus vir, ac de qua Orator inſignis *Innocentius Raphaël Savonarola* [d] congregationis ejuſdem vindicias habuit) *Hoc* [e] nimirum *adſerere conaris ex APOCRYPHIS libris & CANONIBUS pari ſententia SS. Patrum* [f] *repudiatis*; & paullo poſt: *Unde nos quoq. omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum FABULOSAS TRADITIONES, quia non ſunt ut lex Domini*. Qui quidem doctiſſimus Cardinalis qua Legatus Apoſtolicæ Sedis, ut erat Leonis IX, id reponens, eam illius fuiſſe mentem patefacit, omnemq. dubitationem tollit. Arctiſſime proinde præcluſa via cum Turriano [g] illis eſt, qui rejectos eſſe a Romana Synodo effutiunt, quos unos Apoſtolicos Canones commenti olim fuere, uti ajunt, *Priſcillianiſtæ*. Nimirum eos quos Humbertus ad apocrypha amandatos a Patribus hoc loco meminit, non e Priſcillianorum unquam codicibus, ſed ex illo *Orientalis Eccleſiæ* quæ noſtros hos Canones in *Trullana Synodo* [h] jam ſuſceperat, laudare Nicetas debuerat.

76 Sed quibus ea tandem inſcribenda veniat *collectio*, abunde *Iſidorus Hiſpalenſis* per ea quæ ſunt a *Gratiano* in Decretum [i] relata verba, ineunte ſeculo VII. id edocuit: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum* (ſic ait) *Sedes Apoſtolica non recipit, pro eo quod ab HÆRETICIS ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur*. Verum non ante *Firmiliani* tempora fuiſſe collectionem iſtam congeſtam, id tu ex eo tibi ſuadeas-ſis, quod nullum, quum duos habuiſſet aptiſſimos pro rebaptizandis hæreticis, Apoſtolorum Canonem tum quum maxime ſententiæ ſuæ expediebat, in medium adduxerit. Quo fit, ut ad ſummum ſub illius ævum conſignari primitus poſſit. Et quidem creditur auſpicium ſumſiſſe ad annum 58. ſeculi III. occaſione *Iconienſis* Concilii pro dicto firmando errore [k] a Firmiliano coacti, dum ſextus & ſeptimus

a Loco laud.

b Ex Roccho Pirro in not. Eccl. Panhorm.

c Tom. 6. in medit. vit. Chr. cap. 71.

d In opuſc. quod inſcrip. *Breve notizia dell'Aſtinenza nella Domenica delle Palme* Meſſanæ 1726. *Poſt quod Pontificias etiam* indulgentias *a Benedicto XIII. pro ea die jejunantibus obtinuit*.

e Tom. 4. Biblioth. PP.

f *Qui nempe cu Gelaſio Romanæ Synodo interfuerunt.*

g In op. laud. adverſ. Magd.

h Can. 2. *Quæ quidem Synod. Trullana, ideſt Canones ſextæ Synodi, adprobata tandē per* Hadrianū *creditur, quod ex Gratiano* diſt. 16. can. 5. ſextā Synodum *ſe recepiſſe dicat* cū omnib. Canonib. ſuis: *attamen in Verſione Anaſtaſii Biblioth nō ſic legitur, ſed, ſex* Synodos &c.

i Diſt. 16. c. 1.

k Ex epiſtola Firmiani ad Cyprian.

mus

mus a quadrageſimo præfati Canones eam ſententiam non modo exhibent, ſed inculcant. Commentitia inde res eſt, quam in fide Sixti Senenſis [a] in ſua retulit Bellarminus, [b] cum aliis. Tertulliano videlicet ſub finem II. ſeculi, eos ipſos innotuiſſe Canones in his verbis contra Praxeam: *Canones Apoſtolorum eſſe vobis per manus traditos*. Sed illam inſuper non vulgaris arguit falſitatis, & imposturæ, quod, animadvertente Natali Alexandro, conquiſitus diligentiſſime citato loco; nec ſimilia ille verba ſcripſiſſe deprehenſus ſit, nec uſpiam alibi deprehendetur.

[a] In Biblioth. ſancta verb. Clementis Canones Apoſt.
[b] Lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. verb. Clement.

77 Meminiſſe vero recenſitorum, in ſuis decretalibus, Romanos primos Epiſcopos, ac Zephyrinum præſertim, cujus & Gratianus in Can. ſexaginta, [c] opus ſane fuit, atq. id celeberrimum, Iſidori cujuſdam Mercatoris, qui ſub initium IX. ſeculi Summorum Pontificum decretalium ad Siricium uſque, primam habuit omnium collectionem. Qui quidem vir (non patimur te hic latere) pſeudepigraphorum inſignis parens quam frequentiſſime dici ſolitus, ac talis tantuſque habitus, ut quidquid ex ejuſdem elucubrationibus exire erat, *ex officina impoſtoris* exiiſſe, ſolenne fuerit. Miraberis profecto & ipſe, ut deprehendes, nullam noſtrorum Canonum habitam mentionem in antiquis Romanorum Antiſtitum documentis, quæ a Patribus recenſentur, ſolumque id penes unum unius Mercatoris codicem abundantius adinventum, & apertiſſime. Qui porro ex eo id agere ſolum potuit, quo ventilatam tum controverſiam noſtram præſentem, commento ſuo ſic fortaſſe dirimeret.

[c] Diſt. 16.

78 Sed ubi antiquos plures, ut Tertullianum, Origenem, [d] Baſilium [e] atque alios, aliaſque etiam Synodos Iconienſi anteriores, id quoque idem, quod in Canonibus Apoſtolicis, decreviſſe dignoveris; in tua ſententia ne quidem vel parum hæſites; ſed ex alio id repetant loco, quem in Bibliis legimus, ſuadearis; vel præfatos neutiquam ad illos Canones intendiſſe unquam digitum, ſed ex adverſo ad recenſitos Patres, & Synodos prædictorum Canonum Conſarcinatores ſe retuliſſe; quippe quibus non paucas vetuſtæ diſciplinæ regulas & traditiones in illam eorum inſedit animo collectionem conjicere.

[d] Lib. 3. contra Celſum.
[e] Ad Amphiloch. epiſt. 1. cap. 3.

79 Verum enim vero quum jam præfatis Canonibus utilia quæque plurima non deeſſent, quædam poſtea conſtituta Pontificum ex ipſis aſſumta eſſe videntur; ut ex Dionyſio Exiguo [f] præfert titulus *Creſconianæ* collectionis apud Baronium; [g] quin per illum in cenſum latinæ Eccleſiæ, quinquaginta ſolum prioribus, ut ipſi erant apocryphi, motu proprio relatis (æque quidem ac Gratianus apocryphorum non pauca invexit poſtea in decretum ſuum) ſenſim deinde plures obtinuere. Cujus ſane rei tibi in præſens autorem venerari eſt Urbanum ipſum Secundum, dum habet: [h] *Canonum Apoſtolorum autoritate Orientalis,*

[f] In præfat. ſuę collection.
[g] Anno 102. §. 10.
[h] Apud. Gratiani adnotat. in Can. Præter diſt. 32.

talis, & ex parte Romana utitur Eccleſia. Sed & planius Cardinalis Humbertus ſub Leone IX. citatus a Gratiano, [a] rem eam expendit his literis: *Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda*. Quæ quinquaginta capitula, ſi ad ſolos hos noſtros Canones coarctata velis, ex omnibus octogintaquinque indiſcriminatim hinc inde excerpta dijudices, ut locum habeat in quadrageſimumſextum & ſeptimum de baptiſmate hæreticorum rectiſſime ſupra-lata cenſura, inque alios æque rite expungendos.

[a] Diſt. 16. can. Clementis.

80 Hinc ubi pluries lingua Patrum Pontificumque decreta illa, ut Apoſtolica, deprehenderis recenſeri, jam ut ad eos ſolum referas es præmonitus, qui talia vel ſuſcepere, vel quidem præordinarunt, Apoſtolicos viros, quales omnes Pontifices, ac Synodici quoque Patres: non ſecus ac ſummorum literæ Antiſtitum Apoſtolicæ nuncupantur. Sed & quanquam quædam etiam poſteriora Concilia a Trullano [b] VIII. ſeculo, ad Tridentinum [c] XVI, Urbanus etiam relatus, aliique Pontifices, Canones eos noſtros, quos amplectuntur, Apoſtolorum nomine inſigniant; nullo id tamen Criterio cenſuraque nulla, quæ ad rem non erant, prolatum ſatis intelligas, ſed eos ſub nomine Apoſtolorum citaſſe, quia, ut ita citarentur, dudum inoleverat uſus.

[b] Canone 2.
[c] Seſs. 25. cap. 1. de reform.

De Conſtitutionibus Apoſtolorum.

82 QUam tibi Apoſtolis abjudicandorum Canonum fecimus rationem, ea nunc impellit, quo eiſdem aſſertos, æque ac Clementi, *octo libros Conſtitutionum* [d] quarundam, proximiſq. ab hinc ſeculis per Bovium, ac Turrianum latinitate donatos, ab eis potiori jure, hos eliminanes: exemplo enim tibi, ut id facias, totiſq. viribus, quin & ſententiæ eſt, recenſitus [e] nuper, Humbertus, ubi Nicetas ex eo non modo Canone, ſed ex quinto & ſeptimo horum librorum ſabbatariam abſtinentiam in Romanis execrabatur; quem ille repudiatos libros, & Canones laudaviſſe, ut vidimus, objurgavit, inſectatus eſt. Ceterum non eo dementiæ, quin & perfidiæ perductos habeas Chriſti Vicarios, ut Chriſtiana minorem doctrinam ſuis inſeruiſſe in operibus facile ſuadearis; nec te tantæ blaſphemiæ, ut iſtud judices, reum modo reddas. Nempe tot illi ſunt, quibus ſcatent erroribus, ut multi recenſendo fieremus: unum inde, vel alterum exhibebimus. Nimirum quartum conjugium ſcortationem decernere; [f] infidelis ancillam, huic poſſe ad libidinem indulgere, [g] & oblectari; col-

[d] Eas cũ Conciliis Surius & Binius in primis Concil. edit. evulgarũt.
[e] Ut ſupra n. 75.
[f] Lib. 8. c. 32. dictarum Cõſtit.
[g] Ibidem.

latum-

Digitized by Google

latumq. ab hæreticis qua in fruſtra datum, [a] baptiſmum reiterandum, atque alia id genus ſuppoſitionis plurima argumenta, & tam inſignia, quo valde improprie extorqueant illa, neceſſum eſt, ne ab eis torqueantur vindicaturi quicumque. *Quare bonas horas*, ait doctiſſimus Chriſtianus Lupus [b] ad rem ipſam hanc noſtram, *quam illis vindicandis, melius locare potuerant Carolus Bovius, & Franciſcus Turrianus*

84 Id autem nos non præterit, Trullanam Synodum [c] (quæ rationem ad ultimum pſeudapoſtolicum Canonem habitura, hujuſmodi Conſtitutiones, quum inibi commendentur, non diffitetur) fuiſſe verum, quod eas temerarint hæretici, conqueſtam ſatis, ac maxime doluiſſe. Miramur tamen, quod dum ſolos eos depravare poterant heterodoxi, quos ad manus haberent Codices, ſic illos omnes, quos Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa habitura fuiſſet, ac univerſos corruperint, illorumque id ab incunabulis attentarint! Nullus ſiquidem Trullanæ alius ſincerus Codex, cujus ope vitiatum, de quo queritur, expiaret; nullusque antea Patribus, qui genuinus, ac forte nullus earum Conſtitutionum Codex omnino fuit: ipſarum nempe autoritate, opportuna ſæpius, ne dum uſi nunquam, (ut quum iidem de ſpiritualitate Angelorum [d] dubitavere) ſed contra ipſas (ut feſtum Paſchæ Aſiaticis [e] PP. hebraico [f] more) leguntur doctrinas habentes ſuas. Quod & profecto argumento non levi eſt, eas ex integro per hæreticos, primiſque ſeculis fortaſſe poſteriores, affictas eſſe, ac ſuppoſitas.

83 Eam ob rem falſi ſunt, qui putarunt, incautique umbra decepti, extare nobis ex adverſo Athanaſium, ipſique Conſtitutiones eas ſat probari, dum [g] *Apoſtolorum doctrinam*, *& Clementina* ſimul, utrumque protulit vel expreſſius. Abſolviſſe enim prius opus erat lectionem totius ratiocinii, quo concluditur: *Eos omnes libros cognitionis gratia fuiſſe expoſitos*, *ceterum nothos eſſe ac reprobos*; quam ita cito, primiſque ſyllabis falſo captos, Clementinorum nomine hallucinari: quæque ceterum Clementina hos octo libros conſtitutionum Apoſtolicarum Clementi aſſertos, controverſoſq. ſpectare minus, poſt Uſſerii [h] animadverſionem, explorata res eſſe debet. Sed & quas Epiphanius [i] ſub IV. ſeculi finem citatum ivit Apoſtolicas conſtitutiones, a noſtris profecto abſimiles, ac plane quidem diverſas, hæ *dubiæ*, fatente ipſo, *apud multos ſunt fidei*, jactumq. ab his anathematiſmum in affligentes die dominico jejunio [k] animam ſuam, elidimus equidem, quo infirmentur, amandenturque in apocrypha, ex uno ſatis Hieronymo, teliſq. illis, eo ſuggerente, nonniſi quam Paulli pectus, fideliumq. ſecum primorum, ceu ſcutum opponimus impenetrabile, remittenſq. in ſagittarios exploſam frameam: [l] *Apoſtolum Paullum*, ſic ille, *& cum eo credentes diebus Pentecoſtes*, *& die Dominico jejunaſſe*, *in actibus Apoſtolorum legimus*.

[a] Ibid. lib. 6. cap. 15.
[b] Parte 2. ad Can. 2. Trull.
[c] laud. can. 2.
[d] Dubiũ hocce PP. ſane nõ concepiſſent; quum his in Conſtit. lib. 6. cap. 11. anima noſtra definiatur incorporea.
[e] Quum tamẽ in his Conſtit. lib. 5. cap. 16. id vetetur.
[f] Ab Aniceto Papa ad Victorem hujuſmodi viguiſſe in Aſia ritum prodit Irenæus epiſt. ad Victor. apud Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 26.
[g] In Synop. ſacr. Scrip.
[h] In diſſert. de epiſt. S. Ign. Mart. ubi ex Anaſt. Bibl. diſtinguenda legit Clement. hæc, & Conſtit. alioquin ſane confundenda; quin ex eodem Anaſt. ambo apocr. amandantur.
[i] Hær. 70.
[k] His enim Epiphanianis conſt. habetur: *Qui afflixerit animá ſuá die dominico maledictus eſt.*
[l] Epiſt. 28. ad Lucinium.

84 Ce-

Digitized by Google

84 Ceterum quum eo ipſe devenerit calliditatis, aſtutiæque illarum autor, ut e genuinis Apoſtolorum codicibus, ipſius Clementis, aliorumque Patrum, non pauca deſumſerit & exſcripſerit, quæ in ſuam conſarcinaret collectionem; nulli ex eo dubitandum, quin Patres aliqui, dum ex alio quædam loco repetierunt, ad illas pſeudapoſtolicas ordinationes incautis ſeſe referre videantur. Ita quidem (quos habemus ad manus) Hieroſolymitanus Cyrillus, [a] dum e Clemente ipſo Phœnicis narrationem expendit, quam & in fictis conſtitutionibus, [b] & in germana illius ad Corinthios epiſtola reperire eſt; ita & Dionyſius Alexandrinus, (quo ſe moveri venditat Photius [c] ad eas in ſolidum, contra fidem Trullanæ Synodi, qua ſuæ cauſſæ faventes, recipiendas) dum nempe apud Euſebium [d] de quadam oblata ſibi, differens, viſione, ad *Apoſtolicam vocem* (ut ait) ſeſe refert ſubjungens: *Sitis veluti Trapezitæ, qui argentum probant*; quod & in libris præfatis, & apud Lucam [e] adjuncto Paullo, [f] juxta commentum Origenis [g] aliorumque in hæc verba: *Servandum eſſe illud Jeſu mandatum: Eſtote probi Trapezitæ; & Paulli doctrinam dicentis: Omnia probantes*: cetera; ut animadvertere potes, adinvenitur.

a Catech. cap. 18.
b Lib.5. cap.6.
c In ſua Biblioth. co. 112.
d Lib.7. cap.6. hiſt. Eccl.
e Cap.19. verſ. 13. ubi dicit: *Negotiamini dũ venio*.
f 1. Teſſal. cap. 5. verſ. 21.
g Tom. 19. in Johan. cap. 8.

De Generalibus Eccleſiæ Conciliis.

85 Propoſitæ brevitatis ratio nedum finit, ſed jubet, quæ minora ſunt generalibus, Concilia hic in præſens mittamus, in decurſu forte expenſuri. Neque etiam ad ea recenſenda urgere ulla poſſet, quæ foret gravis neceſſitas; dum plurima eorum, quæ magna in his videbantur, excerpta ex illis, ſibi ſubinde inſerendo ipſa Œcumenica [h] fecere ſua. Horum numerum ad decem & octo perductum, utriuſque Orientis Occidentiſque Eccleſiæ congreſſus a IV. ad XVI. ſeculum complecti noveris; quorumque octo prima quum Græcam ſpectent, quæ remanent Eccleſiæ Latinæ ſunt. Fuere quoque & alia duodecim, quorum quinque approbata ſolum ex parte, inter quæ Conſtantienſe, ac Trullanum; unum autem nulli judicio, ut ſatis conſtet, ſuppoſitum, quodque Piſanum primum; alia tandem ex toto rejecta, ut alterum Epheſinorum, quod *latrocinale*, ſeu *prædatorium* dicunt. Horum omnium, tibi opus facturi gratum, ſecundum temporum chronologiam, ac cetera ipſa ſpectantia (quæ nuper doctiſſimus vir, & immodicæ eruditionis Philippus Labbè Soc. Jeſu Theologus, aſcitis ſibi ejuſdem ponderis ſociis perfectioniſque, in ſua quæſitiſſima collectione [i] animadvertit) regeſtum ſubjungimus; quo quidem uno, moleſtia declinata prolixitatis, exinde brevibus inſtruaris.

h *Quæ vox juxta phraſim Eccl. Pontificiã prorſus approbat. ultra convocation. gener. redolet.*
i *Accedentib. in præſ., curãte Nicolao Coleti (ultra plur. præf. obſerv. et adnot. ut Binii, Sirmõdi, noſtri* Galani, *Pagi, Mabill. Holſten.* Fontanini, *Maffei, & alior.) additionibus Balutii, Hard. aliorũq. ex Annal. Bertin., nec nõ diſſert. Petri de Marca.*

GE-

Digitized by Google

GENERALIUM ECCLESIÆ CONCILIORUM SERIES RECENSETUR.

Concilia Œcumenica univerſim probata.

An. Æræ vulgaris.	Concilia.	Patres.	Pontifices.	Imperatores.	Cauſſæ Synod.
325. I.	*Nicænum I.*	*Epiſcopi* 318.	*Sylveſter* Leg. Oſius [a] Cordubenſis Epiſcopus, Vitus & Vincẽtius Presbyteri.	*Conſtantinus Magnus*	*Arius* Verbi Divinitati infenſus: Eccleſiarũ de tempore celebrandi Paſchatis diſſenſio: nec non Meletii ſchiſma.
381. II.	*Conſtantinopolitanum I.*	*Epiſcopi* 150.	*Damaſus* Leg. [b] Nectarius Patriarcha Conſtantinopolit. vel Timotheus Alexandrinus.	*Theodoſius Senior.*	*Macedonius* In Spiritum Sanctum blaſphemus.
431. III.	*Epheſinum I.*	*Epiſcopi* 200.	*Cæleſtinus I.* Leg. Cyrillus Patriarcha Alexãdrinus, Projectus & Arcadius Epiſcopi, nec non Philippus Presbyter.	*Theodoſius Junior & Valent.*	*Neſtorius* Duarũ in Chriſto perſonarum aſſertor, quo proinde B.M.V. Chriſtotocon, non Theotocon, impie appellitabat.
457. IV.	*Chalcedonenſe.*	*Epiſcopi* 630.	*Leo I.* Leg. Paſchaſinus, Lucentius & Julianus Epiſcopi, ac Bonifacius Presbyter.	*Valentinianus et Marcianus.* [c]	*Eutyches & Dioſcorus* Divinam duntaxat in Chriſto naturam profitentes.
553. V.	*Conſtantinopolitanum II.*	*Epiſcopi* 265.	*Vigilius.* Præfuit Eutychius Patriar. CP. annuẽte Papa, qui ſuggeſtam ab illo Syn. prob.	*Juſtinianus.*	*Origenes* [d] Plurium contra fidem errorum autor: nec non trium Capitulorum cauſſa diſcutienda.

a Oſiũ non Romani Põtif. ſed nomine proprio, Conc. præfuiſſe ob ſingularẽ meritorũ præſtãtiã perperã ſibi perſuadet Launojus Doctor Sorbon.

b De legat. Põtificia ad hoc Conc. deſtinata apud Collectores res ſatis obſcura eſt. Favet Timoth. 8. ſyn. act. 6.

c Recte haud divinant, qui Pulcheriã quoque Auguſt. Sextæ actioni hujus Syn. interfuiſſe comminiſcuntur.

d Cognitionem de Origene præmiſſam fuiſſe trium Capitul. diſcuſſ. plurib. monum. demonſtrant Noris & Pag. cõtra Pet. de Marca in diſſert. de quinta Syn.

Digitized by Google

An. Æræ vulgaris.	Concilia.	Patres.	Pontifices.	Imperatores.	Cauſſæ Synod.
681. VI.	*Conſtantinopolitanum III.* a	*Epiſcopi* 279.	*Agatho* Leg. Theodorus & Georgius Presbyteri, Johannes Diaconus, atq; Conſtantius hypodiaconus.	*Conſtantinus Pogonatus.*	*Monothelitæ* Unam tantum Chriſto voluntatem & operationem tribuentes.
787. VII.	*Nicænũ II.*	*Epiſcopi* 350.	*Hadrianus I.* Leg. Petrus Archipresb. & Petrus Abbas S. Sabæ.	*Conſtantinus & Irene.*	*Iconomachi* Sacrarum Imaginum hoſtes.
870. VIII. b	*Conſtantinopolitanum IV.*	*Epiſcopi* 202.	*Hadrianus II.* Leg. Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus.	*Baſilius.*	*Photius* Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor exauctorandus anathematizandusque.
1123. IX.	*Lateranenſe I.*	*Epiſcopi circiter* 300.	*Callixtus II.* Preſens ipſemet fuit.	*Henricus.*	Palæſtina atque Hiſpania ab Infidelium tyrannide liberanda: item querela inveſtiturarũ: nec non diſciplina Eccleſiaſtica reſtauranda.
1139. X.	*Lateranenſe II.*	*Epiſcopi fere* 1000.	*Innocentius II.* Præſens.	*Conradus III.*	Schiſma Petri Leonis Antipapæ abolendum, erroreſque Petri de Bruis & Arnaldi de Brixia proſcribẽdi.
1179. XI.	*Lateranenſe III.*	*Epiſcopi* 302.	*Alexander III.* Præſens.	*Fridericus Ænobarbus.*	Schiſma trium Pſeudo-pontificum Octaviani, Guidonis ac Johannis confringendum, & hæreſis Waldenſiũ atque Albigenſiũ convellenda,

a Acta hujus Conc. ſincera produntur a Combefiſio in hiſt. Monoth., & Chr. Lupo in diſſ. de 4. ſyn. gen., quanquam Baron. ea exiſtim. corrupta.

b Horum octo Græc. Conc. obſervantiá Pontifex in ſolenni ſua inauguratione proteſtatur: quin & priora 4. non ſecus ac 4. Evang. recipienda propon. Gregor. M. can. 1, & 2, diſt. 15.

An.

An. Æræ vulgaris.	Concilia.	Patres.	Pontifices.	Imperatores.	Cauſſæ Synod.
1215. XII.	*Lateranenſe IV.* [a]	*Epiſcopi cum aliis PP. fere* 1285.	*Innocentius III.* Præſens.	*Fridericus II.*	Terra Sancta a Turcis recuperanda: Albigenſ. & Almarici hæreſes reprimendæ, errorq. vulgo Abb. Joach. corrigendus.
1245. XIII.	*Lugdunenſe I.*	*Epiſcopi* 140.	*Innocentius IV.* Præſens.	*Fridericus II.*	*Fridericus* idemmet ad lineam reducendus: & exped. in Terram Sanctam.
1274. XIV.	*Lugdunenſe II.*	*Epiſcopi cum aliis PP. circiter* 1000.	*Gregorius* X. Præſens.	*Rudolphus.*	*Græci* cum *Latinis* componendi, ac Terræ Sanctæ recuperatio.
1311. XV.	*Viennenſe.*	*Epiſcopi* 300. *& amplius.*	*Clemens V.* Præſens.	*Henricus.*	*Templariorū* equeſtris Ordo ob pleraq. horrenda crimina [b] extirpandus: Petri Johan. Olivi, Beguard. & Beguin., Fraticell. & Dulciniſt. errores damnādi.
1438. XVI.	*Florentinum.*	*Epiſcopi* 141.	*Eugenius IV.* Præſens.	*Sigiſmundus.*	*Unio* Latinos inter & Græcos ſtabilienda.
1512. XVII.	*Lateranenſe V.*	*Epiſcopi cum aliis PP.* 114.	*Julius II.* mox *Leo* X. præſ.	*Maximilianus*	*Pax* Eccleſiæ diris vexatæ ſchiſmatis reſtituenda, morumq. diſciplina reſarcienda.

a Quod ob numer. PP. ſolito majorē per antonom. abſolute Generale laudatur: ipſiuſq. Canon. Innocentio III. potius adſcribendos fallitur Dupin.

b Quæ falſo imputata, falſo putat Johan. Villani vano quodam rumore deceptus, cui & ſuccubuit Divus Antoninus Chron. par. 3. tit. 21. cap. 1, §. 3.

An.

An. Æræ vulgaris.	Concilia.	Patres.	Pontifices.	Imperatores.	Cauſſæ Synod.
1545. ad 1563. a XVIII.	*Tridentinum.*	*Epiſcopi cum aliis PP. fere* 255.	*Paullus III.* incep. ejus Leg. Cardd. de Mõte, Cervin. & Poluſ. *Julius III.* contin. ejus Leg. Card. Creſcentius, Epiſcopi Pighnius & Lippoman. *Pius IV.* abſolv. ejus Leg. Cardd. de Mantua, Seripand., Varmienſis & Simoneta.	*Carolus V.* mox *Ferdinãdus I.*	*Lutherus & Calvinus*, aliiq. hæreti immanes ſuas blaſphemias, præcipue cõtra Sacramenta, liberum arbitrium, & indulgentiã ſpargentes.

a *Bellica inter Car. V. & Frãc. I. Gall. Reg. diſſidia, hæc cauſſa; cur 10. & 8. ann. ſpatio intermiſſũ Conc. diuturnius anteactis duraverit.*

Concilia Generalia ex parte tantum probata.

357. I.	*Sirmienſe.*	*Epiſcopi fere* 300.	*Liberius.*	*Conſtantius.*	Hæreſ. Photini dãnatio; quæ *approb.* & Arianæ fidei formula; quæ *reprob.*
692. II. b	*Conſtantinopolit. Trullanum dictum Quini-ſextum.* c	*Epiſcopi incerti numeri.*	*Sergius I.*	*Juſtinianus junior.*	Can. duo ſupra 100. pro Conſtit. Eccl. conditi, quorum aliqui *approb.* alii *reprob.*
1414. III.	*Conſtantienſe.*	*Epiſcopi cum aliis PP. fere* 100.	*Johannes XXXIII.* mox *Martinus V.* præſ.	*Sigiſmũdus.*	Decreta contra Wicl., Huſs., Matth. Dreſd., Hieron. Prag. *appr.*: reliqua de autor. Conc. ſup. Pontif. *repr.*
1431. IV.	*Baſileenſe.*	*Epiſcopi incerti num.*	*Eugenius IV* Leg. Julianus Cæſarinus Card.	*Sigiſmũdus.*	Conſtit. de Beneſ. Eccleſ. *approb.* ſent. in Pontif. *reprob.*

b *Poſt hoc collocãt pleriq.* Francofordiẽſe 794: *ſed videtur ex Bin. et Sur. in hujus not., duntaxat provĩciale; nec ſemi-reprobat. quum nunquã acta Nic. 2. dãnaverit, ut ſentiunt Baron. & Bellarm.*

c *Quod ejus PP. videri vellent id quod* 5. *&* 6. *Synodis deerat, ſuppleviſſe: initio nullũ; ex parte tandẽ receptũ eſt: ut Humbertus Leon. 9. leg. apud Græc. fuit proteſtatus.*

Con-

Concilia generalia ex toto improbata.

An. Æræ vulgaris.	Concilia.	Patres.	Pontifices.	Imperatores.	Cauſſæ Synod.
341. I.	*Antiochenum.* a	*Epiſcopi 90, & amplius.*	*Julius I.*	*Conſtantius.*	Athan. ab Epiſcopatu pulſus, eiq. Greg. Cappad. ſubrog.
355. II.	*Mediolanenſe.*	*Epiſcopi 300, & amplius.*	*Liberius.* *Leg.* Lucif. Caralit. Ep., Pancrat. Presb. & Hilar. Diac. *b*	*Conſtantius.*	PP. ſubſcriptio in Athan. vi extorta.
359. III.	*Ariminenſe.*	*Epiſcopi 400. circiter.*	*Liberius.* *Leg.* Vincentius Epiſc. Capuæ.	*Conſtantius.*	Anceps fidei form. Arian. dolo ab Epiſc. Catholicis ſubſcrip.
449. IV.	*Epheſinũ II.* *Latrocinale dictum.*	*Epiſcopi 128.*	*Leo I.* *Leg.* Jul. Ep. Puteol., Hil. Archid. & Renat. Presb. *c*	*Theodoſius & Valentinianus.*	Euty. abſolutus, ejus hær. cõfir. & Flavian. cũ aliis condemn., Leg. renitentib.
754. V.	*Conſtannopolit. pſeudo-ſeptimũ gen.*	*Epiſcopi 338.*	*Stephanus II.*	*Conſtantinus Copronymus.*	Cultus Sacrar. Imaginum proſcriptus.
1511. VI.	*Piſanum II.* d	*Epiſcopi incerti num.*	*Julius II.*	*Maximilianus.*	Cenſura a Cardinalib. quibuſd. Schiſmat. in Jul. Pont.

a Conc. hocce Grat. can. 11. diſt. 16. ut Cathol. recenſ., idéq. præſtat Carrãza illud a 6. gen. Syn. approb. volens. Sed male hoc cum aliis Antioch. confudiſſe demonſtr. Longo in Sum. Conc.

b Leg. Pontif. perditis Arian. conatib. obſiſtẽtes indigniſſime habentur, & in exil. pelluntur: ut & Liber. ipſe a Cõſt. in Thrac. releg.

c Qui tamen, ex Brevic. Euthyaniſt., morte prævent. Conc. non interf.

d Extitit & al. Piſ. 149. in cauſ. Schiſm. (de quo infra) quod pleriſq. legit. videtur: ſed D. Anton. p. 3. chrg. & Card. Cajet. oppoſitum: quocirca num approb. vel reprob. haud conſtat.

86 His autem recenſitis; Sardicenſe Concilium, quod a Patribus Nicænæ Synodi paullo poſt in Dacia coactum, eandem ob cauſſam eodemque, nomine Julii, præſidente ibi Oſio, huic plures, ut appendicem accenſuerunt eruditiſſimi viri: quod olim jam factum, inque unum collatis utriuſque ordinationibus apud Romanos, de numero Nicænorum Canonum cum Eccleſia Africana ſucceſſu temporis controverſiæ motivum fecit. Quumque autem ab illo Arianiſmi quidam tincti fuligine receſſerint, Philippopolim ſeſe contulerint, atque inibi ſub nomine Sardicenſis aliud egerint vere conciliabulum; factum eſt, ut utroque in ſe permixto conventu, Auguſtinus aliique Patres non ex toto Sardicenſe ſibi Concilium probari dicant.

Digitized by Google

DE SUMMO PONTIFICE.

De Primatu Juriſdictionis in Petro.

87 IMpetituri Acatholici novatores ſupremam, qua compeſcantur, Romani Epiſcopi poteſtatem, eam longe ante, atque a ſua prorſus origine in Divo Petro percellunt & inſequuntur; utpote qui illam in ſucceſſores ſuos derivare optime potuit. Quem autem tot ſeculorum traditione inconcuſſum in eo Primatum inficiari non audent, hunc non juriſdictionis volunt, ſed ordinis, ac ſuccedentes inde Romanos Pontifices loco ſolum præſtare ceteris, non aliqua autoritate, ac primos eſſe inter pares (ceu Panhormitanus Antiſtes aliorum in Sicilia Metropolitarum primus eſt ſibi æqualium) Ut proinde ſi quid in alios exercuiſſe juris deprehendantur, atque modo quidem ſpectare ad illos conſuetudine doceamur, id, ſi non forte uſurpatum, unice ab Eccleſia effutiant obtinuiſſe, quæ ut potuit, facultatem detulit, cujuſdamque juris dominium.

88 Hi tamen mere inſomnia loquuntur; nec aliud magis ſuademur cum traditione, tum literis, quam eo in ceteris excelluiſſe Petrum Primatu, qui regendis agnis & ovibus Paſtorem ſupremum maxime deceret. Enim vero adhuc ſibi Coepiſcopos ſubjecit illi, non fideles duntaxat reliquos, qui nedum agnos, ſed & oves enutriendas mandaverat; nec hos, vel illos, ſed quoſcumque etiam quantoslibet, qui non diſtinguens inter has & has oves, ut paſceret oves ſuas, illi dixerat quam abſolute. Alienam igitur a Chriſti ovili deprehendeſis, quæ Petrum paſtorem ſibi ac præfectum ovis aliqua (ſi modo tunc talis) non recognoſceret: inque iſtam Catholicam ſententiam Patres omnes pedibus ineunt, & Concilia quæque obſequuntur: lubeatque unum, & alterum ex iiſdem eorundem teſtimonium excerpere, quo id ob oculos palam fiat. *Paſcit*, inquit Eucherius Lugdunenſis, [a] *Petrus agnos, paſcit & oves; paſcit filios, paſcit matres; regit ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos & oves in Eccleſia nihil eſt.* Atque in cauſſa contra Dioſcorum, hæc Synodus Chalcedonenſis; [b] *ter beatiſſimus, & omni laude dignus Petrus Apoſtolus, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum.*

[a] In ſerm. de natal. SS. Petri & Paulli.

[b] Actione 3.

89 Quam

Digitized by Google

89 Quam profectò rei noſtræ poſitam conteſtationem ex eo proceſſiſſe noſcito, quod ita Petrus ex Simone fuit dictus, quaſi Petra quædam fundamentalis, cui ſuperimponeretur moles ædificii Eccleſiæ Chriſti. *Tu es Petrus*, audiſti ſane non ſemel, [a] *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; id quod hujuſcemodi ſemper a Patribus ſuſceptum eſt, ut nihil habituri ſimus antiquius. *Petrus*, inde Auguſtinus, [b] *appellatus eſt Petra, ſupra quam ædificaretur Eccleſia.* Nec puncta detrahit expoſitæ interpretationi, quominus firma aut communis recenſeatur; alio quoque ipſum in loco [c] præfatam Petram ad Chriſtummet Dominum retuliſſe; ubi impetendo eſt Donatum, qui quum fundatam velut in homine primitus Eccleſiam effutiret, ſanctitatem vitæ in miniſtris Sacramentorum, ut rite hæc, rateq. agerent, exigebat. Nimirum uterq. Eccleſiæ Petra eſt, uterq. illius fundamentum, Chriſtus & Petrus. Tranſiturus ſiquidem ille ex hoc mundo ad Patrem, viſibile aliud, ejuſque quod vices gereret, ſpiritali ædificio ſubrogare fundamentum neceſſum habuit, cui ſemper inviſibiliter firmitati eſſet ac robori. Quam porro digniſſimam regendi poteſtatem Petrum, ceu fundamentum, ædificationis divinæ lapides reliquos, omneſque ad unum in ſe firmandi, obtinuiſſe quum liquerit, vi celeberrimæ præ aliis exhibitæ confeſſionis ejuſdemmet Chriſti eminentiæ ac divinitatis; iccirco, quin minus perſonam Patres excludant, hanc Petri fidem appellitant illam Petram: non ſecus ac Hieronymus [d] *ſuper aquas*, ait, *Petri corpus non ambulaſſe, ſed fidem*, quod per hanc illud aquas ſupergraderetur.

[a] Matth. cap. 16. verſ. 18.

[b] In Pſal. 69.

[c] Serm. de verbis Domini.

[d] Epiſt. 61. ad Pammachium.

90 Verum enim vero etſi ſupra Petrum non modo fideles jactos, quo in Eccleſiaſticum ædificium aſſurgerent, ſed ſuper fundamentum Apoſtolorum æque aliorum, divina Veritas nos edoceat, ſimulque hos omnes conſtitutos Principes ſuper univerſam terram, totique gregi Prælatos, ac Paſtores eſſe; non una tamen eſt omnium ratio, & principatus poteſtas: nam (niſi ſingulorum doctrinam ea verba ſpectare dixeris, qua Chriſti Eccleſiam in illis fundatam recognoſcamus, illaque paſcere omnes, ac dominari) profectò evincunt non magis, quam veluti jure quodam extraordinario delegatum ceteris in Eccleſiam univerſalem paſcendi munus, ac præſidendi, quod Petro Chriſtus ut ordinarium contulerat. Ampliſſima id, data Petro ante omnes facultas paſcendi agnos, & quotquot eſſent in grege oves, exploratum, compertum facit. Conſtituto nimirum ſemel Paſtore omnium abſolutiſſimo, ni revocetur, quicunq. accedit, is aut in partem eligitur, aut ſolum qua delegatus; uniq. illi ſubjectionem faſſurus.

91 Quæ quum ita ſint; nullum tibi ingerant dubium, quominus firmam in Patribus eam ipſe ſententiam arbitreris, quaſi quod Petro primatum ex conventione tantum Apoſtolorum plurimi aſciſcant,

Digitized by Google

motus fortaſſe illis verbis, quæ, ut Clementis, apud Euſebium [a] leguntur: tres illos nempe diſcipulorum *Petrum*, *Jacobum & Johannem* ceteris ab ipſo Chriſto præhabitos ac delectos, ut quos in Thabor glorificationis, paſſioniſque hortum, ſecum ſocios, ceu cariores adferret; *tamen non ſibi vindicabant primatus gloriam*. Nimirum inibi, non de primatu perſonæ, aut gradus, quem Petro Chriſtus detulerat, ſed Eccleſiæ, in qua ſederent, ſortitionibus relictæ, quæque, privilegio paſſionis Chriſti, Hieruſalem rectius erat, eſt ſermo, quem, qui ſubſequitur, reddit: *Sed Jacobum juſtum Hieroſolymorum Epiſcopum ſtatuunt*. Ita quidem legendum exhibent Codex Colonienſis & Nicephorus [b] id, quod mendoſe tranſcriptum in Codice Baſileenſi legimus: *Apoſtolorum Epiſcopum*. Tantoque id magis quod Euſebius met ipſe alibi Divum *Petrum Apoſtolorum Principem* nuncupat.

a Lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 1.

b Lib. 2. cap. 3.

92 Neque alium fortaſſe laudati loci ſuadeas tibi fore intellectum, ut putares ſimiliter, ab Eccleſia primum obtinuiſſe, quem habent ſucceſſores Petri inter omnes Primatum; ſicque hujus non abſimilem fuiſſe ſortem. Hallucinateris novimus ex viceſimo octavo Canone Concilii Chalcedonenſis, quo *Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuiſſe*, dicitur; atque ex Novella Valentiniana, qua plurimum Romanæ Cathedræ innuitur Eccleſiam contuliſſe honoris & autoritatis, ac Primatiæ dignitatem. Et ſane utrumque hoc monumentum, (modo ambo admittamus, dum primum expunctum fertur [c]) Primatum unice Patriarchicum, non Pontificium ſpectat: atque ubi hunc Chriſtus collatum Petro, ſucceſſoribus quoque contulit, conceſſerunt illum Romanæ Urbi Eccleſiarum Concilia, ipſomet Papa & Præſidente & dirigente. Nimirum ſi rem perpendis, jam tibi ſatis compertam facis. Animadvertere inde fas eſt, in eo Concilium Chalcedonenſe fuiſſe animo; ut Patriarchatus honorem Conſtantinopolitanæ Sedi deferret, quod Imperio ac Senatu æque eſſet præſtans ac Roma, cui ob id hujuſmodi privilegia Patres contulerunt: eandenque mentem habuiſſe Valentinum Imperatorem, deque Romano Patriarchatu locutum; dum Novellam eam edidit, occaſione Hilarii Arelatenſis Antiſtitis, ſibi jure quodam metropolitico ordinationes Epiſcoporum, depoſitioneſque abſolute arrogantis, contra jus Patriarchale Romanæ Eccleſiæ.

c A Leon. M. cui Græci ipſi morem geſſerunt: quare Dyon. Exig., recenſitis aliis, hunc Can. reticet; itē Theodorus Anagnoſtes lib. 1. collectan. & Theodorit. in ſua Canonum collect.

93 Quid ergo reliquum eſt, niſi ut orbis totius univerſalem Epiſcopum Divum Petrum, ceu illum, cui tota gregis cura incumbebat, nuncupemus, eique etiam, (ut fuſiſſime *Schiara* [d] noſter vindicandis juribus Pontificiis acerrimus) qui ſucceſſionem ejus ſortitus eſt Romanus Pontifex, ſua conſtet dignitas, & poteſtas? An tibi forte negotium faceſſunt, quo tua labia prohibeas, qui ſupremum hunc titulum Pelagius [e] Papa, & Gregorius, [f] ut indebitum reſpuerunt, ac *Sacer-*

d In op. quod inſcrip. *Romanus Pontif. propugnandus.*

e Can. Nullus Patriarcharum diſt. 99.

f Can. Ecce diſt. eadem.

ſerdotio blaſphemum? Alia ſiquidem hos tenuit cauſſa, quam quæ nos jubet. Scopus illorum fuit univerſitatem illam obruere, quæ veluti ſingulorum Epiſcoporum juriſdictionem ordinariam inceſſeret, quaſi cuilibet Eccleſiæ particulari, ut proprius, & ſpecialis cujuſque rector, & immediatus adminiſtrator ubique Papa præfectus eſſet. Quem ſi non intendit Cyprianus, [a] vel niſi Afros provinciæ ſuæ, omneſque alios Romano inferiores Epiſcopos; incaute proceſſiſſe, in his verbis: *Nullus Epiſcoporum ſe Epiſcopum conſtituit*; id venit in cauſſam, quod in Stephanum Primum, ob controverſiam baptiſmatis hæreticorum, quæ hunc & ipſum ſcindebat, commotus ac ſubiratus, quotquot ita ſcripſit, effudit.

a Epiſt. ad Quintum.

De Summo Pontificatu in perſona unius Petri.

94 Singulare opus hac de re primus edidit inſcripſitq. *de Primatu ſolius Petri*, notiſſimus *Antoninus Diana*, Congregatione & Patria nobis devinctus: qui quidem eximiis illis & vulgatiſſimis operibus Reſolutionum Moralium *Celeberrimi Doctoris* [b] nomen ſibi promeritus, jure inter Morales Theologos primas obtinet, eſtque cunctis hujuſce materiæ in libris laudatiſſimus. Huic acceſſit etiam ex noſtratibus *Auguſtinus de Bellis* in libro *de abſoluta Monarchia Divi Petri*: quibus ſcribendi provinciam Innoc. X. demandarat, occaſione cujuſdam Galli Neoterici, [c] Eccleſiæ Pontificatum inter Petrum & Paullum conſcindentis, effutientiſque (quod nondum erat auditum) unum illum ex duobus præfatis coaluiſſe. Putat ſe tamen non incautum procedere, ut animadvertit, ſi quæ ſcripturæ oracula teſtantur Petri Pontificatum ſine Paullo, ea tantum eſſe, quæ loquuntur de Petro antequam Paullus Chriſtianis ſacris nomen dediſſet.

b Ut in ejuſdem operibus a Martino de Alcolea digeſtis, quorum nomen *Diana coordinatus*.

c In libro, cui nomen, *de Bicipite Capite Eccleſiæ*, qui Antonio Arnaldo aſſeritur.

95 Sed qui Petrum ad ſummum Pontificatus apicem evecturus, tot id teſtimoniis produxerat Magiſter ſuus Chriſtus; non ne & ſimilibus monumentis hanc rem de Paullo demonſtratam egiſſet? aut nunquid fortaſſe delectum voluit, quem minime renunciatum, Apoſtoliſque ceteris præpoſitum, quibus non patefactum? Verum, quod ei pejus eſt, adſunt plurima, quæ de inſomnio arguant Novatorem, remque ipſam, ut loquimur, non mediocri atteſtationi eſſe arbitremur. Evolvat igitur actus Apoſtolorum, [d] ac viderit, provocatum Paullum ad Petrum, quem ſtatim adiit; dum illi minus adquieſcentes fideles, de circumciſione excludenda oraculum Petri expetunt, auditoque, ora tenent. Quid provocant parem quidem ad parem, cui ſupra illum imperium nullum? Quid Petro adquieſcunt modo, qui

d Cap. 15. verſ. 2.

æqua

æqua Paullo fruenti autoritate, non adhærebant, diſſentiebantur? Quid Hieronymus, [a] *Paullum fuiſſe ab Eccleſia Antiochena* (cujus Novator [b] ille Pontificem crearat) *accuſatum*, inquit? Quid Theodoritus, [c] *tunc ad Petrum accurriſſe Paullum, ut quæſtionem de circumciſione, ſolutam ab eo, adſerret*; aliique alia Patres id genus?

[a] Epiſt. 11. ad Auguſtinum.
[b] Aſſumpto 4. pag. 49.
[c] Epiſt. ad Leonem.

96 Interim tu velimus ſpeciem veri aliquam præſeferre errorem iſtum ne putes, quod in quodam congreſſu reſtitit Paullus in faciem Cephæ, cui, ſi majori, obſequium debitum non ſubtraxiſſet. Id nempe, quod aliquibus, videretur inanis clypeus confictus, quo muniatur erroris parens, Cepham illum a Petro alium volentibus, ac diſcipulorum fuiſſe quendam; nobis, qui cum Hieronymo, [d] aliiſque Patribus Petrum remur, in foveam apparet caſus, quam fecit; eruiturque ab eo non leve ſubjectionis Paulli monumentum. Quandoquidem actus ille reprehendendi, qui correctionis fuit, non juriſdictionis, ex eo profectus eſt, quod exemplo Petri gentes judaizarent. At quomodo, ſi ante Paullus docuerat Chriſtianos Moſaicis ritibus non aſtringendos, ut primum Petrus Antiochiam tenuit, hujus ſolum exemplo innumeri ex iiſdem Paulli diſcipulis cum Barnaba judaizant? an non iſtud, quantum Petri autoritas ſupra illam Paulli ſeſe extolleret, manifeſtat; atque huic illum eſſe Præpoſitum ac Paſtorem, cui rectius gentes uniformarentur, patefacit?

[d] Lib. 1. ad cap. 2. epiſt. ad Galatas.

97 Verum autem vero quum, ſortitione facta, divinaque accedente ordinatione ad gentes Paullus deligeretur, ut habet: [e] *Concreditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis*, ac peculiaris, ut ceteris Apoſtolis, Eccleſia ſibi non contingeret, quam gubernaret; præſedit gentibus Romæ una cum Petro, eamque Eccleſiam, jam ab iſto fundatam, auxit, ac doctrinæ potentiori lacte ſemel ac ſæpius enutrivit, conſolidavit. Quo circa Epiphanius, [f] *Romæ*, ait, *Primi omnium Petrus & Paullus Apoſtoli pariter & Epiſcopi fuerunt*. Atque ubi utriſque, prædicandi gratia, Roma interdum diſcedere contingebat, ne omni Urbs illa deſtitueretur Epiſcopo, partes ſuas, ut Vicariis Lino & Cleto demandaſſe, ab eodem didicimus, qui ipſis abſentibus Epiſcopalia munia obirent: prout etiam Antiochia quondam profecti Evodium ei & Ignatium præfecerunt (ſi forte fides Conſtitutionibus [g] vulgo Apoſtolicis) Judæis ac Gentibus dominaturos. Hinc factum eſt, quo ſeſſione duntaxat ſpectata loci & gubernio, non ſemel Romani Antiſtites ab utriſque illis duobus ſucceſſiſſe ſe dicant, autoritateque amborum, quæcumque faciunt, diſponere.

[e] Ad Galat. cap. 2. verſ. 7.
[f] Hær. 27.
[g] Lib. 7. cap. 46.

98 Ceterum quas Paullo interdum ac ſæpius dicendi rationes accommodant & appropriant, non raro etiam aſſumunt illas, eodemque quandoque recidunt, quum de Jacobo Patres loquuntur. *Succeſſiſſe*, ait Epiphanius, [h] *Hyginum Papam in Epiſcopatu Romano Ja-*

[h] Hær. 42. in codice græco-latino.

Digitized by Google

Jacobo, Petro & Paullo: ac Damaſcenus, [a] *præfuiſſe Jacobum omnibus Eccleſiis*; primatumque illi aſciſcit Anſelmus; [b] *ideo a Paullo Jacobus nominatur*, inquiens, *ante Petrum & Johannem propter primatum, quem habebat Hieroſolymis*. Ut proinde, ſi quæ videbatur ceteris dignior, maximeque apta, quæ prima fieret, Eccleſiam Hieroſolymitanam regens Jacobus, obtinuiſſe primatum dicatur: quidni? quod Romanam Eccleſiam, primam factam ob Petri ſeſſionem, gubernarit etiam Paullus, non rectius dicetur illi [c] *primatus gratiam conceſſam, ſicut & Petro?* Niſi quod aliuſmodi fuerit gubernatio Jacobi Hieroſolymæ, quam Paulli Romæ; ille loci conſecratus Epiſcopus ac deſponſatus, hic autem, qui *nullam Cathedram ſpecialiter tenuit* ex Damiano [d] & aliis, ſolum inibi Epiſcopalia geſſit, ejuſque ex eo dictus Epiſcopus, ceu Petrus ob ea præſtita munia, *primus* dicitur a Cardinali Cuſano [e] fuiſſe *Hieroſolymorum Antiſtes*.

[a] Homil. 25. in 2. ad Corinth.
[b] In cap. 2. ad Galat.
[c] Ut Autor Côment. in Epiſt. Paulli Ambroſius creditus.
[d] Epiſt. 16. prope finem.
[e] Lib. 2. de Concord. cap. 34. col. 4.

De Romano Epiſcopatu per Petrum acto.

99 QUo Romanam ſedem impeteret Ulrichus Velenus, deſpectis veterum monumentis, Apoſtolorum inibi Principem inſediſſe, quin aut vixiſſe, vel eſſe mortuum, inficiari auſus fuit, librumque edere, quo decem & octo perſuaſionibus ſibi met fabulatus, quindecim tunc ſeculorum conſtanti traditione exploratam rem, inverſum iri autumavit. Sed & Calvinus, [f] antiquitate venerandis jam Scriptoribus obſecutus, degiſſe Romæ Chriſti Vicarium, atque ultimum clauſiſſe diem non inficiatus; valde tamen, quo ſuam evomat pervicaciam, ſuaſu arduum & aſperum ſibi prodit, Pontificatu Romano ad ejus uſque mortem fuiſſe functum; quaſi plane non iidem ſint, ejuſdem gravitatis & ponderis, qui unum & aliud teſtatum utrunque habent vetuſtiſſimi Autores.

[f] Lib. 4. Inſtitut. cap. 6. §. 15.

100 Porro quod multo antea vaticinata, oraculum ſuum Erithræa Sybilla [g] protulerat: *Chriſtum* videlicet *Æneadem Urbem ſibi ſubjecturum in hamo piſcantis*: id quidem completum innuit Apoſtolus, dum ante acceſſum ſuum ad Romanos hæc verba ipſe mitteret; [h] *Fides veſtra annuntiatur univerſo mundo*. Quod ſane, plantatam nempe ante Paullum, exortamque inibi Chriſti fidem, illique ita ſubjectam Urbem nonniſi opera ſolius, qui ſe Romam initio Regni Claudii contulerit, Petri Piſcatoris, id primo factum fateri cogeris. Ex antea enim Chriſtianos Urbem incoluiſſe, Tiberii tempore, quos Divus Barnabas genuerit per Evangelium, quorumque meminerit Apoſtolus laudato loco, commentum purum putumque eſt ex apocryphis

[g] ap. Nicol. Sanderum lib. 7. de viſib. monarch. pag. 250. *cui tamen Sybillæ, ſicut & aliis, an inſcribêdi ſint, quos habemus, libri, in de Incarn. expendatur.*
[h] Cap. 1. ver. 8.

libris

a Lib. 1. b In Synopſi eorund. libris *recognitionum* [a] Clementi aſſictis, per Dorotheum Tyrenſem [b] ſectarioſque alios exhibitum. Nempe eo nullus munere prædicandi Gentibus Evangelium fungi poterat, quam primo divinitus ad id Petrus præmoneretur. [c] Poſthac autem ad Concilium uſque Hieroſolymitanum, tertiodecimo coactum anno a Tiberio defuncto, ſeſe Paullo Barnabas individuum dediſſe comitem traditur. Neque plus magiſve Oroſius [d] ſibi comparat, ubi Tiberium eundem Senatumque inſimul decreviſſe, *exterminandos ex Urbe Chriſtianos*, animadvertit, quam exterminentur ſolum, ſi forte adveniant: id quod & proprio ipſius ore dijudicamus; dum poſtquam Urbem adventaſſe Petrum exordio Claudii retulerat; *exinde*, habet, [e] *Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt*.

c Act. cap. 10. & 11.

d Lib. 7, id adden s ad verb. Tertull. in Apolog.

e Ibidē cap. 4.

101 Quum autem ſe Romam Petrus contulerit, fuga lapſus e carcere Hieroſolymitano, in quem eum Rex Agrippa detruſerat, illico trucidandum; ne conquiſitus diligentiſſime, (ut opportune ac plauſibiliter conjicit Natalis Alexander [f]) locum ſui receptaculi forte panderet; quas deinceps *Romæ* literas dabat, figuraliter *Babylone* miſſas ſequentibus ſignabat verbis: *Salutat vos Eccleſia Babylone collecta*: eodem ſane ſpiritu actus, quo *Babylonis* vocabulo Johannes etiam in Apocalypſi [g] non ſemel *Romam* adumbrat. Cave interim, ne illo ducaris ſimplicitatis, quo veram hic Babylonem intellectum iri apprehendas & ſuſpiceris; dum porro e duabus Aſſyriorum & Ægyptiorum Babylonibus neutra tunc Eccleſiam collectam vidiſſe poteſt: quandoquidem ex ea priori omnes ad unum expulſos habes Judæos, ſub Cajo Auguſto, aliter proſcribendos, Joſepho teſte, [h] atq. in altera, Caſtello tunc a Strabone dicto, nonniſi poſt quinque ſecula erectam Eccleſiam apud Sophronium, qui primum ejus recenſet Epiſcopum, deprehendes.

f Sec. 1. par. 1. diſſert. 12.

g Cap. 18.

h Lib. 18. Judaic. antiq. cap. 12.

102 Sed quum Eccleſiæ Romanæ non ita affixum & alligatum, ceu Prometheum Caucaſo, Divum Petrum fingamus, ut ex ea nuſquam egrederetur; alio ſubinde credimus cum Divo Epiphanio [i] profectum eſſe, Apoſtolici muneris ſubeundi gratia, ſubindeq. reverſum, delectæ Eccleſiæ ut provideret, quemadmodum & Antiochiæ ſedentem feciſſe legimus. Quin ſeptimo ab erecta Romana Cathedra anno, Claudio decernente expulſum, & internicione deletum, ſeſe Hieroſolymam collegiſſe ad tempus, neminem præterit, aut fugit. Mirum inde non eſt, quod Paullo ad Romanos ſcribente, quod Urbem in eam adventante, quod quum de ceteris, degens inibi, conqueratur, Petri nullam factam habeamus vel minimam mentionem: niſi Romanum ejus incolatum non impetat velis neglecta mentio; quemadmodum Paullinæ aliæ Epheſios Hebræoſque petentes literæ, nec Timothei, nec Jacobi eorum Antiſtitum, ibique tunc commorantium meminere

i Hær. 27.

Digitized by Google

minere. Sed neque Lucæ ſilentium in præſens obtinet, quippe qui non omnium Apoſtolorum actus ex æquo texuit, ſed Paulli ſolius, ſibi Magiſtri, & quidem principaliores, quorum nec tamen omnes.

103 Epocham ergo ſeſſionis Divi Petri Antiochiæ & Romæ, animadvertentes, eum anno quinto a Chriſto paſſo, atque a Tiberio regnante ultimo, quum ante in Judæa diverſatus eſſet, ſibi tunc Eccleſiam erexiſſe Antiochenam ab Euſebio [a] edocemur. Ad hujus tamen Pontificatus ſeptimum, juxta Magnum Gregorium, [b] in eam ſuffecto Evodio, inſtituturus aliam, ipſam exuit. Quem profecto deinceps quum nemo aliam ſibi conſtituiſſe a Romana Cathedram, ſit uſpiam a tot ſeculis fabulatus, quin & omnes hanc eum inſediſſe dicant quotquot exploraveris ſeu græcos ſeu latinos Patres; [c] conſenſuſque item totius Eccleſiæ, quæ Romanam Sedem ut primariam ſemper proſecuta eſt; jam non erit ambiguum, quin id, protervia ſola impellente, negent Heterodoxi, præ ceteris erroribus in hoc maxime Novatores. Sed fixa Romæ Cathedra, in ævum manſura, eo ipſo anno qui Paſſionis erat undecimus, & Claudii ſecundus, hujus inde decreto poſt annos ſeptem exulare coactus eſt; quo tempore Hieroſolymis Concilio præfuit; eoq. inde mortuo poſt 4, extemplo Urbem repetiit. [d] Ibiq. anno æræ Chriſti vulgaris 68, Neronis decimo quarto, & ultimo, hujuſce ſui Pontificatus quinto ſupra viceſimum, una cum Paullo qui gladio, cruce ipſe ſed inverſa moritur. Teſtatam hujus rei memoriam, & ſemper Patres, Ignatius, Dionyſius Corinthius, Hegeſippus, Theodoritus, Tertullianus, Sulpitius, Eutropius aliique plures apud Bellarminum & Nat. Alex., atque ipſa habent ſepulcra, quæ plurimi ad hanc rem noſtram jure fecit Euſebius.

104 *Faſciculum* inde *temporum* quendam, & *Paſſionale de vitis Sanctorum*, quorum ille quarto anno Claudii, & iſtud decimo tertio conſcendiſſe Petrum Romanam Cathedram, & *Acta Lini* quæ Petrum & Paullum diverſo tempore, ac loco paſſos referunt, ut mendoſis jam, atque apocryphis penes etiam hæreticos, ni eos ſuæ ſtudium cauſſæ tranſverſos agat, adnumerata rectiſſime flocci facimus; quemadmodum & Onuphrium quendam Panvinum; [e] quippe qui unicus ſedem Petri priorem Romæ, quam Antiochiæ ſomniavit, refragante, ultra Patres adductos, Concilio ipſo Romano ſub Papa Damaſo in verbis hiſce iſtis: [f] *Tertia ſedes apud Antiochiam, quod illam Petrus primitus, quam Romam veniſſet, habitavit.*

[a] In Chronico.

[b] Lib. 6. epiſt. 37.

[c] Quos referunt Bellarm. & Nat. Alex. aliique.

[d] *His in itineribus Panbormum noſtram advêtu ſuo cõſecraſſe Apoſtolorum Principem, Urbis monuméta teſtantur. De quo Mongit. aliis laudatis in* notitia Regiæ & Imp. Capellæ S. Petri *fol.* 48.

[e] In ſuis additionib. ad Platinam.

[f] Can. 236. in Collectione Creſconiana.

H De

De infallibilitate Romani Pontificis.

105 DErivatam in Romanum Epiſcopum, & in eo ſuperſtitem ſupremam Petri dignitatem onuſque illud Dominici paſcendi gregis, inculcatam ſolicitudinem, ac totum ſtudium, omni ſemper ætate univerſa tenuit Eccleſia, ac ſæpe numero venerata eſt. Neque enim ovili perpetuo temporaneus conſulto Paſtor ſuffectus eſſet, ac eo ſolum tempore, quo ſingulis divino Spiritu illapſo Apoſtolis, ob eorum caritatis & luminis unitatem claritatemque, minus quam deinceps œcumenico toti Eccleſiæ Paſtore opus erat. Quæ quidem adeo explorata res eſt, ut inepti illi eſſent, qui vellent amplius oſtendere. Eam igitur ipſiſſima Divi Petri jura conſequantur neceſſe eſt confitearis, ratione qua qui cujuſdam dignitatis eſt hæres, eorum quoque omnium, quæ dignitati ex ratione officii nexa ſunt, neceſſario & hæres extat. [a]

a Qui Petri Romanus Pontif. hæres eſt Paſtoralis officii, huic etiam adnexis potitur juribus.

106 Plura inde, quæ fuere Petro promiſſa, defecturam nuſpiam videlicet ipſius fidem, ab eoque firmandos fratres, manſurumque inconcuſſum ictibus inferorum, in Romanos Antiſtites jure juxta ac rite transfuſa noveris, quotieſcumque de rebus morum, aut fidei pronunciant. Quod ſi tibi, locutum fuiſſe Dominum ſoli Petro, dum hæc haberet, hæſitationi alicui forte fuerit; jam proculdubio te revocabis, ubi proxime tradiderimus, non pauca extare loca, quæ, ſolos Dominus Apoſtolos adlocutus, ad omnes horum ſucceſſores fideles directa intendebat. Cujus in promptu rei unum & alterum adducturi monumentum, loca ea meminerimus, quibus ille teſtatus eſt: [b] *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*, & alibi: *Vado, & venio ad vos*: quæ unos illi præſentes Apoſtolos, quos adloqui videbatur, concernere haud quaquam poſſunt. Quo circa recte argutaberis, quæ Apoſtolis, quæ Petro, qua Eccleſiæ, qua Paſtori, prolata ſunt, juxta Domini monitum: [c] *Quod vobis dico, omnibus dico*: & fideles omnes ſequentes, & Romanos quoſvis Epiſcopos amplexando eſſe debere.

b Matth. cap. 28. verſ. 20.

c Marci cap. 13. verſ. 37.

107 Quod quoniam univerſi orbis conſenſione uſque jamdiu firmatum erat, ne Ariani quidem, ipſo Sozomeno teſte, [d] inficiari auſi ſunt. Id quod æque ac ſelecta alia Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta teſtimonio nobis, & doctrinæ rite ſunt, ad Papalem Sedem Eccleſiarum Antiſtites in cauſſis graviſſimis provocaſſe, ab ejus ſemper ore fideles oracula fidei petiiſſe, ejuſque tandem judicium & robur & autoritatem ſacra quæque efflagitaſſe omnia Concilia. Ut proinde Romano Antiſtite errores quoslibet proſcribente, eorum Sectatoribus

d Lib. 4. hiſt. trip. cap. 15. & 16.

Digitized by Google

bus objurgandis objici jure debeat, quod Auguſtinus [a] Pelagianis olim his verbis; *a Sede Apoſtolica reſcripta venerunt, cauſſa finita eſt*; ceteriſque aliis decretorum ejus apud ſuos trutinam depoſcentibus, quod & Juliano Autor operum imperfectorum; [b] *quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem*.

[a] Serm. 2. de verbis Apoſtoli.

[b] Lib. 2. num. 103.

108 Sed quum ſemel ac ſæpius quæ ſuo Papa expendit examine decretoque finiit, obnoxia mox videris *Conciliorum* Generalium *diſcuſſioni*, ab eo te tunc falſo judicio longe facias, quo iteratum examen neceſſitate quadam coactum, corrigendi ergo, ſi quid in Papam erroris unquam irrepſerit, aut refundendi vim ultimam decretis ejus autoritatemque fidei primam, fortaſſis exiſtimares. Ob id enim negatam ſcimus *Pelagianis* univerſalis Synodi coitionem teſte Auguſtino, [c] negatamq. Orientalibus a Gelaſio Papa [d] *Acacii* cauſſæ in Concilio œcumenico diſcuſſionem noviter arripiendam. Sed verbis uſi Leonis Magni de quadam epiſtola ſua [e] in Chalcedonenſi firmata olim, id ex eo novimus eſſe factum; *VT a ſe prodiiſſe oſtendat Dominus, quod prius a prima omnium Sede firmatum, totius Chriſtiani orbis judicium ſuſcipit, & in hoc capiti membra concordent; VT ne aliarum Sedium ad eam quam ceteris omnibus Dominus inſtituit Præſidem, conſenſus aſſentatio videatur; VT nonnulli ad diſſenſionis malum incitati ad majus bonum pertrahantur.*

[c] Lib. 4. contra ſecundam epiſt. Pelag. c. 12.

[d] Epiſt. ipſius 13.

[e] Ad Flavianum.

109 Ceterum non unus tantum aut alter error ea quæ de fide mox obtineret, damnatione a ſolo proſcriptus Romano Antiſtite exploratam tibi plane hanc rem facit. Nimirum ſi mediocri diligentia Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta percurreris, videbis ſane abſque ulla generali Synodo *Novatianos*, *Valentinianos*, *Marcionitas* & quotquot ſeculum IV. *Nicænam*que exinde omnium primam anteivere, totam eos Eccleſiam qua hæreticos fuiſſe protinus deteſtatam, diſtrictiſſimeque undique vitaviſſe. Viſurus & quidem adhuc fuiſſes *rebaptizantes* Afros & Aſiaticos *quartadecimanos* ut hæreticos ſtatim habitos, ſi adductis Papa *Stephanus* ac *Victor* traditionibus ſuas adjunxiſſent Pontificias definitiones, fuiſſetque pluſquam ſolam diſciplinam concernens tunc putata ea controverſia. [f] Neque Synodus ulla œcumenicarum in cauſſa fuit, cur Eccleſia olim *Pelagio*, *Priſcilliano* aliiſq. pluribus maledixerit, idemque jam nuper fecerit famoſis illis *Janſenii* adſertis quæ quod *hæreſim* contineant, ne Janſeniſtæ quidem emunctæ naris oppugnare auſi ſunt, ſic autem ab Autore tradita inſiciati ſolum & perperam. At quis fortaſſe illos omnes proſcribens faciliter id obtinuit feliciterque? Nonne *uni* Romani Epiſcopi, a quibus accepta reſcripta cauſſam finierunt, ſi errorem non ſuſtulerunt? Id quod quidem eo adgreſſi fuere jure, quo Divus *Petrus* eorum omnium *deceſſor* & vivum exemplar, Simone Mago anathemate petito, emtionem in eo ſpiritualium *ipſe ſolus* hæreſeos criminatus eſt.

[f] *In hac enim familia verba ſe aperuit Stephanus Cypriano, qui rebaptizandos hæreticos mordicus ſuſtinebat: Quod traditum eſt, ſervari debet.*

110 Neſcii tamen non ſumus, & quoque *alios Apoſtolos* reliquiſſe

Digitized by Google

nobis ſui Sacerdotii in *Epiſcopis* ſucceſſores, cujus nihilominus ſuprema *infallibilitatis* accepta jura, aut illammet *plenitudinem* evangelizandi mundo univerſo docendique omnes gentes, in eos nullatenus derivarunt. Id quod ne profecto te moveat ſuadeatve limitare turpiter jura illi qui Apoſtolorum Principi ſubſtitutus eſt; meminiſſe oportebit, delectos eos quidem omnes a Chriſto ad ſui ſimul *præconium*, ſuæq. etiam Eccleſiæ *gubernium* moderationemque: ſed eo id tamen animo, ut ubi ſingulis Apoſtolis totam tradidit, *ordinariam* Petro tamen, ceteriſq. ſpecialiter ſolum *delegatam*, in univerſalem Eccleſiam contulerit *juriſdictionem*. [a] Sua inde vi emergit expectata ſuaſio; ut qui Apoſtolis non qua præconibus (quemadmodum nec Romanus Pontifex, quocirca *Canonicus* [b] ipſe ſcriptor non eſt) ſed qua Paſtoribus ſolum, & ordinariis quidem, pro ſua quivis Eccleſia ſuccedunt; (uti *Simeon* Jacobo pro una ſolaque *Hieroſolymitana*) hos nec ab errando immunes cenſeas, nec totius Eccleſiæ univerſales venereris Paſtores: [c] Bene autem qui unus Petro ſuccedit Romanus Pontifex, utrunque adſequitur, ut qui illi in *generali* ſufficitur *ordinaria* juriſdictione, quæ ſingularem eam *indeficientiæ* prærogativam poſt fuſas a Chriſto Domino preces adnexam habuit, *confirmandis* quidem *fratribus*, ut opus habet, vel maxime neceſſariam.

111 Sed adhuc duplex eſt Petrus, ſeu *Petrus* ſimul & *Simon*, privatamque publicamq. perſonam gerens: quem profecto ultro confeſſi penes eas duas ſolidiſſimum fuiſſe in fide ac penitus indeficientem, non eo tamen ſpiritu ducimur, quo data pace Alberto Pighio Campenſi, [d] tantum in ejus ſucceſſoribus privilegii comminiſcamur, ut neque a fide declinent unquam, neque in corde ſuo forte hæſitent. Id nimirum vel Papa vetat *Gregorius*, [e] quo decreto ipſe habet, recognoſcendum ab ovibus Paſtorem ſuum, quum primo a fide deflectit; aliique etiam id ipſum Pontifices. Neque inſuper modo habemus tantum ad manus, ut eos quos aliqui criminantur, ſingulos ab errore facile dimoveamus, huncque ipſis feliciter abjudicemus. Atque id non levi quidem conſilio amplexi fuimus, te potiſſimum adjuturi, ut objecta Pontificum Romanorum errata quæ non es vindicando, in eorum refundas particularem perſonam; cujus dum interior privata fides neceſſaria Eccleſiæ non eſt, illiuſque occultus privatuſque mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere non poteſt; adſertam ipſi *indeficientiam* non impetit, quam ſolum ut publicus Doctor & ex *Cathedra* qua totam docet Eccleſiam, ut ajunt, loquens, adſecutus ille eſt, quippe qui Petro ſolum, non Simoni unquam ſuccedit. Cui quidem maxime congruit, quod expetito a diabolo *Simone* ut cribraretur ceu triticum, pro *Petro* oratum eſt, ne deficeret fides ejus; [f] eoque ad rem late docemur, tametſi *Petrus*, ſeu publica Pontificis perſona, in fide ſit ſemper ſtabilis futurus, *Simonem* vero, ſeu privatam illius, a diabolo quandoque impeti poſſe.

a *In Eccleſiá univerſam ſolus Petrus ordinariá accepit juriſdictionem, ceteri delegatá, eſto in particulari quivis ſua ordinariam.*

b *Acta Conciliorũ ac Pontificũ* ſcriptura ſacra *non ſunt, quod eorundem editores nõ ſint Chriſti præcones ſed Eccleſiæ tantũ Paſtores.*

c *Certos greges Epis per Apoſtolos ordinatis cõmiſſos, ſuad. 1. Petr. 5.* Paſcite qui in vobis eſt gregẽ Dei; *et Act. 20.* Attendite gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, *adjunctis ſequẽtibus*: intrabũt poſt diſceſſionẽ meã lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

d Lib. 6. Eccl. Hierarch. c. 8.

e Can. *ſi Papa* diſt. 40.

f *Juxta illud*: Simon, Simon (*qui jam tamẽ antea ſortitus fuerat Petri nomen*) Satanas expetivit vos &c. Ego autẽ rogavi pro te Petre (*quá voce addit Eccleſia in offic. SS. Petr. et Paul.*) ut non &c.

112 Huc ſe etiam relatum ivit Sanctiſſimus Dominus ex noſtratibus *PAVLLVS PAPA IV*, qui ex Epiſcopo *Teates* ut erat, DIVO noſtro CAJETANO CLERICORUM OMNIUM REGULARIUM PRINCIPI, ſeſe comitem reformandis Clericis tradidit; atque ex eo, charactere ceteris digniore, Alumni eorum qui nos, *Presbyteri Teatini* vocati ſumus. Is enim dum ſolvendo incumberetur rato jam matrimonio inter Franciſcum Montmorantium & Johannam Halluyriam Pienneam, ad ſuos iſthæc Conſultores non ſemel habuit: [a] *Ne quæſo vos teneant deceſſorum meorum facta & exempla, non dubito enim, quin ego & prædeceſſores mei ERRARE aliquando potuerimus non ſolum in hoc, ſed etiam in pluribus aliis rerum generibus*. Ea nempe verba, *meorum*, *ego*, & *mei*, a ſtylo loquendi Pontificum aliena, quammaxime, ſi non ſuppoſitam, privatum ſaltim eam ſententiam produnt ſpectantem doctorem, [b]

113 Nec ampliorem eos perſonam quandoque agere dum errant, facto ſuo docuiſſe putes Eccleſiam, quæ autumavit quondam [c] dediſſe nomen Arianiſmo *Liberium* [d] in Synodo Sirmienſi, ita ut eam plures crediderint *Felicem* in ſibi mox Papam inauguraviſſe. [e] Abunde nempe Chriſtifideles contrarium dogma in Nicæna œcumenica Synodo docti erant, adeo ut Papam illum admoviſſe manum errori, eidem ſolum præjudicio fuerit, nunquam ſane ſcandalo aliis, ſive ſolum prævaricari fuerit Liberium, nunquam ab eo alios edoceri. Dum enim indeficientem dicimus Papam, eo id tu caſu omnino intelligas & ratione, [f] ut ne ipſo docente orthodoxi turpiter deciperentur. Eam ob rem ubi ſemel Spiritus Sanctus rem unam ſuggeſtu ſuo exploratam Eccleſiæ reddit, quum jam fideles a deceptione immunes fiant, erranti deinde Papæ mutare linguam non curat, ſeu non oportet. Hic autem tum non plus fallitur quam privatus quiſque alius, ſibique tantum errori eſt; quippe qui nunquam poterit nec *publicus Doctor* eſſe, quum diſcipulos inſtructos jam de oppoſito dogmate, qui auſcultarent, haberet minus; nec *paſtor* unquam *Eccleſiæ*, quum admonitæ dudum oves de pernicie propoſitæ paſcuæ, ad hanc labia & dentes minime admoverent.

114 Ceterum eorum plurium quæ nuper *Elias Dupin* [g] Sorbonicus Doctor, ſecutus antiquos ſuos *Gerſonem*, *Almainum* ceteroſque alios etiam Catholicos quos hæretici amplectuntur quam libentiſſime, Papæ adſertam *infallibilitatem* impetiturus adduxit, nec Petro pepercit: *defeciſſe* nimirum ſæpius Romanos Antiſtites, horumq. *Conſtitutiones* erroribus *ſcatuiſſe*, ſibique *invicem* non raro pleraſque harum *pugnaſſe*, atque multa id genus alia; ſuum cuilibet infra dabimus quo juxta materiarum ſeriem diſcutiatur, aptiorem locum; ultro hoc diſponentes, ne te multis plus æquo in præſens moremur. Commodius quippe inibi an ſinguli eorum vindicari queant, an vero plures ut quid-

a Penes Dupin diſſert. 5. *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, ex teſtimonio Joh. Hagæ.

b *Huc ſe etiam Ambroſius retulit, dū* lib. 3. de Sacram. c. 1., *alibi quam Romæ rectius quidpiā obſervari ait. Huc & Hieronym.* in Epiſt. ad Evagrium, *dū Orbē autoritate majorē Vrbe, inquit*, *atq.* ubicunq. fuerit Epūs, ſive Romæ, ſive CPoli, ſive Alexandriæ ejuſdem meriti eſſe & Sacerdotii: *Particularē nunc Vrbis conſuetudinē quoad* Diaconorum paucitatem *ob quā ortum eſt illorum ſuperciliū in Sacerdotes, ita ut iis non adſurgerent, poſtponit Hieronymus conſuetudini aliarum Eccleſiarū Orbis.*

c Ex D. Hieron. in Chronico ad ann. 352.

d De quo infra num. 601.

e De quo infra num. 137.

f Ex D. Thoma part. 2. q. 1.

g In differt. nuper laudata.

quidquam humani paſſos, velutiq. privatos homines, debeamus quodammodo potius commiſerari, deprehendes. [a]

De Prælatione Papæ ſupra Concilium.

115 SUo jam pondere impulſam deſcendere plane vides quam tibi prodimus, ſi hanc cum præmiſſis conferas, adſertionem. Illud enim: *nulla* eſſe concilia, quæ ſuo non Papa firmat aſſenſu: [b] quæ ipſo inconſulto coguntur, *illegitima*: quæque ipſe reprobat, diaboli *conventicula*: nonne primatum in Romano Epiſcopo exhibet, & inſigniſſimum eſt? aut non eſt Evangelium ex toto invertere, Petrumque ſupra Eccleſiam (ſi modo talem tum diceres) cui ipſe, ceu reliqui lapides, innitatur, conſtruere, non vero Eccleſiam ſupra Petrum, ceu fundamentum; dum ſemel vel juſſu Papæ *coacta* Synodo, devinctum hunc ita dixeris, ut ſua ſententia poſthabita potiori illius ſuffragio uniatur, adhæreat, admoveat manum; vel *firmata* tandem, quoad diſciplinam obtemperet irrefragabiliter, neceſſum ſit.

116 Ita quidem alte deſiperes, quaſi prorſus ipſe neſcires, demandatam *Moyſi* Conciliorum celebrandorum autoritatem, in Romano Epiſcopo altius repoſitam & perfectius, non minora unquam ſecuturam eſſe jura. Quas igitur *Numerorum* liber [c] conceſſas illi Prophetæ referat plenitudines, omnes ad unam in Summo noſtro Pontifice cujus ille veluti figura fuit non ſecus atque Eccleſiæ extitit Sinagoga, *ad literam* quaſi complendas eſſe & comprobandas, fatendum erit. *Congrega mihi*, ſic habet, nimirum tu ſolus ipſe ex officio, & non alius, particularium Eccleſiarum Præpoſitos *& Magiſtros*, *quos tu noſti* (quia tuum eſt judicium) ſanæ fore doctrinæ probatæque inconcuſſæque fidei; *facíaſque ſtare tecum*, adjunges eos tu ipſe tibi, ac non alius, in partem ſuſcepti oneris, ac veluti conſiliarios, *ut deſcendam*, *& loquar tibi*; in eos enim niſi a te congregatos tecumque ſtantes, non deſcendam, nec loquar ulli: ubi autem deſcendero, non aliis quam tibi loquar, *& auferam de ſpiritu tuo*, *tradamque eis*; ut illa nimirum commiſſa oneris parte, & conſiliandi accepto munere fungantur perquam ſapienter, faciam eos participes tui-met ſpiritus tibi dati ad Eccleſiæ univerſalis gubernium moderationemque: & mox [d] *quum requieviſſet in eis ſpiritus* Moyſis, *prophetaverunt*; ideſt quum ſolum fuerint tui ſpiritus tecum participes, & ille in eis requieverit, dum tuæ nempe adhærent ſententiæ, in Concilio medio jam tecum ipſi prophetent.

117 Hoc fere ordine ac ipſiſſima ratione functus eſt Petrus ſuprema in ſuis Conciliis autoritate, qua eo convocante Apoſtoli & Seniores acceſſerint, eoque dijudicante tota Eccleſiæ multitudo tacuerit. Concilio enim coactis illis hæc habuit ad rem hanc noſtram potiſſima: [e] *Deus in nobis elegit PER OS MEUM audire gentes verbum Evan-*

[a] *De Papa Liberio agetur infra in hoc opere num.* 601.

[b] *Quanquam autē probarūt olim Pontifices ſcripturę ſacrę libros nonnullos, quibus tamen ſubdūtur; id quidem non infert, poſſe Papam confirmare Conciliū, cui nihilominus ſubjiciatur. Ea nempe prima probatio eſt ſolū* facti *(quēadmodum quū et tēpore ſchiſmatis Conciliū de Papa judicat) quod ſcilicet Apoſtolis vel Prophetis hi aut hi libri ſint aſciſcendi; ſecunda autem* juris, *quia nimirum autoritatem Conciliis Papa firmando adjicit, ac ſacra facit.*

[c] Cap. 11. verſ. 16. & 17.

[d] Ibid. verſ. 25.

[e] Act. 15. verſ. 7.

Evangelii, & credere: quod una cum ceteris, quæ Simon narravit, reaſſumens Jacobus inde aperte opportuneque dixit: *Propter hoc ego judico*, ac ſimul *placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia.* Ea inde propter admonitum te ſatis ducimus, ut ubi incideris in locum illum, quo in Samariam miſſum Petrum a Concilio Apoſtolorum [a] deprehendes, id non imperio factum, ſed conſilio ſolum, & ſuaſione animadvertas, ut quando Rex a ſuis Conſiliariis dicitur ad bellum miſſus.

[a] Act. 8. verſ. 14.

118 Verum enim vero, quin dictis his noſtris vel paullulum derogetur, amplam olim a judicio Papæ ad concilium provocandi Auguſtinus [b] feciſſe copiam refertur: qui quidem, ne in quo Pelagianos objurgat, videatur ipſe imitari, non eo devenit, ut pluſquam in quæſtionibus puri facti, in quo Papa errare poteſt, ut Liberius in damnatione Athanaſii, id licitum unquam dixerit; majorique etiam animo, quam quo recurrendi a Pontifice non plene, ad eundem in formandum plenius per Concilii Patres, eam hujuſmodi appellatio impropria formam præſeferat vel omnino; atque talem exinde, cui ſubmittendi Papam Concilio nonniſi inepte robur tribueres, comminiſcereris. Quæ quidem omnia ne Pontificiæ ſententiæ, in puro etiam facto quod nullum jus ſibi indivulſe revinciat, refractariis obluctandi anſa præſtetur, turbaſque excitandi; eo ſolum animo prolata volumus, ut locum habeant, ſi tantũPapa dignabitur, & coacta jam Synodo, opus facto id judicaverit. Neque etiam pluſve magiſve ſupremæ Laicorum poteſtates ſuis quandoque ſubditis indulgere viſæ ſunt.

[b] Epiſt. 162: ac ſubdit varia exempla Vigorius ap. Duvallium.

119 Sed & alia tibi in Pontificem ſuppeditatur via ex correctione Chriſtiana; ut ſi nempe tertio deliquerit, ad Confeſſarium provoces, cui ſubjicitur. At nata res difficultatem parit, quæ nos impetere videatur. Dum enim debitam juriſdictionem, quam in ſe ipſum Papa non habet, nulli poteſt Presbytero delegare; (qua ratione ex Pontificiis canonibus [c] a Papa obtinent ut ſupremo ceterorum Paſtore, ſuam quam in proprios Prælatos exercent Epiſcoporum Confeſſarii) videtur ea ab Eccleſia concedi ſolum quæ quod poteſt, ut pia mater & ſupplet, ac ſibi iccirco ſubdit Pontificem. Verum quum in eam pleniſſimam poteſtatem Romanus Epiſcopus ſuccedere dignoſcatur, qua Petrus eminuit, cui ſufficitur; uti hic in univerſos Chriſti oves & agnos, ſeu per ſe, ſeu per alios gubernium ſortitus eſt, ita & quivis Romanus Paſtor. Ut proinde, qui delegare poteſt ſacramentalem juriſdictionem in ſingulos, quos Chriſti ovile complectitur; & in ſe ipſum eo delegabit jure, quia & ovis eſt Chriſti. Quapropter quum ceterorum Prælatorum omnes, definito agnorum numero invigilent, cujus ipſi gregis non ſunt, quam Paſtores; alii cuidam uti oves ſubduntur; eorumque Confeſſarii a Metropolitanis deſumebant juriſdictio-

[c] Cap. ult. de pænit. & remiſs. in quo id etiam permittitur ceteris Prælatis exceptis.

ctionem, quam modo Papa, per Canones, in delectos a ſuis Prælatis derivat.

120 Sed neque tamen in alium profecto errorem labare quo decidendis fidei controverſiis vel morum futiliter cogi ducas Concilia, nullumque alium a Papa in Theologia noſtra vindicare ſibi diſtinctum locum. Quum enim propheraturus Pontifex non loquatur a ſemetipſo, mirum non eſt, ut quemadmodum divinus Spiritus uni Papæ toties revelat, quod alteri occuluit; (*Deus enim*, ex noſtro *Paullo IV.* laudato nuper, *ſuam ita regit Eccleſiam, ut illi certum ad tempus abſcondat multa, quæ tum inde patefacit*) ita & quandoque in Concilio Papæ ſuggerat, quod, extra, eidem non revelat. Omnes autem fidei, morumve controverſiæ ſi præexigunt in Pontifice examen prudens humanamq. diligentiam, jam & majores, ut habet Canus [a] cum aliis, examen majus, & conciliarem diſcuſſionem, ut deſcendens inde Spiritus Sanctus loquatur Papæ, fortaſſe aliter non locuturus.

[a] Lib. 5. cap. poſtr.

De Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi in cauſſa Pontificum.

121 TRojanum equum, de quo armati proſiliant, everſuri Papæ primatum hoſtes, non niſi rectius effabere, dum illa Concilia vocanda dixeris: quippe quæ ſupremam in Romanum Epiſcopum poteſtatem exercere non auſa modo ſunt, ſed & ultra anathemate perculſis, quin & hæreſeos iuuſtis nota contrariis, tantum ſibi juris ſtabiliendi copiam fecere decretis ſuis: quibus adhæſiſſe tandem Pontifices ſuam faſſos Conciliis humiliationem, Martinum V. Conſtantienſi, & Eugenium IV. Nicolaumq. V. Baſileenſi, pleno ore relati venditant. Hi tamen reſciſſis penitus, quæ de Pontifice, dum ſchiſmatica illa eſſent, minus digne locuta ſunt, nonniſi ſolum & ſummum, quæ Romani Epiſcopi non lædebant autoritatem, confirmavere; dum Eugenius ipſius afflictam ſibi fuiſſe eam in hæc verba conſtitutionem: *quæ ad fidem pertinent, potius attendendam eſſe Concilii, quam Papæ ſententiam*: apud Harduinum [b] teſtatum ivit. Quæ ne tibi tamen ſcandalum pariant præfatæ Synodi, illuc te velimus referas, ubi legis: [c] *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves*: incerta tunc enim erat, quo duceretur Paſtore Eccleſia Chriſti, duro diroque ſchiſmate vexata diu (quod quadraginta & amplius annos perduraſſe doluit) ut proinde peccare multa & graviſſima non difficile ſibi fuerit; id quod Eccleſiæ vitio vertendum non eſt. Quum autem e re geſta, quæ diximus, faciliora comprehenſu ſint, arceſſendam huc ducimus non iccirco jucundam modo, ſed & utilem ſalvandis

[b] tom. 8. Concil. columna 1172.
[c] Matth. 26. verſ. 31.

Digitized by Google

dis juribus ſummi Pontificis, enodandiſque commentis difficultatibus, factorum narrationem.

122 Hæ porro laudatæ Synodi coactæ ſunt ab anno nono ſeculi XV. ad annum uſque 38, ampliſſimam ſibi duorum ſchiſmate occaſionem ſuppeditante, Benedicti XIII., ſeu famoſi *Petri de Luna*, & *Angeli Corarii* ſub nomine Gregorii XII., qui tenaciter tantum, ut neuter alii concederet, de Papatu pugnarent, tantumque imperſpicua res, ut in contraria ſtudia judicium ipſum Eccleſiæ diſciſſum eſſet; promoventibus exemplis ſuis in Hiſpania Petrum Vincentio Ferrerio, atque apud Italos Angelum (qui etiam communiter recipiebatur) Catharina Senenſi Prædicatorum Ordinis æque maximis luminaribus, Cæloque aſcriptis. Eo inde jure, quo tunc Eccleſiæ ſchiſmatis abolendis, ſe ſolam cogere fas eſt, id ſibi opus facto judicans, per Cardinales *Piſis* in Hetruria Concilio cogitur, [a] ad numerum trecentorum Epiſcoporum, & amplius Patrum; quo duos prædictos arceſſiri jubens, (nemine comparente) ambos contumaces declarat, atque ut hæreticos & ſchiſmaticos damnans e ſuo Pontificatu dejicit ac reprobat, novumque alium, nomine Alexandri V. ſibi ſtatim Papam inaugurat, qui & Synodum firmaſſe [b] dicitur.

[a] *Anno 1409. de quo ſupra in adnotationibus ad Piſanū ſecundum fol. 49.*

[b] De quo ſupra etiam ibidem.

123 Sed eo defuncto poſt menſes, ſuffectoque Johanne XXIII. hujus nominis, quem alii *ſecundum* habent, perſiſtente adhuc duorum illorum ſchiſmate, quod & hujuſce tertii auctum fuit ipſiſſa creatione; hic ad dandam Eccleſiæ pacem, ſibi autem bellum, Concilium generale *Conſtantiæ* indicit. In illo Antiochenus Patriarcha oracula ſolus omnium pronuntians, Johannem rogat, quo Pontificatum indutum nuper, Eccleſiæ modo unitati ſacret ſimul & exuat. Id ſe quidem facturum ultro reſpondit, ea tamen lege, ut alios duos & hoc ipſum præſtituros exemplo noverit, & facturos: interim clam noctu Johannes Conſtantia fugit, ac ſeſe confert Schaffhuſiam. Quod ubi animadvertunt; declarantibus Patribus, Concilium præſtare Papæ, [c] ſibiq. ipſum ſubditum recognoſcere, Legatos ad eum mittunt, qui reditum perſuadeant: quorum fruſtra effuſis verbis, ut contumacem damnant, damnatumque inde deponunt. Id quod ut audivit primo, morem illis gerens Johannes, ultroneus adquieſcit, & Pontificalia deponit. [d] Cujus proinde illuſtre exemplum ubi amplectitur Johannes Corarius, in communionem recipitur honorificentiſſimam; ubi vero imitandum reſpuit Petrus de Luna, anathemate iterum irretitur: atque interim novum Pontificem creant, ſub nomine Martini V., huicce Synodo, quoad *conciliariter* habita, ſubſcribentis.

[c] *Seſs. 4.*

[d] *Seſs. 12.*

124 Eo tamen victo fatis, vitaque functo, (a quo pridem *Baſileæ* Concilium indictum, coactum fuerat) creatoque Eugenio IV., quum hic velit laudatam Synodum transferre alio, Patribus non obtempe-

rantibus, prodit ſe illam continuo diſſoluturum. Reſiſtunt in ea omnes ſententia, quod legitime congregatum ſemel Concilium a nullo, etiam Papa, quem illi ſubditum ex Conſtantienſi reconfirmarant, diſſolvi poſſit, aliove etiam transferri, niſi libenter. [a] Minantur interim Pontifici depoſitionem, ni & deſiſtat, & ad Concilium per ſe vel per alios compareat. Sed Imperatore Sigiſmundo & Carolo VII. Francorum Rege ſeſe intromittentibus, Concilio facit ſatis Eugenius, compoſitis, & viciſſim reciſis decretis aſperius latis. Sed & inde novo orto inter Patres diſſidio de futuri Concilii aſſignando loco, diſcinditur turpiter duas ipſa Synodus in partes, unamque Eugenius Ferrariam transfert, atque altera Baſileæ conſiſtens adhuc, deponit Papam, & Amedeum Sabaudiæ, Felicis nomine Quintum, renuntiat.

125 Ex eo tamen Baſileenſe vertitur in Conciliabulum, ipſiuſq. acta reſcindit ille (cui, deteſtata Felicem, tota ſemper obſequebatur Eccleſia) præfatus Eugenius [b] Florentiæ, quo ſe Ferraria tranſtulit, Synodum continuaturus: & ſi paci poſtea obſecutus Nicolaus ſucceſſor, [c] collationes tantum beneficiorum & dignitatum a Felice habitas, indulſerit admiſſum iri, ſeu toleratum. Reſciſſum & inſuper ſupra novimus, habito Papæ ad Concilium acceſſu, & concordia, quod quidem ante hujuſmodi translationem contra ſupremam illius dignitatem ſtatuerat Baſileenſe. Quod & profecto reſpexiſſe ſequenti ſeculo apparet Lateranenſe quintum, [d] dum illam Synodum *poſt hujuſmodi translationem PRÆSERTIM Conciliabulum* appellandum habet: quid enim ſibi vendicat *præſertim* illud, quam & antea quoad geſta quædam legitimam etiam non fuiſſe? aut quid laudandis expungit verbis, ſi in Baſileenſi ante-geſtorum nihil obliterat? Nimirum frustra hæc dixiſſet, [e] *ſolum Romanum Pontificem, tanquam autoritatem ſuper omnia Concilia habentem, & Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, ac poteſtatem habere.*

126 Eam ipſam ob rem Martinum Papam, ubi Conſtantienſi ſubſcribit, non ſine alto conſilio, ſe *conciliariter* geſta firmare dixiſſe credas; expuncturum ſe nempe, quæ Romani lædendo erant Epiſcopi præeminentiam; dum *conciliariter* habita illa non dixeris, quæ ſchiſmatice illegitimeque peracta ſunt: ab iis nimirum, qui tunc dicto audientes Pontificibus ſuis non erant. Corruunt inde, quæ Conſtantienſi ex integro obſecuturus fuſiſſime congerit Natalis Alexander; [f] eo etiam ac maxime, quod dum ex approbante Martino, tantum ipſe juris fatetur Concilio, hoc illi ſubſit reapſe neceſſum eſt. Neque tamen erit abs re, quin rem valde juvat teſtimonium Johannis Gerſonis Concilio Conſtantienſi præfati ac proteſtati, [g] eo ſolum animo in Johannem XXIII Synodum illam animadvertere poſſe, quod (ut ajebat) dubius eſſet. [h] Nec exemplariorum omnia exhibent; ſub-

a Seſſ. 8.

b Harduinus tom. 9. Conc. colum. 1004.

c Idem to. 8. in calce Baſileenſis.

d Seſſ. 11.

e Ibidem.

f Tom. 8. ſec. 15. & 16. diſſ. 4.

g Apud Bat-taglini in hiſt. Conc.

h *Quare Turrecremata decretũ Conſtantienſ., de Papa dubio exponit.*

Digitized by Google

ſubmittendos eſſe Concilio quacunque quoſvis fulgentes dignitate *etiam Papali*: hæc nempe vox in pluribus abeſt: adeſſe verum in aliis, id vitio vertas, quod acta Conſtantienſis Baſileenſe Concilium quod Papæ tunc refragabatur, ediderit.

De Epiſtolis Romanorum Pontificum ad Siricium uſque.

127 Collectis jam per Dionyſium Exiguum quamplurium Romanorum Antiſtitum decretalibus, qua omni, ut fatetur, [a] ſolertia & diligentia ipſe potuit, nec auſpicari quam a Siricio valuerit; plures deinde Epiſcopi [b] currente VIII. ſeculo majorem adhibendi conatum Iſidoro cuidam Mercatori provinciam demandarunt: qui tum ex eo excurrendis attentius antiquioribus Pontificibus a Siricio ad Clementem, eruendiſq. eorum epiſtolis ampliſſimam ſibi operam navare dedit. Aſſumtum opus, ne ſuis excidiſſe videretur auſis, utcunque potuit, perfecit, & ſummo Hiſpaniæ plauſu expectata luce donatum, ſuimet in corpore Canonum inſeruit, ut videre cuique eſt. Id autem ſolam eam regionem excurrere ſucceſſu temporis haud paſſum, in alias perſonaſſe quoque opera & ſtudio Riculphi Epiſcopi Moguntini, autorem ſeſe Hincmarus Remenſis exhibuit: ac tanta demum talique felicitate auctum eſt, ut alterius ab eo Iſidori (quem nempe ineunte ſeculo VII. habuerunt Antiſtitem Hiſpalenſes, Scriptoremque Eccleſia clariſſimum) initio creditum, Conciliorum una editores in editiones ſuas, eas epiſtolas tranſtulerint, ac per totum fere Occidentem a IX. ad XIV. ſeculum obtinuerint per quam maxime.

[a] In epiſt. ad Julianum R. E. Presb.

[b] Pagi in Crit. an. 100. num. 4.

128 Quo quidem tempore, quum ex illis excelſam Romanorum Antiſtitum dignitatem augendo ſimus, quin & auctam potiſſimum recognoſcendo; in cauſſa fuit, cur Johannes Wicleffus apocryphis primum aſtipulatus illas, turpiſſime omnibus maledixerit; damnaturque propterea in Concilio Conſtantienſi. [c] Apertam exinde viam Heterodoxi reliqui a cæco cæci ducti, caſuri quidem, ingreſſi ſunt; quos tamen omnes elapſo ſeculo confutandos ſibi impoſuit Binius, Turrianum ſecutus [d] Societatis Jeſu Theologum. Verum omnino expunctis quas in eas jaciunt, Acatholicorum blaſphemiis, decretales hujuſmodi apocryphis accenſendas, laudatiſque Pontificibus abjudicandas modo norunt eruditiores Catholici, ut hanc ſententiam *hoc noſtro ſeculo vulgarem* nuncupet Antonius Pagi; [e] quin ante ipſum Natalis Alexander [f] ſic eas ſuppoſitas dixerat, ut *nullus fere eruditus vivat, qui aliquam illis tribuat autoritatem*.

[c] Seſſ. 8.

[d] In lib. adverſ. Centuriat.

[e] Loc. cit.

[f] Tom. 8. citato.

I 2 129 Por-

Digitized by Google

129 Porro collectionis hujus autorem non fuiſſe unquam Hiſpalenſem præfatum, quod hunc vita functum 36. anno ſeculi VII. referat Redemtus ejus Diaconus in vita ipſius, quodque ſequentium deinceps Conciliorum ac Pontificum, ut Gregorii II. & III. necnon Zachariæ poſt ſeptuaginta ab illo annos degentium, ea collectio meminerit, abunde rem exploratam reddit; deceptumque monet laudatum Hincmarum, & quotquot illum incaute ſecuti ſunt. Quinam vero hic fuerit, omnino incertum. Opinantur tamen non pauci, Epiſcopum ipſum fuiſſe, arbitrantes eum titulum *Mercatoris* ex oſcitantia Librariorum irrepſiſſe loco alterius *peccatoris*, [a] quo ſe olim elogio Epiſcopi honeſtabant.

130 Sed nec profecto antiquioribus aſſerendas illas noveris Pontificibus, ſi tantum multorum pauca, queis impetuntur, animadvertas. Et ſane ubi ſtultitia Scriptoribus antiquis eſſet, tam altum de his ſilentium, citari ſæpius opportunis, ſervaſſe ſemper; ubi ſcandalum eruditis, tot illas ſcatere anachroniſmis, non convenientibus annis Conſulum ad finem epiſtolæ cujuſque aſcriptis; fere ibi miraculum contingit humanæ varietati, ut pluſquam 30. Pontificum prætenſarum literarum per quatuor circiter ſecula exaratarum, ſtylus omnibus idem extet, & ſcribendi unum genus. Quæ ſolum tria dum rem non evincunt, jam ſuis deſtituta principiis ipſa profecto ſcientia critica tota rueret, nullumque foret apocryphorum, quod quandam veri ſpeciem induendo non eſſet. Tantoq. magis quod fortaſſe impulſus minoribus Leo IV. [b] eo quidem ſeculo, quum ad manus omnium prædictæ epiſtolæ verſarentur, deceſſorum ſuorum decretales recenſiturus, poſt ſtatuta Sylveſtri in Romana Synodo, ab epiſtolis incipit *Siricii*, quas in Canones transferat.

131 Sed quid adhuc egemus teſtibus? quidque profecto dubii reliquum eſſe debet, quum Blondelli apud Calviniſtas celebris ab aliquot annis eo induſtria proceſſerit, quo ſententiæ ac verba ipſa præfatarum epiſtolarum a quibus autoribus petita ſunt, accuratiſſime demonſtraverit in libro, cui dedit nomen: *Pſeudo-Iſidorus, & Turrianus vapulantes*? [c] Ipſi tamen antea proluſit Antonius Auguſtinus Taraconenſis, dum inibi plurimas animadvertit ex multo poſteriori *Codice Theodoſiano*, & ex ſcholiis quæ ſub *Ananiæ* nomine ad illum extant, uſurpatas ſententias, nulla prorſus ad laudatos Pontifices habita ratione.

132 Riſum proinde movent male quidam feriati Critici, dum hujuſce difficultatis pondere preſſi, exſcripſiſſe, habent, Theodoſium, Patres & Concilia ſequentia ab hoc Blondello notatos, ex priſcis his decretalibus, quæ in ſua referrent juxta ac conſarcinarent. Enim vero, quæ inde cauſſa, cur dicti Patres & recenſitæ Synodi decretales

eas

[a] *Ex Morino juxta ſubſcriptiones in antiquis Concil. legi obvias.*

[b] In epiſtola ad Epiſcopos Brittanniæ ap. Gratiani diſt. 20. can. de Libellis.

[c] Cap. 13.

Digitized by Google

eas unquam epiſtolas quas deflorant, non citant, hanc aliis rationem habentes, quorum quandoque dictis utuntur? cur illarum antiquitate inconcuſſo robore, autoritateq. irrefragabili ſui temporis hæreticos non obruunt, quod facturi eſſent planiſſime pleniſſimeque? Cur in dubium revocant, ut apud Afros tempore Zoſimi poſt Siricium, jus illud appellationis ad Apoſtolicam Sedem, quod tot decretalibus abunde ſtatutum erat? [a] rectius inde arguteris epiſtolarum harum conſarcinatorem *Pſeudo-Iſidorum*, ne ab eo, quod audacter ſubiit, inglorius munere excideret, neve ab Epiſcopis illis qui ſe nimis credebant ei, minus habens inventus eſſet, defloratis, excerptis, collectis hinc inde autorum ſententiis ac verbis, muſſitum ex illis hoc opus & centonum epiſtolarum contexuiſſe. Futurum illi profecto ſatius, non habere quid cogeret modeſtius fateri, quam eas epiſtolas audacius comminiſcendo, turpiſſimi plagii reum ſeſe ſiſtere, impoſtoriſque ſibi titulum promereri, apocryphorumque inſignis parentis.

a Id quod Sardicenſe Concil. longe ante Zoſim. celebratū, in quo c. 7. jus illud ſtatutum eſt, impetere crederes, ni ſupra num. 86. præmonitus eſſes, Sardic. Canones cum Nicænis (quos hac in re Zoſimus laudaverat) fuiſſe permixtos apud Eccl. Romanā, apud Afram ſecretos.

133 Sed quum tamen doctrinam ſanam hæ noſtræ undique decretales redoleant, mirum non eſt, quod eas deinceps a IX. ad multa ſecula ſubſequentia, Concilia plurima, Conciliorumque & Canonum collectores in diſciplinas aſſumſerint ac laudaverint; quin & honeſto decepti nomine Iſidori, uſuque invalente, ut ſub priſcorum Pontificum nomenclatura qua primum in officina impoſtoris excuſa erant, recenſerentur; ſic eas, nullo criterio, ut vult Baronius, [b] delectu nullo (quæ rem tum non ſpectabant) citatas dederint. Occaſione quinimmo data, & *ad hominem*, ut habent, argumentatus Nicolaus Pontifex, antiquorum morem Pontificum ex his epiſtolis, Hincmaro, ceteriſque Gallis oppoſuit, quippe qui & his decretalibus ut genuinis ferme obſequerentur, & Roma inconſulta Rothadum Sueſſionenſem depoſuerunt, quod ex illis inhibebatur.

b An. 865. pag. 277.

134 Sed ubi Pſeudepigraphis amandamus antiquiorum Pontificum decretales, eas profecto excipiendas noſcito, quas Sancti Patres, aut priſci Eccleſiaſticæ hiſtoriæ autores referunt, ut epiſtolas Divi *Cornelii* inter opera Cypriani, *Julii I.* ab Athanaſio laudatas, [c] *Damaſi* a Theodorito, [d] atq. alias ab aliis paucas: quarum quoniam fragmenta ſolum apud illos ſupererant, & meminiſſe *Dionyſio Exiguo*, utpote ad ideam ſuam (qua omnes tranſcribit, ſuamque in materiam diſtinguit) minus conducentium, non oportuit, & *Pſeudo-Iſidoro* colligendis aliis decretalibus non fuit aptum exemplar. Ceterum nobis, queis Apoſtolicæ Sedis autoritatem dignitatemque ſtare certis aliunde argumentis omnino ſatis perſpectum eſt, videtur id modo noſtrum conſilium abjudicandi antiquis Pontificibus epiſtolas recenſitas, Romanæ Sedi conducere magis quam obeſſe: dum quæcunque ad Pontificum autoritatem in illis faciunt, jam aliis non ſuſpectis Patribus, antiquiſque Eccleſiaſticis optimæ plerunque notæ Scriptoribus, qui-

c Apolog. 2.
d Lib. 2. cap. 22.

Digitized by Google

quibus fruſtatim excerptæ ſunt, uno ferme, vel altero, vel tertio certe poſt eos ſeculo, probata eſſe inſinuatur.

De Catalogo Romanorum Pontificum.

135 HIc nobis conſtitutum eſt, ut Romanorum Præſulum ſeriem ab expunctis aut intruſis quibuſdam famoſioribus, quoad licuerit, vindicemus. Interim grave non erit, quin & operæ pretium videtur, in laudatorum compendium aliqua animadvertere. Produci nimirum illorum numerum (triginta trium ſchiſmatum intercalario, nec non incertis reciſis) ad 246, ſi complectaris qui fauſte illum ex nobiliſſima *Corſinorum* gente Petri claves, elapſo a quo ſcribimus anno, [a] ſub Sanctiſſimo CLEMENTIS XII. nomine ſuſcepit, Eccleſiamque Dei non ſine magno tranquillitatis publicæ incremento ſanctiſſime fauſtiſſimeque regit, gubernat, moderatur. Paucos ſupra decem ex Eccleſia Græca aſſumtos eſſe, qui Romæ in latina ſedentes univerſam gubernarent. Varios e variorum ordinum Regularibus: ex Benedict. 27. Carmel. 2. Can. Reg. S. Georgii 2. Can. Reg. S. Aug. 50. antiq. Crucif. 1. Cæleſt. 1. Ciſterc. 7. Cluniac. 4. Dominic. 4. Franciſc. 4. & ex *Teatinis* 1. [b] Supra 60. Eccleſiaſticos faſtus, quos venerarentur ſuppeditaſſe: horumque quatuor *Agathonem*, *Leonem* alterum, *Sergium I.* ac *Stephanum IV.* Siciliam noſtram ſpectare, in qua nati ſunt; ratione cujus *Agathonem*, ac *Sergium* hoſce [c] Panhormum. Horum cunctorum quoniam non omnes in divinis officiis decorabantur, digeſſiſſe THOMASIUM, mandante Papa (quem is conſuluerat Religioſum adhuc ſimplicem agens) vitæ narrationem juxta Breviarii lectiones diſtinctam & coarctatam, quæ in utraque Baſilica Vaticana & Lateranenſi (ut factum eſt) celebraretur.

[a] *Die 12. Julii 1730.*

[b] *Juxta eorundem Ordin. monumenta, et ſentēt.: addūtque Dominic. 5, qui* Johan. de Vercellis *ſeq. nocte creation. correptus, & Franciſc.* Vicedominum, *qui ipſa die.*

[c] *ita quoque exprimitur in officio divino, quod in Baſil. Later. & Vatic. recit.*

136 Vaticinati ſunt de Rom. Epiſcopis inter alios Amedeus eremita, Joachimus Abbas, [d] & Malachias Hiberniæ Primas, [e] quorum enigmata plurima experimento poſtmodum utcunq. ſoluta ſunt. Celebre eſt effatum illud: *Nemo videbit dies Petri* (qui 25. annos Romæ ſedit) fato omnium probatum nunc uſque. Hic poſt regnantem Pontificem quem ſub *Columna excelſa* adumbratum dedit, decem & novem alios totidem diſtinctos ſententiis, promittit futuros; jacto tamen inter poſtremos duos ſpatio quodam vacuo, quo forte interceſſuros etiam certos quoſdam, quiſque opinabitur. Referuntur ſub Anaſtaſii Bibliothecarii nomine conſcriptæ antiquorum Pontificum vitæ: verum quum multæ invicem pugnantes inventæ ſint, Anaſtaſium non ſcriptorem ſed collectorem potius apud Baronium [f] & alios oſtendunt,

[d] & [e] *Parum tamē plurimi ſe credūt eis, quos in multis deceptos habēt, ap. Maiburg & Vallemont.*

[f] Ad an. 867. num. 139.

Digitized by Google

dunt, ac ſe plurium farraginem eſſe: quocirca dum de iis THOMASIO *in præfatione Codicum Sacramentorum* ſermo incidit, hiſce brevibus expeditur: *Anaſtaſius, ſive alius, in vitis Pontificum*. Plura alia ſed minora Pontificum cenſum ſpectantia, quæ propoſita nobis dicendi brevitas vetat, ex aliis haurias, ſi deſideres.

De Felice Secundo, vivo Liberio.

137 QUum fidei cauſſa ad medietatem ſeculi IV. Liberius exularet, ac tædio tandem confectus dediſſe manus Arianiſmo, Papatuque inde excidiſſe crederetur; Eccleſia quem Ariani primum intruſerant (ut ait Athanaſius [a] coætaneus) *Felicem* quendam ceu legitimum mox cognoviſſe fertur. Rem hanc primi omnium expreſſam exhibuere Anaſtaſius, [b] ſive alius, *in vitis Pontificum*, & ex eo Ado Viennenſis [c] in ſuo (cui & Romanum concordat) martyrologio. Quin poſtquam ille retulerat contra fidem Athanaſianam, *a congregatis Sacerdotibus, & cum conſilio eorum Liberio ordinatum in locum ejus FELICEM* quaſi Coadjutorem ac Vicarium; ſubjungunt ambo, Conſtantii Imperatoris opera, quem indicens Romæ Concilium 48. Epiſcoporum Felix hæreticum renuntiaverat damnaveratque, plexum hunc cervicem, martyrem obiiſſe. Verum quum ea quæ de Felicis paſſione uterque tradiderunt, penes etiam ipſius Papatus fautores fabuloſa & contradicentia ſeſe prodant; eo iſti deveniunt cum Antonio Pagi, [d] ut quem martyrem nuncupant, hanc ipſam quod pro Chriſto labores magnos exantlarit, atque ærumnas perpeſſus ſit, nactus fuerit nomenclaturam. Laudant pro ſe Presbyteros duos Romanæ Eccleſiæ [e] Marcellinum & Fauſtinum, huic Felici noſtro coævos, ac ſimul in Urbe cohabitantes, eiſque quampiam ſchiſmaticis, ac plura alibi mentientibus, quod tamen ea narrent, quæ in totius Romæ conſpectu geſta erant, tuto fides haberi poſſe. Id quod ceterum in vita Liberii [f] ex Anaſtaſio quoque legitur.

138 Porro duo iſti memorati Presbyteri, qui ne martyrio ſolum, ſed & Pontificatu Felicem exuunt, tanti apud Gregorium XIII, quoad hoc eorum teſtimonium habiti ſunt, ut ex Chriſtiano Lupo [g] (qui Felici huic refragatur) de radendis illis e Martyrologio Romano, quæ Papam hunc verba ſpectant, ſolummodo ob id cogitaverit, Sed inventum eſſe Sarcophagum quendam in Templo SS. Coſmæ ac Damiani in his verbis: *Hic jacet corpus Sancti FELICIS Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnavit*: ipſa profecto die, qua illius paſſio in Eccleſia populo nuntianda erat, prodigioque inde

aſcri-

[a] Infra citand.

[b] In vita Felicis.

[c] die 29. Julii.

[d] In ſua Critic. tom. 1. ad an. 357. num. 17.

[e] In præfat. precũ, quas exhibuerũt Theodoſio Imperatori.

[f] Quo hic Anaſt. collector ſolum fuiſſe evincitur.

[g] In dictatu S. Greg. VII. fol. 380. novæ edit. Venet.

Digitized by Google

aſcriptam rem; hæc cauſſa, cur nil deinceps mutatum ſit. Nihilo tamen ſecius eruditos non latet, Juliano etiam Epiſcopo Celianenſi ob pertinaciam defendendæ hæreſis Pelagianæ per Epheſinam Synodum degradato, hoc ejus fautores poſuiſſe epitaphium: *Hic in pace quieſcit Julianus Epiſcopus Catholicus*: ex quo quidam æthiopem iſtum lavare conati ſunt.

139 Ceterum non exiguæ falſitatis proſcribendam rectiſſime noveris, ſi non longe, ut par fuiſſet, ab obita Felicis morte hanc velimus tumulo appoſitam inſcriptionem. Quandoquidem nos omnes docet THOMASIUS, [a] *ex priſco Eccleſiæ uſu, qui ſanguinem non fuderunt haud Martyres appellari* (qualis autem intellectus præfatæ ſanguinis effuſionis; erudite exhibet qui ex noſtratibus Romæ adhuc floret, gravioribus ſacræ Congregationis curis applicitus vir doctiſſimus *Joſeph del Pezzo*, in vindicia [b] contra quendam putidum obtrectatorem doctrinæ *Thomaſianæ*) exemploque rem firmat, dum Sanctus Felix *in Pincis* & Marcellus Papa nonniſi ob id qua Confeſſores in *Gelaſiano Codice* honeſtantur. Qui porro hicce Codex quum poſt ſeculum unum ac medium a defuncto Felice per Gelaſium digeſtus ſit, non potuiſſe docet elogio Martyris decorari illum, qui ſolum & ſummum [c] ærumnas pro Chriſto perpeſſus eſt noſter Felix. Recenſiorem, & adhuc longe multo, Gelaſio dixeris (ut hunc tuum a *Julianeo* diſcrimines) inſcriptum lapidem: ſed cur errori inde haud obnoxium, cum perturbata rerum Romæ geſtarum notitia tam longo temporis tractu, ad poſteros demandari debuit? Cur inde apponendam Felici primo epitaphii tabulam, anachroniſmo & falſis geſtis fædare non potuerunt, queis & illum ætati Conſtantii conſignarent, & hunc hæreticum ab eo declaratum dicerent; id quod neque Felicem ſecundum aggreſſum eſſe, veterum ſilentium [d] in re tanti momenti abrumpendum, ſolidiſſimæ conjecturæ eſt?

140 Felicem quoque primum appellat [e] in ſuo *Sacramentario* Gregorius Magnus, ubi ponit miſſam in officio *S. Felicis Martyris & Pontificis*. Quem eſto Bucherius in indiculo depoſitionis Epiſcoporum reponat, quod forte ſanguinem non fuderit; noſtrarum non eſt partium judicium hic noſtrum interponere, num violentam reapſe mortem oppetiit, & Bucherius corrigendus ſit, niſi inibi Felicem alium producat: ad rem autem videtur, ſi animadvertamus, a tempore Gregorii jam uſum obtinuiſſe, ut præfatorum nonnulli etiam Martyres dicerentur; dum qui in Codice Gelaſii [f] legitur ut Confeſſor, is idem Marcellus Papa in Gregoriano martyribus accenſetur: Forte etiam poſt Gregorium in ejus inſerta eſt opere miſſa illa; quippe quum multa laudatum Sacramentarium contineat Gregorio poſteriora, ut ultra ipſius ejuſdem ſolennitatem, feſta alia ſimplicium

etiam

a In Præf. ad Codices Sacramentorum.

b *Cui ſuppreſſo ſuo, nomen fecit*: La difeſa de' Libri Liturgici, e della ſacra Perſona del Ven. Card. Tommaſi. *Panbor.* 1723.

c *Ipſis fatentibus qui Felici huic patrocinátur, ut ſup. notatum eſt.*

d Ut Athanaſii, Lucif., Hieron., Hilar., ceter.

e *Atq. etiam forte olim Cæreſis Eccl., quæ ap. Baron. Felicem P. et M. ut Patronum veneratur, die 29. Julii.*

f *Quem nempe THOMASIUS primus edidit, deditque nomen*: Codices Sacrament.

etiam Confeſſorum Leonis, Martini *Turonenſis* aliorumque, illius ſane tempore celebrari minime ſolita, dum Canon Miſſæ, cui Gregorius manum admovit, [a] eo adornatus dicitur ab Innocentio III., [b] quo nonniſi Martyres Eccleſia venerabatur.

141 Sed ubi Presbyteri illi, quod ſchiſmatici eſſent, fidem aliquibus non promerentur; nunquid & ſimiliter coætaneus alter autor Athanaſius? ait ipſe, [c] arceſſitos quoſdam *exploratores, ut ipſi Felicem quendam Epiſcopum in Palatio crearent dignum profecto talibus ſuffragatoribus: ceterum Populi omnes cognita hæreticorum pravitate ab eis receſſerunt*. Nunquid & Hieronymus? *quum Felix ab Arianis fuiſſet in ſacerdotium ſubſtitutus plurimi* Clericorum *pejeraverunt*. [d] Qui quidem duo viri iſti illuſtriſſimi quemadmodum intruſum illum ab hæreticis retulerunt, ita & communem mox Eccleſiæ acceptationem (ni minus recte, atque in Romanam Sedem injurios rem hiſtoricam tractaſſe velis) poſt Liberii caſum quem exhibent, non reticuiſſent. Ut ut autem ſit: qui ſane magis Athanaſio & Hieronymo conformantur? Anaſtaſius forſan Bibliothecarius, qui de conſilio Sacerdotum, & Liberii nutu electum Felicem venditat; an Marcellinus ille ac Fauſtinus, qui ab Arianis intruſum? Cui proinde in facti narratione reliqua, præſtanda potius fides? Anaſtaſio, an Marcellino & Fauſtino Presbyteris illis? Hos tenuere Optatus Milevitanus [e] & Auguſtinus, [f] quippe qui ambo a Romanorum Præſulum cenſu Felicem hunc expunxerunt.

142 Sed quum Arianis agentibus, Petri is ille Cathedram occupaviſſet; eidemmet a poſteris ſucceſſum eſſe plerique dicunt, ea ratione, qua ab eo aliis præceſſum, qui ſive jure ſive injuria dignitatem quamvis aſſumit. Hinc Theodoritus Felicem (quem communione hæreticorum fædatum dein incuſat, [g] *ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, dum ille intus erat, ingredi voluit*) Liberio ſubſtitutum præloquitur. Hinc vetuſti Scriptores Johannes Diaconus, & Leo Hoſtienſis Felicem alium Papam Gregorii atavum ut *quartum* enumerant, ad hunc noſtrum nonniſi rationem deferentes. Neque etiam profecto minus in aliis factitatum norunt, qui ſuos in Pontificum album [h] oculos intendunt: eadem ibi cauſſa quæ Felices, etiam Benedictos, Martinos, Johannes alioſque tenet.

143 Interim tu velimus caveas, ne Felici quam oporteat æquius indulgens, Liberio detrahas: dum hunc quem canonico crimine jam exciſum tota (ut ais) Eccleſia credidit, hæc Romam exilio ſolutum redeuntem, ceu Pſeudo-Papam [i] amplexa eſſet. Quindni? ſi ſuperſtes adhuc tum Felix? En Hieronymus: [k] *Cum Felice ejecti ſunt* (Clerici alii, fortaſſe a Catholicis [l]) *quia Liberius tædio victus exilii, & in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intraverat*. En

K monu-

a Inſerendo illi noſtras Agatham & Luciam.

b Lib. 3. myſterior. Miſſæ cap. 10.

c In epiſt. ad Solitarios: cui in fine quidpiam nõ Athanaſian. admixtum videtur, ſed non difficilis conciliatio.

d In Chron. ad an. 352.

e Lib. 2. cont. Parmenianum.

f Epiſt. 165.

g Lib. 2. hiſt. Eccl. c. 17.

h Quare in Collect. Ant. Aug. Archi-Ep. Tarac. exhibetur *Felix* 3. *dict.* 4. *Bened.* 5. *dictus* 6. cetera.

i Quem tamẽ nullus ſic vocare auſus eſt.

k Laud. loc.

l Juxt. Presb. illos: vel etiam ab Arian. quod mag. propenderent in Liber. quũ ſubſcripſ. Sirmienſi, & pro ipſo rogatus fuer. a Matron. Rom. Cõſtantius ut Sozom. l. 4. c. 14.

monumentum aliud: dum Conſtantius & Ariani una ſanxerunt, quo Romana Eccleſia a Felice & Liberio communi conſilio & poteſtate regeretur. Neque enim tum erat comperta res, nec forte modo, quod non vere Arianiſmo Liberius nomen dederit; unde in errore divulſum Pontificatum reſtitueretur: qui ſcripſit poſtea, dediſſe voluit Hieronymus. Prætereundum non remur noſtrum *de Aſte* Archi-Epiſcopum Hydruntinum ejus illis in Martyrologium Romanum diſceptationibus, [a] quas elogio ſuo, operi affixo, Clemens XI. roboravit, in hanc devenire ſententiam: ſcribendum fuiſſe in illo; *Romæ S. Felicis Papæ*, vel etiam cum addito *Martyris*, expunctis voce *Secundi*, & quæ ſequuntur.

[a] Die 29. Julii in fine adnotat.

De Fabella Johannæ Papiſſæ.

144 QUod Photius ad medietatem ſeculi IX, Nicolao Pontifice e vivis ſublato, ad ſibi interdictam Conſtantinopolitanam Eccleſiam per Johannem VIII. evectus, aſſumtuſque fuerit; id in cauſſam veniſſe putat plauſibilior eruditiſſimus Baronius, [b] ut hæreticis de *Johanna Papiſſa* inſulſa fabula contexeretur, quam Romanorum Præſulum catalogo intruderent. Quum enim ille eunuchus eviratuſque, atq. ita per ſcomma ſemi-homo dictus, [c] Johannem Papam a ſe falſum vicisſet; ægre id ferentes, inter quos ac maxime boni ipſi Catholici, Pontificem ſemi-homine minorem, ac porro fœminam lamentabantur. Tractu deinde temporis quod prius figurate vocitabatur, deſipientisſime ut verum quidam XIII. ſeculo commenti ſunt, circumſtantiis male indutam rem, ſcenam agere coegerunt. Apage tam putidam, tamque inſulſam, heterodoxis aliis [d] ridiculam fabulam! quæque riſu potius, ac mutis labiis, ni exemplo clariſſimorum virorum [e] tuæ indulgendum duceremus curioſitati, confutanda foret, quam ullis rationum momentis. Verum ubi nos labia hic noſtra prohiberemus, res ipſa ſuam loqueretur deſipientiam, apertamque ſtultitioribus aucupandis aptam falſitatem.

145 Quandoquidem ſic fabulantur: [f] Johannam Anglicam in puellariri adhuc ætate cum amatore ſuo viro docto, mentientem ſexum, Athenas profectam eſſe, magnumque cultum doctrinæ ibi feciſſe; ut tandem Romam adventans, omnes ad unum in ſacris literis ſibi ſubjecerit, plurimum autoritatis comparaverit, omniumque animos devinxerit; ea propter Leone IV. defuncto Pontificem fuiſſe renuntiatam: dein a quodam familiari, cui ſolum cognita, quique illam complexus eſt, factam gravidam: dumque iter ſolenne iret, doloribus

[b] Ad an. 879.
[c] Ex quo quidē ap. Annat. fabulæ originē repetunt, quia Photius ſemi-homo ac fœmina dictus dicebatur ex priſco uſu Epiſc. *Romæ novæ*, tractuq. tēporis referebatur factū illud ſub nom. Epiſc. Romæ ſubducta voce *novæ*.
[d] David Blōdello Calvinian. in familiari elucidat. quæſt. *utrum mulier Romæ ſederit*.
[e] Binii, Baron., Nat. Alex., Pagi, Graveſon, aliorumq.
[f] Apud Mart. Polonum, & Marianū Scotū ad an. 853, & 4.

Digitized by Google

loribus inſtantibus in puerperio mortem oppetiiſſe, ac Romanam ſedem duos annos, menſes quinque vel unum, & quatuor dies manifeſtaſſe commaculatam. Adeſdum quæſumus. Ubinam id temporis Athenarum academiæ? ſane ubi olim, tunc earum reliquiæ. [a] *Nihil jam Athenæ ſplendidum habent præter celeberrima locorum nomina, ac velut ex hoſtia conſumta ſola pellis ſupereſt animalis, quod olim aliquando fuerat, indicium*. Quot etiam inde difficilia devorabis! omnique legi derogatum noveris, quo omnem adverſus legem mulier iſthæc exaltaretur. Neceſſe enim tunc, ut nongentis annis firmatus perpetuus mos non aſſumendi, ni qui ſacris jamdiu initiatus eſſet, ad ultimum Eccleſiæ faſtigium, tum primo hujus in gratiam abrumperetur: ut quæ mulier amatorem habens, ex eoque alteri indulgere facilis, adoleſcens non peperit, in Papatu ſenex progigneret: ut quum hæc novem menſes ventrem tuliſſet, nemo unus, tot moleſtiis partui præviis ſuggerentibus, nec ſervus, nec familiaris, nec medicus, nec aulicus quiſpiam internoviſſet; omnibus incompertum: ut quæ retro ſemper cauta, hæc diebus noviſſimis paritura jam jam, a publicis congreſſibus, indubie diſcooperienda, non temperaret.

146 Sed quum hæc omnia (dum quæ Pontificiæ majeſtati detrahunt, nil autumant factu impoſſibile procaciſſimi hoſtes) difficulter tamen, ſed eveniſſe velint; a quo id longe eventu poſteriores autores collegere nos quoque doceant. Sane quidem tam altum coævorum ac ſuppariorum ſilentium, quin præfato Leoni, brevi quodam hebdommadarum intercalario, Benedictum III. ſubſtituiſſe, rem hanc totam deriſioni & cachinnis condemnant, atque fabulæ in ea caracterem produnt. Nil profecto de hac *Anaſtaſius* Bibliothecarius, *Johannes* Diaconus, *Ado* Viennenſis, nihil *Regino* Abbas Prumienſis, *Luitprandus*, nihil in veteri carmine de Romanis Pontificibus, nihil in carminum libris *Frodoardi* Remenſis, nihil *Hermannus* Contractus, *Lambertus* Schaffnaburgenſis, *Ademarus*, *Hugo* Floriacenſis, *Leo* Hoſtienſis, *Florentius* Vigornienſis, *Conradus* Abbas Urſpergenſis, *Matthæus* Veeſtmonaſterienſis, qui omnes a ſeculo IX. hiſtorias ſuas compilavere. Quid plura? nil etiam vel ipſi Sedis Pontificiæ hoſtes infenſiſſimi: nil Photius Patriarcha CP., [b] nil Metrophanes Smyrnæus, [c] nihil Stylianus Neocæſareæ Euphrateſinæ provinciæ Epiſcopus, qui factus Romanæ ſedis inimicus, aliud quod objiceret non fuit commentus, quam inconſtantiam doctrinæ, ſententiarumq; diſcordiam. Verum quid dixeris, ubi a Leone IX. [d] exprobratum eſt Græcis, quod in eorum ſedem Patriarchalem mulier quædam conſcenderit? [e] ſpreturi fuiſſent forſitan de Papiſſa hacce noſtra oblatam dicendi copiam? Quis eam tamen ſprevit præ aliis? *Cerularius*: quo nullum infenſiorem habuit Romana ſedes, ac Leo Pontifex inimicum.

[a] Ita Syneſius de illarũ ætate ſua ſtatu, epiſt. 35.

[b] Qui libro 1. de proceſſione Sp. S. Pontifices enumerãs Leoni 4. Benedictum ſubdit.

[c] In Catalogo Pontificũ ſui temp.

[d] In epiſt. ad Michaelẽ Cerularium Patriarch.

[e] *Ex quo Bellarm. Papiſſæ originem repetit, quod etiam Conſtantinop. diceretur Roma: ut num.* 144. *lit. c.*

147 Ve-

147 Verum enim vero quum ea novatorum ſit impudentia, ut ſacrilegis mendaciis ſuis conficere fraudulenter nitantur, quidquid veritate non valent; plures clariſſimorum ſcriptorum, Mariani Scoti monachi Fuldenſis, Sigeberti Gemblacenſis, ac Martini Strempi Poloni Ordinis Prædicatorum [a] Codices corrumpere non dubitarunt, hancque de Papiſſa laciniam illorum chronicis adſuere. Id quod plane quidem de Mariano & Sigeberto demonſtratu difficile haud erit: eruditiſſimus quippe Ant. Pagi ſibi a Luca Wadingo exhibitum adfirmat veterem illius MS. codicem, extareque adhuc plures alios, in quibus ineptum hocce commentum non deprehenditur. Id ipſum de Sigeberto conſtans quoque reddit autographum illud Cœnobii Gemblacenſis ab Auberto Miræo editum [b] quin aliqua eſſe in utriſq. quæ nihilum cum interpolatione illa cohærent, animadvertunt viri eruditi. [c] Eandem quæ duos præfatos, Martinum Polonum fortem tenuiſſe, teſtatum facit Leo Allatius; [d] quippe quum, tempore Urbani VIII. Bibliotheca Palatina Romam advecta, contingeret, ut in ea omnium antiquiſſimus Codex MS. chronici Martiniani fuerit repertus, is nec veſtigium videre potuit hujus fabellæ, tametſi ſtudioſiſſime conquiſiviſſet. Pondus & quoque addunt ejuſdem MSS. Codices alii in Bibliotheca Cæſarea [e] nihil de Johanna habentes, immo nec excuſos omnes inter ſe congruere teſtis eſt Suffridus Petrus. [f] Ut ut autem, quid propterea obtinebunt? qui nempe partim trecentis, partim quadrigentis & amplius annis poſt facti prætenſi vixere eventum, & per famam duntaxat, ſeu rumorem mentiri ſolitum, id nobis contra veterum et ſuppariorum fidem exhibent acceptum.

148 At prolixum ſane foret, ſi leviora quoque alia quæ inerudite congerunt, momenta perſtringere cuperemus: nemo neſcit *ſellam ſtercorariam*, quam exinde ad explorandum ſexum olim adhibitam comminiſcuntur, nonniſi ad inſinuandam novo Pontifici humilitatem fuiſſe inductam: cantari ſiquidem, dum ei imponebatur, conſueverat propheticum illud: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem*: ex quo & appellationem, non ex forma (neque enim pertuſa [g] erat) ſumſiſſe liquet. Eodem prorſus judicio explodas velimus *ſtatuam* illam *mulieris cum infante*, eo quo Johanna fingitur ſuccubuiſſe, quondam collocata loco, quæ non jam Johannam, ſed Gentium exhibuiſſe numen exiſtimant Romanarum antiquitatum exactiores perſcrutatores: neq. puer ille ad ubera, vel recens natus, neq. claves, aut ſimile geſtans erat, ut par fuiſſet, ſed ex ſe incedens, adultus, ac palmam humero innitentem ferens. Quid inde in eo de filio Johannæ, quid de filio Papiſſæ? Verum id ſimulacrum penitus ſublatum voluit Sixtus V. viæ dilatandæ ergo: quæ ſola loci illius anguſtia comitatui Pontificum minus accommoda, nulla vero deteſtandæ memoriæ ratio, in cauſſa eſt, cur eorum plurimi (non enim omnes teſte Pan-

[a] *Quē perper. contra Trith., Rayn. Spond. fidem appellēt Ciſtercienſem Ughell. Oldoinus & alii.*

[b] *Quod Sigeb. Chron. depravatum eſſe & auctum a Roberto a Monte Galfrido tradit Aug. Oldoinus apud Ciaconiū edit. Rom.*

[c] Nat. Alex. ſec. 9. part. 2. diſſ. 2. in reſp. ad 3um.

[d] In Cōmentatione hujus fab.

[e] Lambecius lib. 2. Bibl. Cæſar. cap. 8.

[f] In annot. in Chron. Martini ad MS. codic. emaculatū.

[g] *Verū et duę aliæ porphyraticæ, ſed perforatæ (quia ſic in antiq. Rom. Thermis repertæ) adhibebātur olim, quum novus Pōt. Epiſcopos et Card. ad oſcul. admitteret. Harum triū uſū circa ſec. 12. init., poſt Leon. vero 10. ſumſiſſe fin. conjectat Mabill. in Muſæo Ital. t. 1. p. 1.*

Digitized by Google

Panvinio [a]) illam declinent viam, dum a Vaticano ad Lateranum pergere illos contingit.

149 Nos autem non fugit aliquid obtinuiſſe, commentis ſuis, perditæ memoriæ hoſce homines. Ancipitem, ne non evenerit, ab interpolatore *Martini Strempi* deceptus & falſus [b] ſe Divus Antoninus exhibet, inque altiſſimum Dei judicium, ſi forte factum, refundit. *Vere clamandum*: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! *ſi verum fuit quod vulgo dicitur, ut iſte refert: & quoddam ſignum ſculpturæ marmoreæ in via ubi hoc contigit, ob hujus rei memoriam poſitum.* Nihilo vero ſecius hac ipſa in ſua dubietate ſuſpicio locum obtinet potiorem: fuiſſe nempe Johannæ narrationem dolo quodam intruſam, ac ſub hiſtoriæ perſona veram fabulam ſcenam agere. *Vincentius tamen*, is ſubdit, *in ſpeculo hiſtoriali*, [c] *& Johannes de Columna nihil de hoc referunt*. Factam etiam iccirco noveris ſculptori cuidam licentiam [d] (iiſque qui opus curabant vertendam vitio) ut inter alia Summorum Præſulum ſimulacra, Johannam hanc ipſam effingeret, quam in *Templo Senarum maximo* collocarent. Porro non tulit Sena monſtrum hoc quod ediderat: dum ſublata prius muliebri forma [e] ſub Clemente VIII. in Zachariæ figuram mutata eſt; dein avulſa penitus & conſumta ſub Alexandro VII, una illius memoria ſuperſtite.

De S. Anacleto.

150 EXpunctis jam jam, quibus in Catal. Pontif. locus non ſuppetit, unũ *Anacletũ*, quem pleriq. græcorũ ac latinorũ [f] cum *Cleto* ob nominis affinitatem confudiſſe referuntur, inſerendi animus nobis eſt. Et ſane jam diu ſolenne in Eccleſia ceu duos venerari præfatos illos, diverſis diebus, ac patriis conſignatos. [g] Vetuſtiſſima quoq. eſt, quæ Tertulliano aſſeritur Pontif. ſucceſſio: [h] inibi; *Poſt Linum CLETUS, hujus ANACLETUS ſucceſſor, quem ſequitur Clemens*: expreſſe legere eſt. In idem etiam recidunt *Bibliotb. Colbertinæ* antiqui Cod. MSS., quos Ant. Pagi luce donavit; niſi quod ordine inverſo Anacleto Clementem præferunt. Sed neq. Patres laudatos ita nobis adverſari credas, quo quidpiam pro noſtra quoque ſuaſione ab iis non eruamus. Nimirũ illud quod faciunt, Clementi modo Cletũ præmittere, modo eidem Anacletũ poſtponere, [i] duos fuiſſe illos ex eorund. quidem mente vel rectius conjectamus; atq. a quibuſdam unũ, aliumq. ab aliis colligimus: non ſecus ac 9. Angelorũ ordines partim uni loco ſcripturę, partim alteri acceptos referimus. [k] Teſtimoniũ vero illud, cui Nat. Alex, tandem innititur, Eugenii IV, dum Alexãdrum I. a Petro quintum enumerat; [l] *ad hominem*, ut ajunt, adduci potuit, ut Armenis id ſentientibus, ex antiquiori Pontif. firmiorem objiceret autoritatem: quemadmodum & ille putat, [m] ubi decretales ante Siricium Nicolaus I. Hincmaro oppoſuit.

a In notis ad Platinam.

b Chron. par. 11. tit. 16. cap. 1. §. 6. quemadm. & Platina in vita Johan. 8.

c Ex quo non videtur quomodo Pagi, & Graveſon in eo legerĩt Papiſs.

d *Huc ſe refert etiam numiſma quoddã penes Clariſs. Bẽvogliẽti nobilem Senenſ., quod Papiſſam exprimere perhibetur.*

e *Agente Baron. apud M. Hetrur. Ducẽ, & Card. Tarugium loci Archi-Ep.*

f Iren. l. 3. adv. hær. c. 3., Euſeb. hiſt. l. 3. c. 2. Opt. Mil. l. 2. cont. Parm., Aug. ep. 165.

g 26. Apr. & 13. Jun., Rom. & Athen.

h Lib. 3. carminũ in Marcion.

i Epiph. l. c. Lin. Clet. Clemens; & Opt. Mil. ibid. Lin. Clem. Anacl.

k Ut in de Creat. Ang.

l In decr. unionis. Concil. Flor.

m Sec. 1. diſs. 20. de quo n. 133.

DE

DE SANCTIS PATRIBUS.

151 QUos priſcos Patres veneraturi accedimus, hi primo ſunt, quorum indicem hic nobis propoſitum texuit THOMASIUS, eoſque doctrinæ ſimul & methodi ratione diſtinctis tomis exhibuit, ſanioribus inde Theologis in Magiſtros inſinuavit. Deficeremus profecto nobis, noſtroque huic operi, ſi quorum inſtitutionibus imbuendos nos eſſe duximus, quoſq. ductores delegimus, præſtantiorem eis cultum non referremus. Sua deinde jura non diffitemur ceteris, omneſque ad unum quos veneranda vetuſtas in pretio habuit & in honore, nos quoque humili corde ac intellectu proſequimur edocendi; quos eos porro vetuſtas, doctrina, ac ſanctitas, qui maximi fiant, effecit.

152 Præfati autem Patres, qui ſibi, ut Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius aliique plures, ſpeciale opus non vindicant, notiſſima latina eorum bibliotheca magnis multiſque digeſta tomis ad grandem numerum comprehenduntur. Opus hocce quod omnium Eruditorum pericula & ſuffagia probant, aggreſſus primo eſt *Pariſiis* ante ſecula duo *Margarinus de la Bigne* Doctor Sorbonicus ad volumina uſque decem productum. Cui tamen non paucis ſcatere nævis deprehenſo, pluribus inibi ſchiſmaticorum, ut ſchiſma met ipſum, alioſque errores ſæpius redolebant, inſertis, aſcitiſq. aliis in ſacram apotheoſim, quos Eccleſia univerſalis non probat, admovendam manum putarunt fidei Quæſitores, illudque expiarunt. Recuſum eſt,atq.auctum *Coloniæ* [a] ab hujus Univerſitate,voluminibuſque 15. abſolutum. Tertio quoq. tandem Lugduni ad 28. ingentes tomos [b] editum *a Philippo Deſpont* Doct. Pariſ., ceteriſq. accuratius & locupletius, quo *Biblitbecæ maximæ* ſibi nomen aſciverit. Sunt etiam & alii Patres, quos ex noſtratibus *Ant. Agollius*, *Vinc. Riccardus*, quos Theophilus Raynaudus, Jacobus Sirmondus, quos clariſſimus Ludovicus Muratore, quoſque apprime alii collegere ac edidere.

a Et hiſtorica methodo per ſingula ſecula, quibus ſcriptores quiq. vixere, digeſtum.

b Primus tamen & ultim. (quem Simeon a S. Cruce diſpoſuit) uberrimos indices ſuppeditant.

153 Sed quoniam non pauca Sanctorum Patrum opuſcula mendoſa non ſolum, ſed falſo aliquibus aſſerta divulgarentur, illa & purgando, abjudicandoque operam jam diu navant elaboratiſſimam in-

ter

Digitized by Google

ter ceteros, & præ ceteris Caſſinenſes Monachi Congregationis Sancti Mauri, quæ in Galliis floret, ex variis quibus abundant, authenticis manuſcriptis.

154 Porro autoritatem illorum inconcuſſam habent in rebus fidei, vel morum (dum unanimes ſunt) Generalia ipſa Concilia, & præſertim Conſtantinopolitanum III., ubi Agatho noſter [a] *damnandos*, inquit, *Monothelitas, tanquam non Sanctorum Patrum pediſſequos*, quod & obſervavit ultimo Tridentinum, [b] ſua ipſis jura reddens, dum inhibet, *ne quis ſacram Scripturam contra ſenſum unanimem Sanctorum Patrum interpretari audeat*. Obſervatumque etiam ſupra fuit, quod ex Socrate laudabat THOMASIUS, [c] cenſuiſſe olim Eccleſiam id unum & ſolum proponendum hæreticis Arianis, num ipſi velint ex corde ac reverenter primævos Patres ſectari? quod ſi renuant, ex eo ſatis rejiciendos eſſe, ac damnandos.

[a] Epiſt. ad Conſtantin.

[b] Seſſ. 4. de edit. ſacror. libror.

[c] Tom. 3. Inſtitut. Theol. pag. initiali.

155 Quare obtundendi eo magis veniunt Heterodoxi recentiores, qui Patrum autoritatem de gradu ejicere molientes, & flocci faciunt, & paſſim illam peſſundant atque impetunt, quo Lutherus ſic omnibus maledixerit: [d] *Ita ſit ut ego clamem Evangelium, Evangelium, Chriſtus, Chriſtus: ipſi reſpondent Patres, Patres; ſed ego dico, Patres ſæpius erraſſe, oportere ejuſmodi firmiore & certiore autoritate munire; Chriſtum vero non poſſe errare*. Jam certe quidem non niſi peſſime, nihilque eo ſane ſtultius, quam ob errorem unius, vel alterius, quin & plurium ac fere omnium ſeorſum, aliter ac aliter intelligentium, ubi etiam unanimi quæ Dei eſt, voce conveniunt, idque ut *doctrinam* docent *Catholicam*, ſicque *ab Eccleſia Chriſti receptum* habent, errori facile ac infeliciter obnoxios eſſe, effutire. An non ipſi explorare Apoſtolum fuit, [e] ubi *quoſdam dediſſe*, inquit, *Doctores ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti, ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum?* an non Eccleſia Chriſti rugam & maculam quæ minus decent, omni ſemper ætate habitura eſſet, quippe quæ ſemper Patrum oracula proſecuta, eorum ſe autoritatibus conſolidavit, Heterodoxis oppoſuit, fideleſque omnes omni tempore eos ſequi juſſit?

[d] In lib. contra Regē Angliæ.

[e] Ad Epheſ. 4. verſ. 12.

156 Et ſane multis nominibus id ab Eccleſia Patribus conceſſum eſt; ut quia temporibus Apoſtolorum viciniores, vel ab antiquiſſimis, quam traderent doctrinam edocti ſunt. Sed & præſertim quia quum egregias a Deo acciperent intelligentiæ atque prudentiæ dotes, e re ſibi maxima erat, ut adſidue ſcripturis addicerentur, & vitæ ac morum ſanctitatem percolerent; quo fit, ut & nihil temere, & nonniſi explorato Eccleſiæ ſenſu loquerentur, aut ſcriberent, & a Deo fœcundioris atque altioris ſapientiæ lumen haberent. Quodque inſimul experientia didicerunt multa ex Eccleſiæ intellectu, quæ clare

non

Digitized by Google

non definivit, in his quæ tum ſæpius celebrabantur Concilia. Inde enim fit, quo traditiones ab eis Eccleſia recipiat, ac reverenter utatur ipſis in explicatione ſcripturarum & fidei.

157 Ceterum eſto Papa Gelaſius memorato decreto ſuo plurium Patrum opuſculis firmitatis addiderit, ac maxime commendaverit; non niſi ſolam *epiſtolam Divi Leonis ad Flavianum* ita legendam exhibet, & obſervandam, quo anathema cuiq. dicat, [a] qui *ejus textum non ſuſceperit, vel jota unum diſputaverit*. Quo palam profecto fit, ex aliis Patribus neminem ſic eſſe in particulari canonice comprobatum. Quam & olim fuiſſe Auguſtini mentem, hujuſce nos rei admonitos eſſe volens, ſequentibus ſe ipſe verbis aperuit: [b] *alios autem non canonicos ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt, vel ſcripſerunt*: atque etiam: *ita alios lego, ita & volo intellectores meorum*.

[a] In Can. Sancta Romana dist. 15.

[b] Epist. ad Hieronym. 82.

158 Hic tamen nihilo ſecius eximius Doctor, quum tanti ab Eccleſia, & ſingulariter ſemper habitus fuerit, ut hæc ipſius paſſim doctrinam in canones & decreta ſibi transfuſam, fecerit ſuam, merito ſpecialiorem ſibi vindicat reverentiam, ut nedum quum ipſe inibi, ſed ubique dum *doctrinam* quandam dicit *Catholicam* ſuis in libris de *Prædeſtinatione* & *Gratia* adverſus Pelagianos, firmiſſime, infidelitatis ſecus luituri pœnam, adhæreatur illi & credatur. Quod nec plus, nec minus evincens *Epiſtola Cæleſtini* [c] Pontificis in medio ſiſtere nos jubet, quo nec Moraino aliiſque accedamus, ex Auguſtino in dictis libris unum aut alterum dogma, neque Noriſio Cardinali, [d] omnia quæcunque ad unum ex eodem de fide probata eſſe, autumantibus. Exinde autem caveas, ut quum Auguſtino aut alteri ex Patribus antiquitatis ſuffragio confirmatis, ſubſcribere ratione impellente renuis, eorum ne fidem illis detractes: te tu nanque gerere tunc ſane debes, quo majorem in diſſentiendo laudem, quam conſentiendo promerearis: tanta nimirum ſit tua illis præſtita reverentia.

[c] Ad Episcopos Galliarū: de qua in de Gratia.

[d] In hiſt. Pelagiana.

159 Quæ de Patribus antiquis quoad fidem ac mores ſpectantia diximus, ubi etiam de materiis tractant ſcholaſticis atque hiſtoricis, eandem volumus habere rationem. Crediderimus equidem ea ipſos ſacræ doctrinæ capita diligentia & ſtudio ſcripturarum exhibuiſſe opuſculis ſuis, *quibus nihil magnificentius de rebus altiſſimis, quantum poteſt captus hominum; nihil pro chriſtiana modeſtia temperatius de ineffabilibus myſteriis; nihilque accommodatius ad inflammandam pietatem & amorem in Deum, in poſterioris ævi ſcriptis nunc uſque comparuit*. [e] Rem etiam hiſtoricam ea ſolertia & attentione, ut neceſſe fuit, digeſſiſſe, quæ omni exceptione majores viros deceret. Nimirum ſingularis qua eminebant, ſanctitas morum, & ſpectabilis vita omnem omnibus præjudiciis viam claudebant, ne ſibi magis aut ſuis, quam veritati faventia conſcriberent.

[e] THOMASIUS in Indiculo.

DE

DE HISTORIA ECCLESIASTICA.

160 PRælibavimus ſummam Theologo hiſtoriæ ſacræ utilitatem ex Doctoribus, Patribus & Scripturis, [a] ubi Canus e cenſu Theologorum eliminat, qui jejunus hiſtoriæ Theologiam vel abſolvit, vel adgreditur; ubi Auguſtinus, *multum illam juvare*, dicit, *ad libros ſanctos intelligendos*; ubi *Sapiens*, ex Salomone, *Virorum nominatorum narrationem conſervabit*. Sed quid utilitatem dicimus? parum eſt: hæc nempe & alia neceſſitatem ſuadent. Quoſdam enim vero experti ſumus non ſemel, qui ſua philacteria dilatant, ſuique ingenii captu ea ſtudia minora putant, ut pſeudo-Canones improbatique Conciliorum textus illis ab aliis ejuſdem furfuris oppoſiti ſunt, modo pectus trementes, nunc frigeſactos frontem, ſanguineumque jam jam ſudorem emiſſuros genas; eo tanto nempe rubore ac pavore vidimus exagitatos; totamq. impendentes tum curam ſolertiamq. extorquendis contorquendiſque per inauditas formalitates adductis locis, quos toto pectore ebiberant, ſemperque tamen in eodem luto hæſitantes. Ubi ſi ſacræ hiſtoriæ ſe impendiſſent, vel quod ejuſmodi Conciliis eorum collectores præſantur aut identidem notant, quodammodo reſpexiſſent, futura quidem tota ſalva res foret. Quos ergo ignoratio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ut magis unos fecit audaces, ita & alteros magis depreſſos, utroſque vero ſic effecit minus Theologos.

[a] *Sacra hiſtor. triſariam commendatur utilitas ac neceſſitas.*

161 Sed nec raro accidit, ut ipſimet ſcioli, quos per tranſennam citant hæreticos, eiſdem obtundendis aut poſteriorum Patrum ſententias objectant, vel Concilia, aut quas non admittunt Apoſtolorum epiſtolas, librumve alium veteris teſtamenti, quem e cenſu Canonicorum expungunt. Non ſecus ac ſi Lutheranis Tridentinum opponeretur, Evangelium hebræis, divina quoque Biblia Mahometiſtis; vel ſi nobis hæreticorum Comitia, Talmud, vel Alcoranum Sectarii horum objicerent. Sic ubi memorati Doctores fingentes ſibi aptatum clypeum quo muniantur, accommodum enſem quo feriant hoſtem, illumq. inde proſternendum credunt; his ipſis pleno ore inſultantem riſu deprehendunt, inſcitiamque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ex-

probrantem. Sæpius etiam audivimus eam ipſos Patribus & Conciliis inter diſputandum dediſſe interpretationem, facto aliiſque contextibus quæ repugnaret.

162 Momenta quidem hæc ſunt, quæ ſuo te pondere in hanc ſententiam impellant faciantque extemplo dignoſcere non minoris eſſe perfectis Theologis hiſtoriam neceſſitatis, quam forte Logicæ Theoreticis diſciplinis, ut Metaphyſici plures habent. Non veremur interea quin illi operæ pretium facturus ex toto te addixeris; eoque id quidem animo, quo tibi impense ſtudentes, in tui hoc gratiam duximus exponendum. Ut vero caute des manus, selectiores quaſdam Critices & hiſtoriæ regulas, ſeu principia, quæ Johannes Clericus [a] Critices & hiſtoriæ Magiſter eximius congeſſit, ſubjungimus. [b] *Primo* ergo dum veritatem cujuſdam hiſtoriæ vel traditionis antiquæ conſequi cupis, rationem potiſſimum habeas neceſſum eſt ſcriptorum eorum, qui eo plane tempore, quo emerſiſſe fertur hiſtoria, hanc ſcriptis reſignaverunt; illiſq. fidem adhibeas per quam maxime; niſi tamen e probatis illius quoque tempeſtatis adſit, qui de contrario ſeſe teſtem faciat. Examinatis *ſecundo* ſcriptoribus contemporaneis, ſtandum tibi potius erit narrationi, quam de hiſtoria texunt illi, qui floruerunt ævo proximiori ad tempus, quo eveniſſe dicitur, quam qui annis poſtea remotioribus de eademmet meminere. Illas *tertio* narratiunculas, quæ & videntur apocryphæ, & circumferuntur ſub incerti, novi,aut non ſatis ſpectati autoris titulo, nullam tibi faceſſituras noveris autoritatem, ubi rectæ rationi, conſtantiq. veterum traditioni conſentaneas prorſus non deprehenderis. Nec immerito *demum* falſitati obnoxiam eam hiſtoriam ſuſpicaberis,cujus recentiores meminere tantum ſcriptores; præſertim ut videris pleraſq. ab eis adductas circumſtantias veteribus ignotas eſſe, aut inter ſe de illis notabiliter diſſidere.

a In arte Critica.

b *Quatuor adipiſcendæ hiſtoriæ principia ſternútur, quæ et alia ſequuntur.*

163 Aliam tibi etiam ſternendam regulam exiſtimamus: ut nimirum heterodoxis hiſtoricis in his quæ ad ſuum quod profitentur, dogma & errorem quantuluncunq. pertinent, nullam,ſi ſoli dicunt,fatearis fidem: facile enim tunc illis mentiri eſt, ut mendacium quod amplectuntur, novo alio ſuadeant. Hac de cauſſa, in quo Arianis favet, rejicitur Euſebius Cæſarienſis a Gelaſio Pontifice, [c] ac Sozomenus a Gregorio Magno [d] in his omnibus, queis Novatianis opitulatur. Sed & quoque his recenſitis æquo jure Gerardus Voſſius Chronologiam & Geographiam ceu duo hiſtoriæ lumina accenſet, illiuſq. certitudinem quatuor fere principiis fulcit. *Primum* eſt teſtimonium autorum; *ſecundum* tibi ſuppeditant obſervationes aſtrologiæ, habitæ præcipue circa Eclypſim Solis & Lunæ; *tertium* fundatur in certis quibuſdam Epochis, adeo conſtantibus atque tritis apud hiſtoricos, ut nemo de illis diſputet; & *quartum* denique in numiſmatibus & antiquis inſcriptionibus.

c In Can. Sancta Romana, diſt. 15.

d Lib. 7. Regiſt. epiſt. 31.

DE

Digitized by Google

DE CONSUETUDINE ECCLESIÆ.

164 THeologicis fortaſſe locis deficere crederemur *Conſuetudinem Eccleſiæ* non expendentes : quod tamen alio transferendum ducimus, proprie non omittimus : peculiaris hanc expectat materia tractatuſque proprius de Fide Chriſtiana. Quum enim inibi de notis Eccleſiæ Chriſti profuſo ſit nobis calamo diſſerendum, repetituri plane nonniſi eſſemus, quod heic fortaſſe agitatum optares. Propterea ne tibi recoctam crambem cogamur illic apponere; te eodem conſultius remittimus. Ceterum quo quidquam guſtes, & non prorſus jejunus abſcedas, intelligere modo potes, Eccleſiæ conſuetudinem in credendo infallibilem eſſe : nimirum quidquid illa tanquam *Fidei dogma* tenet, prorſus omninoque eſſe verum, nec quidquam falſum, quod ipſa aut credit, aut dicit credendum eſſe. Ea enim verba id forte evincere deprehenderis; *Sponſabo te mihi in Fide in ſempiternum*; [a] nam ſi Eccleſiæ Fides deeſſet, jam Sponſi Sponſæque matrimonium dirimeretur.

[a] Oſeæ cap. 2. verſ. 20.

165 Quia vero iſthæc verba indeficientem Eccleſiam, ſeu nunquam a profeſſa fidelitate receſſuram, rectius ſatiuſque prodere videbuntur; nec tamen illam dum ex errore unum credit aut alterum, quod neque in re verum eſt neq. ipſius falſitatem Deus patefecerat, infidelem dixeris ac matrimonium diremtum; aliunde iccirco quod adſertioni noſtræ validius robur adjiciat, arceſſemus monumentum. Et quidem nullus jam dubitabis, quin tibi rem hancce ſuaſam omnino facias, ſi perpenderis, nullum eſſe alioqui debitum audiendi Eccleſiam, inque ejus obſequium intellectum captivandi, neque Chriſtum met ipſum in his ei verbis faventem, [b] *Qui vos audit me audit*, &c, [c] *ſi Eccleſiam non audierit, erit ut ethnicus & publicanus*. Profecto quis rite ac recte devinciri poterit, ut ſequatur cœtum errantem in eo ipſo in quo errat? Ea igitur ratione qua irrita ſua fieri verba omnimodis Chriſtus non patietur, eo illis tetendiſſe credendus eſt, ut ſe continuo Eccleſiam docturum ſignificaret, ſuggeſturumque ſingula ad *Chriſtianiſmum* ſpectantia, atq. perenniter defenſurum, ne ab omnibus auſcultandam eam ubi lo-

[b] Lucæ cap. 10. verſ. 16.
[c] Matth. cap. 18. verſ. 17.

quereturꞏ, errare accidat. Quod ſi (ut exploratum jam eſt) conſenſus Patrum communis, quum in aliquo (ſilente etiam circa eum Pontifice) tradendo ſenſu Scripturæ omnes conveniunt, magni tantique habendus proponitur, ut grande eſſet piaculum vel paullulum eis refragari; quidni Eccleſiæ & Patrum par minime fuerit utrorunque cauſſa, ut quidquid ipſa practice credit, omnino, æque ac quod iſti docent, excipi debeat; utrunque nimirum ineluctabiliter? atque id multo magis, dum in conſenſu omnium fidelium ineopte is ille Patrum qui & de numero fidelium ſunt, continetur.

166 Ut autem omnino omnem hæſitationem pellas, doctiorque evadas, eo id animo fuiſſe dictum velimus ſcias, quo non in quibuſque ab Eccleſia creditis, ſed ſolum creditis ut *de fide* & a Deo acceptis, tantum illi juris profiteamur. Nimirum non pauca ſunt, quæ firmiſſime ac citra dubitationem omnem ea tota credit, quæ quum non ut *de fide* credat, nec tibi hujuſmodi obligationem ingerit, nec ſibi in iis *infallibilitatem* ſuadet, aliiſve venditat. Profecto Eccleſiæ conſuetudini acceptam referimus illibatam *MARIÆ VIRGINIS* Conceptionem, univerſi fidelium huic obſequuntur, corda etiam pleriq. fundunt & animos, cui & ipſos nos, quam qui maxime, a pueritia devinximus, votiſque obſtrinximus. Sed quid? infidelitatis fortaſſe pœnam qui ſecus ſenſerit, luet? non ita uſquenunc illa credit, neque tu ita credere modo cogeris; in *fide* etſi illam *audax* oppugnas, non deficis; nec ſi *pius* propugnas, in fide proficis: proficies autem in *caritate*, ubi te ad id, uti credo, laudabilis erga *Dei* Matrem pietas impulerit. Singuli etiam Catholicorum quem particularem hominem ſuo quovis tempore ut Papam adorant, Apoſtolorum Principi ſucceſſiſſe, atque Chriſti Vicarium agere tenent firmiter, neutiquam hæſitantes: quodque quivis dum ſacra faciunt, latriæ cultui exhibent Sacerdotes, id nullo animi motu qui ancipitem reddat, ex pane in Chriſti corpus converſum fideles credunt, orant, adorant, eique ceu Deo ſuo ſubmiſſionis officia debita exſolvunt; atque alia id genus multa. Quid tamen? hæſitantem in corde ſuo, ne non ita defectu quodam occulto in re ſit, hæreſeos non damnamus, infidelitatiſq. illi notam non urimus. Quæris cauſſam? jam dedimus: ita quidem Eccleſia credit, ſed non ita *de fide* credenda docet aut jubet: [a] ſubjicieris ſane, relata iſthæc omnia iiſque alia ſimilia non recipiens, Theologicis *cenſuris aliis*; cenſuræ tamen hæreſeos obnoxius non eris.

[a] *Nimirú de Romanis Epiſcopis hæc noſter PAULUS PP. IV.* Si ullo unquã tempore apparuerit, aliquẽ ante ejus in Romanum Põtificem adſumtionem a Fide Catholica deviaſſe, &c. Promotio ſeu adſumtio de eo etiam in cõcordia & de unanimi omnium Cardinalium aſſenſu facta, nulla, irrita & inanis exiſtat, nec per ipſius Romani Pontificis inthronizationẽ aut adorationem, ſeu ei præſtitam ab omnibus obedientiam, & *cujuſvis temporis in præmiſſis curſum*, convaluiſſe dici, aut convaleſcere poſſit. *Ita in Bullar. Rom. Bulla 19. De qua re nos etiam alibi, quum de Fide.*

DE

DE DEO
IN SE.

Consultius adoraturi accederemus, quam de Deo quidpiam diſputaturi; *Scrutator* enim *majeſtatis*, ut monuit Sapiens, [a] ejuſdem *opprimetur a gloria*; quin & Tullius vel Ethnicus, *de diis etiam vera dicere periculum eſſe* arbitratus eſt. [b] Hoc autem; niſi fidei Chriſtianæ umbra & inconcuſſa Patrum doctrina nos tanto malo ſubtraherent. Accedimus inde, quæ fides docet, quæq. Patres expendunt ad tranſcribendum potius, quam proprie interpretandum. Quam quidem ob rem tutius ſecuriuſque munere noſtro nos functuros confidimus: nimirum qui ſecus audax ea in re quidpiam attentaverit, ſuis ſe certo auſis mox excaſurum intelligat.

a Prov. cap. 25. verſ. 27.

b De natura Deorum.

DE DIVINIS NOMINIBUS.

DE EXISTENTIA ET NOTITIA DEI.

167 Signatam ſuper nos Dei notitiam id effeciſſe perſuaſum eſt, ut ingenito ac naturali quodam inſtinctu quo quiſque in illum evehitur, expreſſum clarumque ejuſdem conceptum ſinguli referamus. Quod enim cuique ineſt, nonniſi quam omnes communem habent, natura eſt. Id quod proinde nec Athei quidem, ni ſolum naturam exuant, experiri quodammodo prohibentur. [c] Ea enim etſi tacite loquatur intus, voce tamen ſic vehementi & grandiori,

c *Deum eſſe omnes omnino norunt, ipſa nobis magiſtra natura.*

ri, ut nullæ ei poſſint ſurditatem aures obtundere. Quid enim toties in magnis animi anguſtiis, quid in tantis periculis quam urgeri nos intus occulto impetu ad exquirendum Dei quem non videmus, potentiſſimum brachium, experti ſumus? non ſecus ac (ut exemplo utamur quopiam) qui ſitit aut eſurit, etſi nullam percipit ſibi potus cibique præſentiam, vel ejus memoriam retinet, interiorem impulſum tamen inſtigantis ſolius naturæ ad quærendum illa experitur. At quinam eos altos motus ingerere humanæ menti unquam potuit; niſi qui ad ſui exemplar in quo ipſum conſpiciat, creavit illam, ipſemet Deus? *Nemo enim eſt mortalium*, inquiebat eximius Theologus Johannes Damaſcenus, [a] *cui non hoc à Deo inſitum ſit, ut Deum eſſe perſpectum habeat.*

a Lib.1.de fide orthod. c.1.

168 Verum proporro eſt, ut ubi natura Deum probat ſibi, malitia dubitet, ne quiſpiam ab illa deceptus falſuſque ſit; nudumque potius & phantaſma ſimplex expreſſerit, quum Deum exprimeret: non aliter ac dormientes, qui dum ad aliquem inſtinctu quodam in fictis noctis adverſis quo juventur, confugiunt; nonniſi phantaſma cui adhærent tunc, amplectuntur. Eam quiſque tamen, ſi quam habet dubitationem excutiet, protinus ut dignoſcet, hunc eundem quem ipſe patitur, communem quoque ſingulis in quibus natura ineſt, ineſſe motum, eandemque animi propenſionem: tunc enim, ut rectiſſime fertur, quum *nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*, jam apud ſe exploratum habet, quod nec omnes hujuſmodi inſtinctus, nec ullum aliquem naturæ omnium plane unquam fefellerint.

169 Eo tamen id clarum ſit, [b] non innoteſcere *per ſe* menti noſtræ neceſſariam Dei *exiſtentiam*, ita ut ulteriori quæ in promtu eſt aliunde, non indigeamus ſuaſione: enim vero non ſolum ſe ferentem in eum naturam noſtram, hanc errare neſciam eſſe, per ſe ſuiſque ex *terminis* nunc uſque non novimus, ſed nec propoſitum ipſi objectum, ex ſuiſmet quibus ſe objicit, prædicatis, exiſtentiam ſui reapſe perſuaſiſſe. Quandoquidem, etſi ni cumulus perfectionum quarumlibet, à quibus exiſtentia ineptiſſime exciperetur, tuam tibi veniat in mentem, ſincerum conceptum Dei tum non exprimeres; ne putes tamen eo ipſo tibi conſtare *ex terminis* cumulum illum illudque ens abſolute modoque exiſtere, quin ſemper & extitiſſe. Anſa enim ex eo facilis præberetur alium Deum fabulandi, quem qui induceret, & alium perfectionum omnium *excogitabilium* æque cumulum conciperet exprimeretque.

b *Dei notitia diſcurſu quodã a nobis, ſed facili comparatur.*

170 Aliud inde eſt, habere *eſſe conceptum*, ac exiſtentiam quam *ſignatam* dicunt; aliud, habere *eſſe quod eſt conceptum* (ſeu cujus in nobis formata eſt ea conceptio) & exiſtentiam *exercitam*, uti vocant. Et ſane ubi Deum omnes concipimus, jam inter divina illius adtributa reluceat exiſtentia ejuſdem neceſſum eſt: hujuſmodi tamen rectiſſima ſummi Nu-

Digitized by Google

Numinis apprehenſio quam Atheus quoque fert, non aliud ſibi vindicat, quam habere Deum ſupremum *eſſe conceptum*, [a] ſuumque ultra non eſt, num *exercitum* quoque illud, & quod conceptum eſt, cujuſque ideam efformavimus, *eſſe* habeat. Non ſecus ac aliqua pictura Cæſaris, ex qua, dum vivus depictus ſiſtit, num ea ipſe vita, quæ eſt repræſentata, præpolleat, neutiquam deprehendes, ſolumque tamen & unum, quod inibi vitam habeat depictam, dijudicabis. Niſi ergo illud *ens*, quod ſibi omnes perfectiones vindicat, *reale* eſſe, tibi prius exploratum reddas, non ſuppetit, crediderimus, animus, ut ei exiſtentiam extra conceptionem mentis attribuas, quam ſolum ſi *reale* erit, habere poteſt: & ubi illud apprime, primumque facies, jam per *medium* quoddam, & non *ex terminis* exiſtere Deum tibi evincis, per quod nimirum *realitatem* illam evincis.

a Notitia Dei ex ſuiſmet terminis non effulget.

171 Abunde tibi vero ſuperque proditur, ex quo *realitatem* hujuſce entis ſumme perfecti invincibiliter ſuaſam habeas, ſuaſamq. aliis ſignifices: tu enim ipſe hoc tibi tantum ſuppeditas, tecumque etiam creaturæ omnes, quaſcunque aſpexeris. Adeas profecto tu modo volumus, non in quibus cæleſte lumen effulſit, Eccleſiæ Patres, ſed quos ethnicos natura ſimplex edocuit, effecitque tales, qui ſatis alios edocerent. *Quid*, inquit Tullius, [b] *poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, quum cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Vadeſis ergo, & non derideas Epicurum cum aliis, qui verbo Deos poſuit, re autem ſuſtulit, dum mundi fabricam ordinatiſſimam ad diſſimiles atomorum diſpoſitiones, ſeſe ipſas fortuna & caſu aliter ac aliter convolventium, quin id ſibi quidem perſuaderet, retulit. Et ubinam urbem aliquam, domumve unam, quæ operoſa longe maxime minus extant, caſu effecta unquam audivimus? & quandonam ex jactis fortuito innumerabilibus literis vel minimus ordinatus liber, aut aliqua forte periodus digeſta, ut ſciatur, fuere?

b Lib. 2. de natura Deorum.

172 Sed non inepte illi minus, qui *operibus attendentes, non agnoverunt quis eſſet artifex*, [c] ut homines ab hominibus ſine ullo ſemper principio effectos, ab equis equos, atque alia id genus omnia a ſuis reſpectivis cauſſis, in quibus nulla ſiquidem prima, nullumque improductum producens, ſibi comminiſci non dubitarunt, ac fabulari. [d] An non ipſimet, dum in infinitum cauſſarum ordinem protrahunt, infinitudinem exuat, compellunt? qui nempe ita loquuntur, ceteriq. qui auſcultant, omneſq. nos nunc præſentes ab aliquibus ex anterioribus noſtris cauſſis infinita, opus eſſet, diſtantia remoti fuiſſemus, a quibus tamen ad nos ſucceſſive deventum fuerit, decurſa profecto jam, & inde joco facta infinitate diſtantiæ, quæ nos inter & illas interceſſura tunc eſſet. Abſurdum quidem maximum, quod niſi nos, ni ſe ipſos

c Sap. 13. verſ. 1.

d Effugium Atheorum ad proceſſ. in infinit.

Digitized by Google

ipſos pejori extare negent errore, quin & infinitos alios ante utroſque; non videmus qui plane effugiant. Neque ævum quidem eos juvat, dum nec dies omnes in infinitum poſſibiles actu ſucceſſive erunt, ut fuiſſe actu illæ cauſſæ ponuntur; nec iccirco ab iſto præſenti, ad ullum, qui in infinitum diſtet, perveniemus.

173 Sed & dabimus quod ipſis tantopere lubet victuri magis ac fortius: ſint quo velint modo procreati homines, jumenta & arbores; Terra autem & Cælum per aliquam humana perfectiorem, nobiſque occultam, creatam mentem, eodem & ipſam modo progenitam: ſed jam profecto ſic omnium creatorem Deum ipſi tegunt, ut Nautæ mare oleo, quo clarius viſcera appareant. Quum enim unuſquiſque prout ab alio accepit, virtutem ſudit, ac ille alius ab altero, ut nemo ullum immotus moverit, jam, ut argutatur Angelicus, [a] non plus movetur ac movet, quam *ut inſtrumentum quoddam inanime*, quod ubi unum aliud, atque hoc aliud impellit (quum nullum a ſe id faciat) ab aliquo quodam principali impellatur aliquod eorum, ac mediate omnia neceſſe eſt. Quid diceres, ſi alium unus moveret globus, atque hunc rurſus alius, atque ita ſemper procederent, quos effingeres? moverentur ne unquam, ni unus illorum ab aliqua principali manu impelleretur, quo ſibi proximum, ac ſinguli ſingulos ſuccedentes moverent?

[a] Part. 1. q. 2. art. 3.

174 Sed neque tu tibi lateas; abunde in te uno habes quo docearis, atque tantum, quo vivum a mortuis Gentium numinibus ſegreges, haud confundas. Hæ nimirum ex operibus *quis eſſet artifex* non agnoſcentes, [b] *aut ignem* (Vulcani nomine) *aut ſpiritum*, nempe aerem ſuperiorem (nomine Jovis) *aut citatum aerem*, ſeu inferiorem procelloſum (nomine Junonis) *aut gyrum ſtellarum*, Zodiacum reliquumque Cælum (variis Deorum nominibus) *aut nimiam aquam* (Thetin, Neptunum) *aut Solem & Lunam* (Apollinem & Cynthiam) *rectores Orbis terrarum putaverunt*. Tu vero [c] *a magnitudine ſpeciei*, tibi ingenitæ, *cognoſcibiliter poteris Creatorem omnium videre*; dum vaſtiſſimam illam ideam, quam mente geris, de ſummo bono quod noſtri miſereatur, de ſummo potenti quod ſubveniat, de ſummo felici quod proſperet vel leviter perſcrutatus, & tibi Deum perſpectum facis, & hunc celſiſſimæ Majeſtatis, ac ſunt illæ ſpecies & amplius argumentaris. Quum enim, ut optime eximius Philoſophus *Renatus des Cartes*, [d] tibi ingenita & naturalis ea idea ſit, jam dignoſcis ab autore naturæ tuæ tibi inditam, qui quum dare nequeat, quo careat, nonniſi ſupra ſictos illos infirmoſque Gentilium Deos, ac præſtantiſſimus ſit, oportet, qui excedentes illas in te ſpecies derivavit.

[b] Sap. loc. laud. verſ. 2.

[c] Ibid. verſ. 5.

[d] Princip. Philoſoph. part. 1. numm. 14. & 18.

175 Propterea clarum redditur nullum hominem, cui perfecta lux rationis ſemel effulſit, ignorare Deum invincibiliter poſſe; tantum ni

Digitized by Google

ni penitus hominem exuerit ex homine. Quod quum nec Athei ipſi in ſe præſtent, neque aliis præſtare poſſint, fruſtra conantur impii ſuis ſophiſmatis profundam illius ignorationem alicui ingerere, vel ſibi oculos, ne videant illum, prorſus eruere ac obcæcare. *Peccatum* igitur pure *philoſophicum* nullum, dum qui turpe ab honeſto ſatius diſtinguit, reluceat illi oportet ſupremus aliquis legiſlator, qui ut natura rectiſſimus & ſapientiſſimus, inhibendum dignoſcat illud, ac velit. Fabuloſa proinde ſatis ea Molinæ narratio, [a] in Braſilia nimirum, ante initum duobus retro ſeculis cum Luſitanis commercium, nullam fuiſſe Numinis ſuſpicionem.

[a] Quæſt. 2. art. 1.

De origine Atheiſtarum.

176 QUi ſane, ut plures ſibi Deos facerent concupiſcentias ſuas, Deum ſui & harum Creatorem inficiantur, ore tamen, non mente, cui natura inceſſanter Deum loquitur; a Protagora primum [b] hujuſmodi impiam anſam arripuere. Is enim prior omnibus dubitaſſe fertur, *num aliquod præſtantiſſimum Numen adſit*: ex quo Diagoras [c] longe audacius eo devenit, ut nullum fore profiteretur. [d] Quod quum peſſime ferret Magiſtratus Athenienſis, ejus libros flammis devovit, quem & in exilium amandavit. Epicuro id caute procedendi occaſio fuit; qui quanquam curantem terras ineſſe dixerit rectorem nullum ſupremum, & incerto fluere mortalia cuncta caſu, ubi Deum tamen re ſuſtulit, voce poſuit. Audacter vero Diagoram ſecuti plures, divinoque humanoq. metu excuſſo, Atheiſmum profeſſi ſunt. Nec temporibus hujuſce noſtræ ætatis inſania iſta pepercit, dum præcedente ſeculo Lucilius quidam Italus, poſt eam per Gallias diſſeminatam, Toloſæ captus, in pertinacia crudelem ignis, ſed dignam mortem oppetiit: ac noviſſime decimo nono anno currentis, quum Romæ fuiſſemus, errorumque quoſdam Sylveſtrum Legni alioſque ſocios publicam ejurationem ineuntes, ſpectaremus, didicimus de Atheiſmo convictos eſſe.

[b] Ex Lactant. lib. 2. divin. Inſtit. cap. 2.

[c] Ex Athanaſ. oratione pro Chriſto.

[d] *Atheiſmi fũdamenta prior omnibus* Protagoras *jecit; ſuper quæ illũ ſtruxit* Diagoras.

177 At (quod nobis eſt maxima doloris cauſſa) impietatem hanc reapſe multos Politicorum queis, editis ſcriptis, patrocinatur Nicolaus Macchiavellus, homo impiiſſimus, ex corde modo colere, totoque animo, non ambigimus, permixtoſque nobis graſſari: nec eo minus pertimeſcendos, quod non palam ac præ ſeſe, ut alii, eam ferunt, ſed eo magis cavendos, quod tecti occultique ſunt, majorique licentia & impunitate inſoleſcunt; operibuſque ſuis multos alios (dum ad eadem excitant) in Atheiſmum, ſin minus facti, compellunt.

Digitized by Google

DE ESSE DEI.

178 VIdetur futile ac vanum eſſentiam Dei *metaphyſice* acceptam, ut petitur, amplius explorare, poſtquam Moyſe ſciſcitante, quis ille eſſet, ſe ſuam eſſentiam declarantem audivimus apertiſſime: [a] *Ego ſum*, inquit, *qui ſum*; & *ſic dices filiis Iſrael*: *Qui eſt*, *miſit me ad vos*. Quo quidem non purum nomen, ſed rem nominis ſignificatam monuit Ambroſius, [b] ubi docuit: *Non reſpondit nomen*, *ſed negotium*; *hoc eſt rem expreſſit*, *non appellationem*, *dicens*: *Ego ſum qui ſum*. Deus igitur eſt id quod eſt, ut proinde ipſiſſimum eſſe ſimpliciter eſſentiam ejus conſtituat, exprimat, adæquet. Trifariam vero hoc pleniſſimum divinum *eſſe* intellexeris, ut nempe Deus ex eſſentia ſua ſit *totum eſſe*, *ſemper eſſe*, ac *ſimul eſſe*. Eſt autem *totum eſſe*, quod omnem entis rationem habet, nec ſane ei gradus entis ullusli-bet deficit; eſt *ſemper eſſe*, quod neceſſario eſt, ut ſemper fuiſſe debuit, ſemperq. in futurum eſſe oportebit; eſt *ſimul eſſe*, quod omnia una eſt, dum ipſi nec præteritum præterit, nec futurum adveniet, ſed utraque hæc unum præſens complectitur.

179 Porro id genus eſſendi triplex importare hoc unum, *qui eſt*, abunde veteres Patres, ac perpetuo teſtatum habent. Totum quippe eſſe includitur illo ex Damaſceno ad hæc verba: [c] *Hæc dices filiis Iſrael*: *Qui eſt miſit me*. *Totum enim in ſe ipſo comprehendens habet ESSE*, *velut quoddam eſſentiæ pelagus infinitum & interminatum*. Semper vero eſſe ex Clemente Alexandrino, [d] qui hoc eſſe Dei proprium putat, *quoniam illum exprimit*, *qui revera ſolus eſt*, qui *ERAT*, & *EST*, & *ERIT*, *quibus ſignificandis temporibus unum nomen impoſitum eſt*, *QUI EST*. Simul autem eſſe ex Auguſtino luculentiſſime: [e] *quid eſt quod eſt? quod INCOMMUTABILITER EST. Nam quod ſemper aliter ac aliter eſt*, *non eſt*, *quia non manet*. *Non omnino non eſt*, *ſed non ſumme eſt*. Quæ tria ſiquidem omnia in eo uno, *quod eſt TOTUM ESSE* ſignificantur. *Ideo enim*, Dionyſius inquit, [f] *Rex SECULORUM dicitur* (quod *ſemper eſſe* ſpectat) *quoniam in ipſo TOTUM ESSE*, *& eſt*, & *ſubſiſtit*, *ac proinde NEQUE ERAT*, *NEQUE ERIT*; quod eſſe ſimul concernit, atque exprimit.

180 Hæc igitur eſt ea ſententia, quam antiquorum Patrum conſtantem exhibet THOMASIUS, [g] quamque pridem Magiſter ſuus jam exceperat; quem nimirum Roma, ubi Theologiam ille auſpicatus, Panhormum prodigio adventans, morituro Patri ultima ſolutu-

rus,

[a] Exod. cap. 3. verſ. 14.

[b] In Cõment. ad pſalm. 43.

[c] Lib. 4. cap. 12.

[d] In lib. 1. Pædagogi cap. 8.

[e] Ex tract. in pſalm. 121.

[f] Sive alius in libris de divin. nomin.

[g] In Theolog. antiquorũ PP.

Digitized by Google

rus, abſolvendo curſui Præceptorem habuit. *MAGNUM* [a] dicimus *ALBERTUM FARDELLAM* Patria Drepanenſem, Regulari profeſſione Panhormitanum, ſanguine, [b] moribus ac literis illuſtriſſimum: quem ſummum Theologiæ Præceptorem Panhormus, Roma, Lutetia, Doctoremque excelſum *Congregatio Presbyterorum Teatinorum* ad medietatem elapſi ſeculi ſingulari Dei munere recepere. Ingenio nempe tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil pene ad expugnandum ſibi propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit. Dignus propterea, qui & vulgariter ubique *Monſtrum*, [c] & Pariſiis totius pluries concionis calculo inter publice diſſerendum, *ſubtilis pluſquam Scotus*, [d] & dictus fuerit, & habitus; quique dum inibi plures in Theologicis declamationibus, ut mos tunc erat, obſtreperent ex arbitrio objecturi expoſitis theſibus proprium adinventum, exilitate vocis minus auditus, eam ſæpe meruit Præſidentium Cathedræ datam vocem: *Taceant omnes, audiatur Pater*, [e] ut nimirum ſilentibus omnibus *FARDELLA* unus auſcultaretur, cujus illi Doctoris noſtri præ ceteris doctrinam venerabantur, ac eatenus efflagitabant. Hunc igitur, quem Mæcenas noſter THOMASIUS Magiſtrum habuit, & nos habere fas eſt; ac proinde ab eo commendando ceſſamus modo; multa enim paſſim [f] laudandi *MAGNI* hujus *FARDELLÆ* gratia dicemus.

181 Abſolute igitur per *eſſe* Deus in eſſentia ſua conſtituitur: atque illud eſt primum potiſſimum, quod in noſtram de Deo notitiam venit ex omnibus, quos produxit effectus varios & creaturas. Cognoſcentibus enim nobis, noſtrorum quemlibet ſuapte natura, & eſſentia non eſſe talem, quo ſit *id quod eſt*, ſicque ab alio ſuum quenq. derivari *eſſe*, quo ſiſtat; apparet ultimo principale aliquod ſublime unum, de cujus eſſentia ſit ipſum *eſſe*, ſeu *id quod eſt*, ac proinde a nullo dependeat, & a quo omnia ſint. Ni enim in Ente illo id primo reluceret, deberet & illud ab alio credi; quemadmodum hac de cauſſa cognoſcimus omnes & quaslibet creaturas ab alio eſſe.

182 Hoc inde eſt, quod primo Deum a creatura diſcernit ſatis, ſummumque immenſumque chaos inter ipſum & illam ponit, nullis omnino greſſibus permeabile. Quæ nimirum quum poſſit eſſe & non eſſe, nunquam erit *eſſentialiter* ſuum ipſum *eſſe*; quumque etiam, dum eſt, finitum *eſſe* nonniſi, ac *ſecundum quid* ipſa habeat, eique exinde infiniti deficiant *eſſendi* gradus, magis quam ſit, non eſt. Solus igitur ille abſolute erit, quem pleniſſimum in *eſſe* noveris, inquiebat olim Hieronymus, ubi, *Deus ſolus*, habuit, [g] *veraciter eſt, cui comparatum eſſe noſtrum non eſſe eſt.*: in quod & Patres omnes pedibus eunt. Id ipſum etiam videtur in Deo primum, & quaſi ceterorum quæ illi attribuuntur, fundamentum (modo intelligendi noſtro) ac

[a] *Magnitudine ac præclaro elogio donatur a Venerab. ex noſtrat.* Domno Carolo de Thomaſiis *Mecenatis patruo* in ſua Theol. Romę impreſſa quodlib. 1. ſchol. 8. n. 5. pag. 20.

[b] Ex clariſs. Principib. de Paceco &c.

[c] *Cujus meminit P. Melchior Pomè Jeſuita* in epiſtola nuncup. ad librum, cui nomen: *La Lira a due corde*, pag. 36.

[d] *&* [e] Sicut tradiderũt nobis, qui ab initio fuerunt.

[f] *Ac præcipue in de Sciẽtia, Creatione Angel., Gratia & Incarnatione.*

[g] Epiſt. 136.

prima radix fonſque ſimul primarius. Dum enim *eſſentialiter* ipſe eſt, a quoquam ideo dependere non novit, nec unquam noviſſe poterat: ſibique proinde exigendo & aſſumendo fuit, quotquot tam excelſæ potentiſſimæque naturæ, perfectiſſimoque *eſſe* non repugnarent, (ut non repugnant) ſublimiſſimas perfectiones, eoque profecto iſtud, quo meliori nobiliorique modo fas erat; neceſſaria nimirum, ac ſumma invicem, ſibique connexione. Opportune inde Bernardus in eo nos firmat: [a] *Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, QUOD EST, eſt. Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc OMNIA ESSE. Si & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe; ſi ea dixeris, nihil addidiſti; ſi non dixeris, nihil minuiſti.* Omnia ſiquidem in ſolo *eſſe* Dei radicantur, ex eoque ſolo inde pullulant.

183 Si ergo ubi Deum beatum dixeris, aut ſapientem, non receſſiſti ab *eſſe*; fruſtra quidam anguntur ſcrupulo, qui aſſumentes *vitam intellectivam*, [b] ut ſe Deus beatificet per eſſentiam, hanc per illam conſtituunt: quin tamen primum omnium in Deo prædicatorum aſſumant, quum ex Dionyſio [c] *ipſum per ſe eſſe antiquius eſt quam ipſiſſimam eſſe vitam, & ipſiſſimam eſſe ſapientiam*; quin illa ceteras Dei perfectiones derivet, quum potius, quas in eſſentia intueatur, præexigat; quin ultimo (diviſo ente per Deum & creaturam, ut in duo membra oppoſita) data Dei differentia illi, ut par eſſet, creaturarum opponatur. Nimirum neutiquam iſtæ per negationem ſummæ intellectivæ vitæ conſtituuntur.

184 Hinc ubi toties ex oppoſitione ad creaturam audieris explicatum Deum per *ens a ſe*, ne putes, caveas, quaſi ſe ille ipſum produxerit, ſed ita ſolum, quod ab alio non ſit. Quæ quidem negativa explicandi ratio nonniſi ab aliquibus recte minus, ad conſtituendam eſſentiam Dei poſitivam & perfectiſſimam, uſurpatur: ni tamen his velint verbis perfectionem illam, hujuſmodi negationem fundantem, ſubintelligere, quæ Deum primo exprimat; noſtræque iccirco adhærere ſententiæ, ipſamque amplecti; quod & merito vellent; dum neque minus creatura ipſa quo ad rem ſane explicatam, & *ſecundum eſſe abſolutum abalietate* ſua conſtituitur, ſed per eam rationem, quæ illam fundet; per hoc nimirum, quod non ſit eſſentialiter, ſed habeat *eſſe* ſuum. Quæ porro *aſeitas* & *abalietas*, dum *formaliter* modi ſunt, quomodo Deus & creatura ſe habeant, exprimentes (*ingeniti* namque *vox*, ait Cyrillus Alexandrinus, [d] *non eſt SUBSTANTIA, quum non quid natura ſit Deus, ſignificet; ſed MODUM, quo eſt, oſtendat*) jam conſtitutas ſupponunt antea res ſuas, quas afficiant.

[a] Lib. de conſid. cap. 6.

[b] Uti plerique de Schola Divi Thomæ.

[c] Sive alio in libris de divinis nominibus.

[d] Lib. 31. Theſaurorum pag. 262.

DE

Digitized by Google

DE UNITATE DEI.

185 O Leum & operam perdidimus, ſi quem verum nobis Deum comparavimus, non unicum evincamus. Deus *ſi non unus eſt*, inquiebat Tertullianus, [a] *non eſt; quia dignius credimus non eſſe, quodcunque non ita fuerit, ut eſſe debebit*. Dum enim plures ſunt Dii, unus alterum limitet, ne ad ipſius perfectionem excurrat, neceſſum eſt; ſcilicet unicuique Deo deeſt id, quod ineſt alteri proprium; quod quum divinum, maximum & perfectiſſimum ſit, cuilibet inde Deorum divinum aliquid deeſt & maximum & perfectiſſimum. Quinimmo propter ſimplicitatem unicuique debitam, cuilibet eorum id totum deficit, quod alter eſt: ut proinde quo plures ſunt, eo plura deſint cuicunq. Hinc ubinam illa eximia, quam de Deo notionem, vel natura ipſa magiſtra, habemus, perfectiſſimi ſummique entis, cui nihil deeſt, nec unquam deeſſe poterit? aut quomodo de eſſentia illius pleniſſimum *eſſe* erit, cui deficiunt eſſendi gradus pleniſſimi? vel ubi denique illud ipſum, *quo melius, eoque majus excogitari nequit* (qua exactiorem nullam de Deo ideam profecto habemus) dum ſingulare aliquod Numen, & ſuperius & compar excludens ſibi, ac ea propter nobilius quiſque erit excogitando?

[a] Lib. 1. contra Marcionẽ.

186 Sed non te moveat pluralitas Perſonarum in ipſo Deo, quæ in Symbolo Athanaſii *coæternæ* dicuntur, & *coæquales*, ut ſuſpiceris omnino palam non fore, ſit ne ipſum fortaſſe melius & unicum & ſolum eſſe, an potius optimos & æquales habere ſocios, quibuſcum & combeetur? Ea enim ipſa Perſonarum æqualitas non fundat, ſi fidem conſulis, tres æque nobiles, ſed quod tres illæ in nobilitate ſint idem prorſus ac unus, ut nec tres æterni ſunt, ſed unus ſolum æternus; eoque id modo quidem, ac ibi Filius producitur æqualis Patri ſecundum divinitatem, quum idem ſit. Sed ne iterum hallucineris, caveas, poſſe unum Deum eſſe ſummum, quin excurrat ad *individualem* alterius perfectionem, ut ſummus Divinus Pater, quin ad Filii proprietatem excurrat, Divinus & Summus eſt. Te namque jam doctum vel in ipſis fidei elementis credimus & imbutum, ut proinde ſcias æternam naturam Patris, ejuſque eſſentiam Divina *Filiatione* pollere omnino, ac viciſſim eam Filii Paternitate. Sed & paullo altius infra doceberis ab Eminentiſſimo juxta ac perſpicaciſſimo Cardinali Cienfuegos, [b] prout hauſit a SS. PP. *formalitatem* nimirum unius Perſonæ non prorſus ab illa alterius ſecretum iri, dum invicem juxta *abſolutum* eſſendi modum communicant, & idem ſunt,

[b] In ſuo Theologico Ænigmate.

187 Sed

Digitized by Google

187 Sed quid pluribus immoramur? Natura ipſa nos doceat, cui nonniſi unicum Deum manifeſtari oportuit & illuceſcere: dum ſibi omnino ſufficere Deum unum inſinuat; ſicque alterum *eſſentialis* ſuperfluitatis & notet, & inexcuſabilis Polytheiſtas temeritatis arguat neceſſum erit. Quam porro evidentiſſimam veritatem ingenitam, cuicunque adhærentem, ex toto Ethnicis inacceſſam non noveris; dum eorum Philoſophi, eſto plurimos ſibi Deos, ac longe varios effingerent, ſaniores tamen inter illos, ut Platonici, ab uno aliquo maximo propagatos putarunt ceteros. Sed quot inde agnoviſſe Numina, potius dixeris, quam unum? *Jam ergo ceteri Dii non erunt*, inquit Lactantius, [a] *ſed ſatellites ac miniſtri, quos ille unus maximus, & potens omnium diſtinctis officiis præfecit*. Nempe illi ſummo pares non ſunt, qui ab illo creati, eique ſubjecti, nec inde Dii, *quos parere uni maximo Deo neceſſitas cogit*.

a Lib.1.cap.3.

De origine Idololatriæ.

188 EXecrandum hoc ſcelus, longeque omnium maximum, quod ſecum omnia trahit ſcelera, & excitat Antediluvianis hominibus affricuerunt Hebræi plures apud Hieronymum: [b] dum nimirum ab ipſius mundi incunabulis *cæpit Enos*, qui fuit Seth, qui fuit Adam, *invocare nomen Domini*; [c] id quod in hebraico textu ipſi legunt: *Tunc prophanum fuit invocando nomen Domini*. Ab eoque id temporis taliter excreviſſe volunt, ut corrumpente inde univerſa carne viam ſuam, pœnituerit Deum, quod hominem feciſſet, ac diluvio deleverit. Sed has mere quiſquilias recte dixeris, dum attento quod de Idolis habet Sapientia, [d] *ea videlicet ab initio non fuiſſe*, facilius ac felicius explicant Patres, ſic dictum Enos, quod ſpeciali ritu docuerit invocandum Dei veri nomen, & colendi ceremonias exhibuerit. Nec timemus fore ut putes idololatriam dediſſe cauſſam diluvio, dum expreſſe impetenti libidini id vitio vertitur.

b In Tradit. Hebraica.
c Geneſ. c.4. verſ. 26.
d Cap.14.verſ. 13.

189 Porro a Diluvio ad Abraham idololatriæ uſum jam in orbem invectum (quod ejus pater Thare ſerviiſſe Diis alienis proditur [e]) conſtans eſt: quanquam ſimulacrorum nulla mentio in ſacris literis ante Labanum, cujus Idola abſtuliſſe dicitur ejus filia Rachel; [f] ſolito tamen hæreditario more in familia jam conſervari. Hoc nempe genus ſceleris abſq. imaginibus olim fuit, auſpiciumq. ſumſit, juxta Lactantium [g] & Euſebium Cæſarienſem, [h] apud primos Ægyptios a Cham deſcendentes, qui cæleſtia ſuſpicere, atque adorare cæperunt. Sed quum poſthac ſecutis temporibus perveniſſent artifices, qui portentificas

e Joſue cap.24. verſ. 2.
f Geneſ. cap. 31. verſ. 19.
g Lib. 2. Inſtitut. cap. 14.
h Lib.1. de præpar. Evang. cap. 26.

Digitized by Google

cas beſtiarum figuras & hominum, quas colerent, efformarent, cœperunt adorari Numina in ſimulacris, Deorumque numerus in ingentem augeri. *Poſtquam autem ars floruit*, inquiebat Clemens Alexandrinus, [a] *auctus eſt error*.

190 Verum profectò eſt Idololatrarum non omnes æqualiter Idolis ſuis obſecutos, ſed duplex fuiſſe illorum genus; quidam enim in imaginibus ipſis, quæ mirifica, ſeu dæmoniaca operabantur, eſſe aliquid divinitatis, ut eis hoc ipſo divinus cultus deberetur, putabant. Quod in cauſſam venit, ut objurgandis illis, in hæc Tertullianus eruperit & reflexerit; [b] ex eodem nimirum ligno excidi partem, quæ Deus fiat, partemque aliam, quæ rogo, & igni tradatur: quumque pars ligni una, a ſibi ſocia, in ſubſtantia ſane non diſtet; ut hæc combuſtioni damnatur, ſic & Deum illum qui ſuſtineat id ipſum, aptum & dignum fore. Quidam autem emunctioris naris Gentiles, quæ ſimulacra efformabant, nullo eis divino cultu obſequebantur, ſed creaturis, quarum erant imagines; ut Soli, Lunæ aliiſque. Ob eam forte rem defendendæ ac inhibendæ Apoſtolis, primis illis temporibus, viſæ ſunt Cælicolarum Chriſtianorum icones, ut Idololatris ſcandalo non eſſent; ne nimirum in quo eos objurgabant, viderentur ipſi imitari: quemadmodum contra Synodum Antiochenam ex Tertulliano retulimus. [c]

191 Sed a quo tempore præfatus cœperit cultus ſimulacrorum, nonnihil inconſtantiæ præſefert. Id autem nos non præterit, laudari ab Auguſtino [d] Mercurium Triſmegiſtum, a quo tantus error ad priſcos ſuos proavos refertur, adjudicaturque; ut proinde Abrahami tempora præceſſiſſe non abſimile ſit: tantoque profectò magis quod ex ſacris literis [e] edocemur, adinveniendorum Idolorum cauſſam præbuiſſe amorem Patris erga Filium mortuum, cujus imagini cæleſte obſequium ac divinum preſcripſit, famulis exſolvendum: deinde vero iniqua conſuetudo quum convaleſceret, *hic error tanquam lex cuſtoditus eſt*, *& Tyrannorum imperio colebantur FIGMENTA.* [f] Pater autem ille fuiſſe Syrophanes Ægyptius perhibetur apud Fulgentium, [g] vel alium quempiam Mythologiarum autorem. Eorumq. autem primus omnium Tyrannorum *Ninus* dicitur a Divo Hieronymo [h] & aliis, contemporaneus Thare, Aſſyriorum Rex, qui rapto ſuo patri *Belo* imaginem fecit, ſubditoſque præmiis exemptionibuſque ut adorarent illam induxit. Ex eo uno Belo permulta Idola Gentium ſumſiſſe nomen conjicere nobis non leve erit; dum profectò Moabitarum illud *Beel-phegor*, Tyriorum & Synodiorum *Baal* & *Belial*, Punicorum *Baal-ſaner*, Accaronitarumque *Beel-zebub*, appellari conſueverunt.

192 Porro Deorum ſpecies, ut plurimas, ſic diverſiſſimas commenti ſunt, quo alios ex ſingulis elementis voluerint; arboreos alios,

fluvia-

[a] In Protreptico.

[b] In Apolog. pro fide Chriſtian. ad Imper. delata.

[c] Supra num. 68.

[d] Lib. 8. de Civitate Dei cap. 24.

[e] Sap. cap. 14. verſ. 15.

[f] Ibid. verſ. 16.

[g] Lib. 1. ſ. *Vnde Idolum.*

[h] In Oſeam cap. 2.

Digitized by Google

fluviales, fontales, alienigenas, indigenas, patrios, penates, atque alios id genus plurimos effutierint ac ſibi finxerint. Ut propterea illorum numerum ad 30000. perductum memoret Heſiodus; [a] quin longe plures, ac ferme innumerabiles effictos Deos evincitur ex Laertio, Alcinone ac Æneſio, [b] qui veterum quorundam dictum recenſet: *non aëra æſtate muſcis tam plenum eſſe, quam geniis*. Verum quæ primo Ægyptus [c] adoranda extruxit figmenta, digna fuit, quæ Chriſto nato, ea ipſa nocte, corruentia eadem proſpiceret: nec futurum alibi abſimile, (dum *idola in perpetuum non erunt*, inquiebat autor Sapientiæ [d]) noviſſe liquet.

[a] In carmin.
[b] Lib. de Anima.
[c] *Nefandum Idololatriæ crimen Ægyptios habuit primos Parentes.*
[d] Loco laud. verſ. 13.

De lapſu Marcellini Papæ in Idololatriam.

193 PErhibetur Sinuëſſæ coactum Concilium a Clero Romano ad annum tertium ſeculi IV, deponendi cauſſa Marcellinum Papam de lapſu accuſatum, quod ſæviente Diocletiani Imperatoris perſecutione omnium maxima, ad Idolorum ſacrificia ductus, thus Romæ eis adoleverit: idque tamen non accidiſſe; quum facti jam ille pœnitens ſaccoque indutus, conſperſuſque cinere caput, publice in Concilio medio ſibi pœnam efflagitarit: quod ubi audierunt, eam omnes dediſſe vocem: *Tu te ipſum judica, nam prima Sedes a nemine judicatur*. [e] Martyrio inde per Diocletianum mox laureatum, cælo fuiſſe aſcriptum.

[e] Ex actis præfati Concilii.

194 Sed factum hoc fabuloſis recentes non modo Critici emunctæ naris quot ſunt, ſed & quoque Auguſtinus olim, re quidem expenſa ſatis, accenſuit, mendacioque Donatiſtarum conſtructum. Nimirum quum hi morem gerere Cæciliano, atque in Epiſcopum ſibi Carthaginienſem recipere dubitarent, quod a Felice Aptungitano, qui ſacra in anteceſſum volumina tradiderat, Sacerdotio initiatus eſſet; res tota provinciali Concilio examinanda, mandata eſt, cui quum accederet ſuo Melchiades Papa judicio, Cæcilianiq. electionem probaret; Donatiſtæ id eludere volentes, criminantur Papam illegitime quoque electum, quod Marcellino thurificante, cujus erat Preſbyter, ſacros Codices & ipſe prodidiſſet. Hinc Auguſtinus contra Petilianum hæc habuit: [f] *Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus & Sylveſter traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Sed quid laborem probare defenſionem meam, quum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?*

[f] De unico Baptiſmo cap. 16.

195 Et ſane Auguſtinum id non fugiſſet, qui eo ipſo ſeculo inter

vivos

vivos agebat, qui Romæ tandiu verſatus eſt; catalogum & acta Pontificum texuit, exploravit; quique hocce de quo loquimur, factum, importunis Donatiſtarum objectionibus laceſſitus, accurate debuit expendere. Neq. unquam Donatiſtas ipſos, qui omnem ad hoc verterunt lapidem, momenta aliqua prætériiſſent, quum præſertim valde ſuppeteret Sinueſſana, ſi jam vera fuiſſet, laudata Synodus. *Thurificationis arguitur*, ait Auguſtinus, [a] *ſed nunquid etiam convincitur, aut convictus aliqua documentorum firmitate monſtratur?* eodemque etiam id loco; *lapſum Marcellini Donatiſtæ quidem Catholicis objecerunt, ſed crimen eſſe commiſſum hactenus non probarunt.*

196 Sed paullo altius ſe ſuis actis damnare hanc Synodum deprehendes, ubi vel leviter tuum ad id animum adduxeris. Ecquis enim facile ſibi ſuadeat, ut ſæviente perſecutione omnium maxima, quum quivis Chriſtianorum, ſubiturus alioqui vitæ diſcrimen ultimum, cautiſſime deliteſcebat, valuerint facilius ac felicius trecenti Epiſcopi congregari? Eoque id magis, quod in ipſa urbe Roma in conſpectu crudeliſſimi Imperatoris catervatim tot Chriſtiani prodiiſſe dicantur, petituri templum, ceu ſacrilegæ thurificationis teſtes: commiſſum inde facinus ſub horum oculis audacter inficiatus eſſe in Concilio Marcellinus; convictuſque ab uno teſtium, dato ſigno, quod id fecerit, quo die purpuram exuit, tempore illo nimirum, quo nullus faſtus in Eccleſiam irrepſerat, debitam Prælatis ejus prohibente perſecutione majeſtatem; coactumque tandem Concilium ad judicandum & condemnandum Pontificem lapſum, eam illud dediſſe vocem, *Prima Sedes a nemine judicatur*, [b] dumq. etiam damnari poſſe ac deberi Pontificem, a fide devium, ſolenne eſt in Eccleſia, [c] Mittimus nullam vel tenuem memoriam nobis occurrere civitatis hujuſce Sinueſſanæ in Regno Neapolitano apud ſacros vel prophanos Scriptores; & aſſerere cum Binio, mutaſſe nomen, divinare profecto eſſet. Quæ inter alia quum ita ſint, narrationem iſtam quid rectius dixeris, quam commentum?

197 Verum quidem vero, quum ſecutis inde temporibus nil obſtaret poſt Donatiſtas depreſſos Marcellini lapſus, nec ab illis conficta poſtmodum Sinueſſana Synodus obtineret, oblivione antiquis Auguſtini clamoribus obvolutis, ac profundo ſilentio conſepultis; potuit ſenſim uterque error irrepere in orthodoxos: ut proinde poſt quinque ſecula & amplius Nicolaus Papa Primus (quum ſibi ſe oppoſituro ſchiſmati Photii graſſanti tunc e re maxima eſſent præfata verba Synodica: *Judicandam a nemine primam Sedem*) ad Michaelem Paleologum ſcribens, & lapſus Marcellini & Sinueſſanæ Synodi, fortaſſe *ad hominem*, ut ajunt, meminerit. Atque ubi Pontificem unum, quod minus eſt, falſum eſſe in rei geſtæ narratione hic oſtendimus;

[a] Loc. laud.

[b] *Præfata hæc omnia ex actis ipſius Concilii apud hujus exhibitores.*

[c] Can. *Si Papa* diſt. 40.

Digitized by Google

dimus; alium, quod eſt majus, ab execranda vindicamus apoſtaſia turpiſſimaque a fide defectione.

198 Eodem etiam momento, quod jam uterque error vulgariter receptus eſſet, aut non ſatis tunc utraque contradictionis pars explorata, potuit Romana Eccleſia, recitandam in divinis Officiis, exhibitam ſibi Marcellini vitam excipere, accuratiori eorum (quod opus non eſſet) quæ narrantur ibi de lapſu & condemnatione illius, neglecto examine & criterio profundiori. Neque enim aliquem latere poteſt, apocryphorum permultis infartum Breviarium fuiſſe olim, ut ei corrigendo non mediocrem navarint operam, ex commiſſione Clementis VII. Romani Epiſcopi, [a] *Congregationis noſtræ* primi Parentes, eruditiſſimi Viri, ſacrorumque rituum zelantiſſimi cultores; neque tantam potuiſſe diligentiam, quæ humanam excederet, adhibere, ut nova plurima alia exſufflanda non ſupereſſent: dum neque illis expungendum fortaſſe fuit, quam quod evidenter tunc falſum erat, aut evidenter temere nonniſi poſitum. Haud tamen in eo quod dicimus, Romano forte Breviario obſequium ſubtrahi, & verum aliquod præjudicium afferri putes; dum etiam ex Auguſtino [b] in materia facti *plenaria ipſa Concilia ſæpe priora a poſterioribus emendantur, dum experimento aliquo aperitur, quod clauſum erat.*

a Clementinâ hanc quæ incipit: Venerabilis Frater &c. Exponi nobis nuper feciſtis, *cetera.* 1529. *per extenſum exhibet clariſ. ſcriptor ex noſtratib. ac piëtiſſimus* Dominus Franciſcus M. Magius *in* opere de ſacris Cærimoniis in offic. & choro *opuſc.* 2. *diſq.* 2. *fol.* 152.

b Lib. 2. de bapt. cont. Donatiſt. cap. 3.

DE BONITATE DEI.

199 SUmmam Dei Bonitatem non impetunt tot mala in orbem invecta, quippe qui *maluit de malis bona facere, quam nulla eſſe mala permittere.* [c] Ex eo inde tot innocentes opprimi ſinit, ac in lacrymis ſerere, ut eximia in illis conſtantiæ virtus & fortitudinis, & in ipſo remunerationis gratia ſuum locum habeant. Quot laureati Martyres cælum ornant, quot fidei Confeſſores patientiſſimi, ac Virgines aliique etiam ex omni ordine plures: unde hoc? niſi quia Deus & Tyrannos & feras ipſas, (quas iidem interdum Martyres, futuri ex eo maximi emolumenti ſat bene conſcii, exagitabant, præveniebant) diſpoſuit, ſivit in illos irruere ſæpius, & inceſſere, & quodpiam aliud tribulationis genus. Ceterum, qui pœnam *talionis* indixit; [d] qui *viſitari* monet iniquitatem patrum in filios; [e] qui *mala civitatis*, ſeu pœnarum inflictiones, ipſe eſt, qui faciat ulturus Dominus, [f] quique undique id malum creat; nonne hæc ſub oculis, quo peccatum odio proſequatur Deus, demonſtratum habent, & Bonitatem ejus commendatam?

c Ex D. Auguſt.

d Exod. 20.

e Amos 3.

f Iſa. 45.

De

Digitized by Google

De Errore Manichæorum.

200 NE ſua quibuſdam ſcelera vitio verterentur, Deum aliquem ſumme malum, quem illorum (ſceleſtiſſimi ſic effecti) inſimularent, commenti ipſi ſunt ac novum quendam inter Chriſtianos Polytheiſmum inſipidiſſimum invexere. Hac porro primum impietate *Gnoſtici* quidam, ſeu *Scientes* blaſphemaſſe ſecundo ſeculo perhibentur, a Carpocrate forte profecti, quos Cerdon & Marcion, qui & *primogenitus Diaboli* a Divo Polycarpo [a] ob id vocatur, ſecuti ſunt. Totaque inde ea vehementius ſequenti ſeculo veſania debacchatus *Manes* (unde Sectæ *Manichæorum* auſpicium ſolenne eſt) refertur. Hi plane omnes duo rerum principia, unum *bonum*, & *malum* alterum effutiere, hoc veteris, illudq. novi teſtamenti autorem, creatorem viſibilium malum, & bonum inviſibilium: id quod cauſſæ fuit, ut in Nicæno Symbolo eidem expreſſe Deo *viſibilium omnium & inviſibilium* creationem Patres illi confitendam adjungerent. Verum ubi ceteri a ſe ambos & coæternos ſomniarunt Deos ſuos: Marcion per ſibi Apellem diſcipulum, a bono malum creatum novit ac Deum effectum. [b]

a Ex D. Hieron. lib. de Script. Eccleſiaſt.

b Ut ex Aug. lib. 1. de hæreſ. capp. 21. & 23, Epiphan. aliiſq.

201 Porro Manes, qui peculiare huic hæreſi nomen dedit, pluresque ſibi aſcivit diſcipulos, infecitque orbem diu; indignitate hacce ſua, dignus eſt, qui ſummatim quoad originem & progreſſum recenſeatur. E Perſia ſceleſtum illum emerſiſſe habent, atque a quadam muliere, in cujus ſervitutem devenerat, manumiſſum, & adoptatum, omnium ſuorum bonorum hæredem factum: *Cubricum* illi primum nomen fuiſſe, mutatum dein in *Manem*, quo antiqua ſervitus diſſimularetur; tertioque ac tandem in *Manichæum*; quod ferre nollent diſcipuli, opprobrii eſſe Magiſtrum ſuum apud Græcos, qui *Manes* ab inſania derivant: errorem ſpargendi hanc illi fuiſſe occaſionem, quod inter bona adoptantis, ſcripta quædam Scythiani Saraceni, per Terbinthum diſcipulum in eam domum, ubi illa oppetiit, delata, fortitus fuit. Hiſce in libris præformatum reperiiſſe Manichæum errorem, quem evulgando poſtea fecit ſuum, eoque apud Arabes & Afros exitium fidei intuliſſe: ſibique tandem conſciviſſe ultimum malum, dum (nimium quippe dæmonum arti confiſus, filii ſanitatem Perſarum Regi ſpoponderat) defuncto puero, parentis illuſi juſſu, vivus fuit excoriatus.

202 Ineptiſſimus profecto hic error, ipſique quem fingunt, Deo ſumme injurius; niſi quod eum quidem quo ſtatuunt modo, eodem deſtruunt. Quod enim natura ſua ſumme malum, quin ipſum malum

ſummum ex eſſentia eſt; excludat a ſe oportet quantulamlibet boni alicujus rationem: ea inde propter, dum vivere, intelligere, exiſtere, ac cetera hujuſmodi, bona ſunt, jam Deo illi malo ſummoque malo non convenit vivere, intelligere, exiſtere, atque prorſus id genus alia. Porro ambo iſti duo Dii, ſi forte utrique viverent, poſſent & vellent aliquid; quum ſibi mutuo ex eſſentia contrarii ſint, comperta res inde erit, ſi ſe compatiuntur, nonniſi ab invitis eſſe, ut invicem compatiantur. Quæ quidem duo prorſus abſonant cuique habenti rationis diluculum vel exiguum: jam enim ex eo fit palam, quod parum ſit potens quiſpiam ex illis, ut alterum virtute ſua non obterat, vel compeſcat; quodque eorum quilibet cogatur alterius inſultus invitus pati, ejuſque tyrannidi omnino ſubjici, ſibiq. hoſtem, velit, nolit, ferre infenſiſſimum. Quod plane quid potius dixeris, quam miſeriam extremam ſummamque infelicitatem? & quomodo inde Dii ambo erunt, qui naturali neceſſitudine ſunt ipſi pariter miſerrimi & infeliciſſimi?

203 Effutiunt inde inſulſiſſime, præcepto ſuo Deum veteris teſtamenti, quo malus evinceretur, patratam olim vidiſſe fornicationem ab Oſea, [a] furtumq. Hebræorum in Ægyptios, [b] remunerationeque item ſua commendaſſe fraudem obſtetricum Pharaonis & mendacium, [c] ſatiſque illum a bono altero Deo novi fœderis, his iſtis verbis notatum, quod *Deus hujus ſeculi excæcaverit mentes infidelium*; [d] quamque tandem ob rem *nunc Princeps*, habet, *hujus mundi ejicietur foras*. [e] Sed minime equidem dubitandum, quin eas ineptias deriſione potius aſperneris, quam digneris ulla ſolutione: ſi enim Deus malitia ſua mendacium, furtum & fornicationem in antiquo fœdere præcepit & commendavit, cur antea diluvio & igne vitium carnis tam acriter eſt inſectatus, mentientemque animam ſuo occiſam mendacio monuit, furantibuſque olim populis inopinato exitio non raro fuit? Siccine ergo prædicta mala proſequitur, dum inſequitur? Oſeæ inde præceperat, quæ prius fornicaria erat, in uxorem ut duceret; quumque ſupremus Dominus eſſet, bonorum Ægyptiorum dominium in Hebræos tranſtulit, quo furtum evitaretur; remuneratuſque fuit in obſtetricibus, quia timuerunt Deum, ex quo tamen, harum improbitate, non commendatum unquam mendacium proceſſit. Nec ſane Deum ipſum Verum excæcatarum Infidelium mentium argutum deprehendimus, ſed Diabolum unum, ex Tertulliano, [f] Auguſtino [g] & aliis Patribus, qui quidem *hujus ſeculi Deus, Princepſque hujus mundi* dicitur, quod homines ei dederunt ſupra ſe Principatum, ipſique obſequuntur vitiis ſuis, uti Deo, non ſecus ac ubi meminit Apoſtolus aliorum, [h] *quorum Deus venter eſt*.

204 Quiſquilias alias, ut, eſſe obnoxium viciſſitudini & ignoran-

[a] Cap. 1. verſ. 2.
[b] Exod. cap. 11. verſ. 2.
[c] Exod. cap. 1. verſ. 20.
[d] 2. ad Corinth. cap. 4. verſ. 4.
[e] Johann. cap. 12. verſ.
[f] Contr. Marcion. lib. 5. cap. 11.
[g] Contr. Fauſtum lib. 21. cap. 9.
[h] Ad Philipp. cap. 3. verſ. 19.

Digitized by Google

rantiæ ; dum nimirum illum *pœnituit* diluvii tempore , feciſſe hominem , dumque Adamum quaſi neſciens quæſivit in Paradiſo , *ubi eſſet* , atque cetera hujuſmodi: nullum tibi faceſſere negotium novimus, quo facile tuo illas ore haud exſuffles . Mendacem ſi dixerint , aut crudelem , quod Adæ culpam in filiis ulciſcatur , quod Cain ſigno dato ne occideretur , occiſioni ſubjecerit , atque alia : tractatus alii Theologici hæc ſibi vindicant diſcutienda : teque nos eodem remittimus.

205 Interim ne felicem hunc forte errorem appelles , quod in ſui ſervitutem mentem Magni Auguſtini detraxerit olim; dum ex quo, (perverſo adhuc illo) ſectatorem audacem habuit , hæc cauſſa , cur (deinceps converſo) acerrimum habuerit everſorem; niſi quod,quum impiis felicius ſit vinci , quam vincere ; ab everſione tanti Doctoris illum verius felicem appellitares . Nihilo tamen ſecius VIII. ſeculo ab orco revocarunt eum [a] *Albanenſes* , quem decimotertio *Albigenſes* quoque , in Galliis exorti , ambobus lacertis amplexi ſunt .

[a] *Albanenſes & Albigenſes manichæiſmum iterum revocarunt.*

DE SIMPLICITATE DEI.

206 Quoniam Deus omne quod habet, hoc eſt, nullum omnino compoſitionis in illo genus invenire unquam erit , nedum nimirum ex materia & forma, quod nec ſola materia eſſet Deus , nec forma ſola ; coaleſceret ergo ex creaturis , quidquid ex illis conflaretur, nec propterea eſſet Deus. Sed nec ex eſſentia & exiſtentia , aut eſſentia & qualitatibus ; ſed neque minus ex genere & differentia componi Deum ex antiquorum opinione Patrum & Theologica ratione bene conficitur. Patres enim quum Anomæos diris devoveant, quod perfecte comprehendere ſe Deum jactarent , & ut in ſe eſt , tam accurate noſcere , ac ſe ipſemet novit, omnino generis rationem ab illo eliminant . *Genus* ſiquidem , ait Cyrillus Alexandrinus [b] unaq. Patres cum ipſo apud Petavium , [c] *in Deo ullum nominare , alienum a recta eſſe ratione* ; addunrque (nefarios tunc eos contemplati , qui ſic Deum eſſe , prout concipiebant , effutiere) divinæ per illud perfectiſſimæque ſimplicitati præjudicari , aperteque illam impeti . Quos *Anomæos* nuperi quidam Philoſophi ac Theologi a Patribus in ea tunc diſputatione ſpectari minimum animadvertentes , putarunt incanti,rectum non eſſe conſequens Patrum ex generis differentiæq. compoſitione Dei ſimplicitatem perfectiſſimam everſum iri.

[b] Dialog.2.de Trinit.
[c] To.1. Theologic. dogmat. lib. 2. cap. 5.

207 Nullum autem genus verum in Deo eſſe poterit, quod a ſuis differentiis præſcindat, dum nullo definito ac reſtricto genere entis includitur, quippe qui , quum ipſum eſſe ſit ejus eſſentia , totam entis ratio-

rationem, ut late patet, ſimpliciſſima ipſius eſſentia comprehendit & haurit. Quo fit, ut a Patribus non quidem dicatur ens, ſed *ſuper-ens*, *ſuper-ſubſtantia*, *ſuper-eſſentia*. At neque ipſum a ſe eſſe, ſeu ab alio non eſſe, differentiam Dei conſtituit; dum neque omnino eſſentiam ejus attingere, ut vidimus, Chriſtiana clamat antiquitas. Modum etenim ait duntaxat eſſe, quo Deus eſt, & hoc unum illud exprimere, quod a nullo ſit factus, atque ab omni æternitate ſit ipſe. Quod ſi modus eſt, non erit in ſua *formalitate* unquam ipſa ſubſtantia, nec pars ipſius, vel differentia conſtituens ipſam. Hinc ubi deprehenderis Damaſcenum, [a] contineri ſub genere Deum adfirmantem, Porphirii [b] magis ac Gentilium Philoſophorum explicaſſe noſcas ſententiam, quam Patrum ac ſuam: minuſque ipſum accurate ſcripſiſſe inibi, pluribuſque obnoxium confutationibus, divinam nempe Naturam, ſpeciem eſſe, cujus individua ſunt tres Perſonæ. [c]

[a] Cap. 7. primæ Inſtitutionis dialectic.
[b] Cap. 3. de Differ.
[c] Ibidem.

De errore Antropomorphitarum.

208 QUi Deum humana corporea forma compoſitum ſomniarunt Heterodoxi, *Antropomorphitas* communiter in Ægypto eos vocavere, reddente *Antropos* hominem, & *Morpha* formam. Hujuſce delirii Principes carpſit olim Hebræus Philo in Saducæis, quos *ſic hebetes & obtuſos eſſe natura, ut Deum ſine corpore intelligere nullo modo queant*, teſtatum reliquit. [d] Cui autem primo ex Chriſtianis in mentem venerit hæc inſania, non adeo exploratum eſt; dum, quos multi volunt, nec infimi ſubſellii autores, *Melitonem* Epiſcopum Sardenſem & *Tertullianum* Eccleſiæ primis ſeculis in craſſum hunc impegiſſe errorem, iis eundem abjudicant pares alii, atque vindicant; ac de iis nos inferius.

[d] In libro de Somno.

209 Quoad autem conſtat; hunc errorem profeſſi ſunt *Scleucus* & *Hermias* Galatæ apud Philoſtratum, [e] quem mox amplexando divulgandoq. ſuum effecit *Audius*, natione Syrus, tempore Damaſi Papæ ad medietatem ſeculi IV. (cujus tamen ſolum ſe explicandi imperitiæ id vitio vertit Epiphanius [f]) Hic ad relationem Theodoriti [g] turpiſſime falſus eſt, quum exploratum venerit illud, *ad imaginem Dei factum hominem*, quaſi quod in humanis membris corporeiſque artubus ea plane conſiſteret. Multoque magis quod non raro humana membra, ut brachia, oculi, manus, pedes, atque alia Deo id genus in ſcripturis attribuuntur. Minus autem divinæ Scripturæ mentem incautus eſt aſſecutus, quæ ſæpenumero humanorum membrorum vocabula divinis operationibus inſcribit: id quod ex eo maxime clarum fit,

[e] Cap. 8.
[f] Hæreſ. 70.
[g] Lib. 4. hiſt. cap. 10.

Digitized by Google

fit, quod in pſalmis [a] alas habere Deus dicitur, quas nos utique ad illius imaginem facti haud habemus. Si ergo *dum alas audimus, protectionem intendimus*, ut opportune Auguſtinus animadverſioni eſt; [b] ita quum manus, operationem; quum pedes, præſentationem; quum faciem, notitiam intelligamus, neceſſum erit. Atque id ne ſibi pugnare divinas Literas deprehendas, ubi apertiſſime Johannes habuit, [c] *Spiritus eſt Deus*; & repetiit Paullus: [d] *Dominus autem Spiritus eſt*. Quod & definivit ſeptima Synodus Generalis [e] & Lateranenſis IV. in capite *Firmiter*; perſuaſitque ſemper naturalis ea ipſa ratio, ubi primum perfectiones omnes *excogitabiles* in Deo noviſſe debuit.

a 16. verſ. 8.
b Ep. ad Fortunat. 148.
c Cap. 4. verſ. 24.
d 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 17.
e Actione 8.

210 Hic error per Syriam divulgatus, nequitia deinceps Radianorum (ſeu potius Audianorum ab Audio magiſtro) per Ægyptum, eodem labente ſeculo propagatur, ubi primum *Antropomorphitarum* nomen invectum fuit. Quibus adhæſit impiiſſimus *Mahometes* in ſuo Alcorano anno 30. ſeculi VII; aliique impii ad medietatem X, queis evertendis operam navavit Ratherius Monachus, atque apud Sanderum, [f] ineunte XII, quoque alii acceſſere.

f Hæreſ. 130.

De Melitone & Tertulliano.

211 CONtroverſia eſt Criticis, ut tetigimus, num laudatum delirium, in autores fortaſſe ſuos, Melitonem ætate Antonini Veri florentem, nec non Tertullianum deinceps, ceterorumque prodromos, ſibi vindicet? Et quidem ad Melitonem, virum ſane alioqui pium, quod attinet; errore Johannis Pici interpretis (ni ſua Sixtum Senenſem [g] conjectura fallit) inductum eſſe opinaberis, ut credatur Theodoritus id Melitoni ex Origene ſomnium aſſeruiſſe. Ubi enim exemplaria quædam græca (quæ poſtrema, & caſtigatiora contendit Petavius [h]) *Melitonem* referunt *ex iis fuiſſe, qui Deum corporeum eſſe aſſeruerunt*: alia præbent, *Melitonem ſcripſiſſe de eo quod dicitur Deo corpus ineſſe*. Enim vero, ut teſtantur Euſebius [i] & Hieronymus, [k] quendam librum Melito edidit, cui fecit nomen, *de Deo corpore induto, ſeu de Deo, cui divinæ Scripturæ corpus attribuunt*; in quo fortaſſe argumenta eorum qui Deum corporeum aſtruunt, confutavit.

g Lib. 5. Biblioth. Sanctæ adnot. 8.
h Theol. dogmat. tom. 1. lib. 2. cap. 1.
i Lib. 4. hiſt. cap. 26.
k In Cat. cap. 38.

212 Tertullianum autem non ſibi conſtare dixeris, dum verba expenſum ibis, non mentem, accuſantemq. intelliges Auguſtinum ſimul & excuſantem. Nimirum hæc ille habet. [l] *Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus Spiritus ſit? Spiritus enim corpus ſui generis eſt*: atque uno in loco Auguſtinus; [m] *Tertullianus ipſum Creatorem Deum, non eſſe niſi corpus, opinatur*, atque in alio, [n] corporeum dixiſſe Deum ſibi

l Contra Praxeam cap. 7.
m Epiſt. 190. ad Optat. cap. 4.
n Lib. de hæreſibus, hæreſi 36.

Digitized by Google

bi putat, quia *non eſt nihil*, *non eſt inanitas*, *non eſt corporis*, *vel animæ qualitas*. Et ſane dum Tertullianus argueret contra Praxeam, qui Verbum Patris nudum ſermonem ac ſimpliciſſimum vocis ſonum, ac per ſe vacuam & inanem rem ſine ulla ſubſtantia (quippe qui tres diſtinctas in Deo perſonas inficiabatur) effutiebat; potuit, ſed improprie, Deum Filium corpus aliquod dicere, accipiens ibi corpus pro ſubſtantia quadam, ut plus quam vocis ſonum & ſimplicem qualitatem illum evinceret. Subjungit enim: [a] *quæcunque ergo ſubſtantia ſermonis fuit*, *illam dico perſonam*, *& illi nomen filii vindico*; atque alibi contra Hermogenem, [b] *ipſa ſubſtantia corpus eſt rei cujuſcunque*. Neque quidem facile crederes, ingenium tam grande in tam altam inſipientiam deveniſſe, tamq. in craſſum errorem repetitis vicibus impegiſſe, ut nunquam dubitationi locum aliquem faceret, aut nunquam a ſibi adverſo Praxea cum aliis (eludendi gratia hoſtem, ut facile poterat) redargueretur. Exceſſerit quanquam fateri oporteat, ubi de manibus & contactu Dei primum hominem efformantis longe craſſius quam Chriſtianum doctum deceret, locutus eſt. [c]

[a] Loc. laud. contra Prax.

[b] Cap. 35.

[c] De reſurrectione carnis cap. 6.

DE IMMENSITATE DEI.

213 DEum eſſe immenſum, ſeu non menſum loco, videlicet eminenter infinite extenſum, ac omni loco per ſuam eſſentiam præſentem indiviſibiliter, hoc eſt, *totum in toto loco*, *totumque in qualibet loci parte*, ut Peripatetici ſuſtinent de anima intellectiva reſpectu corporis, ac de Chriſto ſpeciebus euchariſticis obvoluto, revocare non poſſe in dubium Catholicos, nemo non novit. Id enim expreſſe decreto ſuo ſtabilivit Lateranenſe IV. [d] ſecutum Patres antiquos & paſſim ſcripturas plurimas. *Hæc dicit Dominus*, Iſaias inquit, [e] *cælum ſedes mea*, *terra autem ſcabellum pedum meorum*; & Regius Pſaltes: [f] *Si aſcendero in cælum*, *tu illic es*: *ſi deſcendero*, *in infernum ades* .... *etenim illuc manus tua deducet me*. Manu autem ducere, ac tenere dextera, eſt *operativæ*, ut liquet *potentiæ*: dum ergo per hoc ibi evincitur, ineſſe Deum omni loco, aliquid ſane intenditur diſtinctum ab eo, quod eſt eſſe ubique *per operationem*, ne idem per idem minus recte inferatur. Accedit qui ſic loquitur Auguſtinus: [g] *Deus ubique totus implens cælum & terram præſente potentia*, *non abſente natura*.

[d] Cap. *Firmiter* de ſumma Trinit.

[e] cap. 66. verſ. 1.

[f] Pſalm. 138. verſſ. 7. & 9.

[g] De Civitate Dei cap. 30.

214 Sed neque immenſus eſſet reapſe, dum totus in creato duntaxat finito orbe conſiſteret, neque ultra in ſpatiis illis imaginariis in infinitum ſemper *occupabilibus* eſſentia & plenitudine modo ſua non ſe extenderet: ea inde propter immenſitatis ejus quandam nobis delinea-

Digitized by Google

lineaturus ideam, ita Job eſt effatus : [a] *Excelſior cælo eſt, profundior inferno, longior terra menſura ejus, & latior mari*. Quare Auguſtinus, [b] *ubique ſcilicet in omnibus & extra omnes eſt totus*. Eſt autem in illis ſpatiis, quemadmodum modo eſt in hoc mundo, & antequam mundus eſſet; nimirum in ſe ipſo conſiſtens, dum neque hic ei confert, nec contulit; nec illa conferre poſſunt : non ſecus ac (ſi quod exemplum divina immenſitas patitur) æque ſtaret forma peripatetica extra ſubjectum & in ſubjecto, ſi in hoc non ſtaret niſi localiter; cui ſubjectum tunc nihil ſane conferret.

[a] cap. 11. verſ. 8. & 9.
[b] De cognitione veræ vitæ cap. 39.

De erroribus Ethnicorum & Vorſtii Calviniſtæ.

215 Divinam ſubſtantiam ex Tertulliano [c] collocarunt Stoici extra mundum, quo figuli ad modum, extra rotam maneat, quam torqueat. Platonici vero intra mundum, ubi Gubernatoris more, in aliqua degat arce ſublimiori, quo regat. Non defuere tamen plures, qui ſummam Numinis perfectionem exploratum ut venerint, ubique illud adeſſe ſubſtantia ſua percepere, ac faſſi ſunt. Deridentibus quippe Amicis, quod ſe in furno, hyemis tempore, includeret Heraclitus, hoc illis fertur [d] dixiſſe: non deſpiciendum eum locum, quod *inibi etiam eſſet Deus*. Thaletes itidem [e] *omnia Deo plena* dicebat, aliique id plures emunctioris naris quotquot erant; quique illud ut perfectionem, & Deum ut perfectiſſimum agnoſcebant.

[c] In Apolog.
[d] Ut ex Ariſtot. lib. de mundo.
[e] Apud eundem ibid.

216 Sed hæretici Calviniſtæ ab orco Ethnicorum delirium revocantes dixere, Vorſtio dilapſo ſeculo duce, Deum eſſentia ſua in cælo duntaxat degere, in terra tamen virtute nobis & ſapientia ſolum adeſſe. Verum ſi Deum non alibi Vorſtiani locatum volunt, jam eis, quum in terris vitam ſuam Chriſtus Dominus degeret, Deum hunc non fuiſſe, neceſſum eſt (quod quidem enunciare non audent) ſuſtinere. Tantum profecto iſthæc eis difficultas parit negotii, ut diverſas illi opponant multo omnes abſurdiores reſponſiones: quarum minor fortaſſe hæc: videlicet, reliquiſſe cælum eo tempore, ac nobiſcum omnes, quæ ab invicem non ſeparantur, diverſatas eſſe divinas Perſonas in Chriſto Domino, in quo *OMNIS inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. [f] At qui congruit illo tunc, ut oraturus Patrem Chriſtus ſuſpexerit cælum, parvulorumque Angelos ſibi aſtantium videre dixerit *faciem Patris, qui in cælis eſt*? [g] & quomodo quum cælum petiit, promiſſum ex eo emiſit Spiritum Sanctum, quum illinc filius reverſus non ſit?

[f] Ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 9.
[g] Matth. cap. 18. verſ. 10.

Digitized by Google

217 Porro hujuſmodi Spiritus Sancti deſcenſus, ſicuti & ille Verbi de cælis, quo incarnaretur, juxta Nicænum Symbolum, non officit, credas, aut Vorſtianis in minimo ſuffragatur, quum æque in divinis Literis tibi legere erit, deſcendiſſe Deum ad videndum peccatum Sodomorum: *Deſcendam*, inquit, [a] *& videbo*: qui niſi profecto deſcenſus rite explicetur, nedum non erit immenſus Deus quoad ſubſtantiam, verum nec quoad præſentiam ſeu ſapientiam, cui nimirum oportuit deſcendiſſe, ut videret. Alium ergo intellectum, videndum alibi, ea divina miſſio ac deſcenſus præſefert, quam Vorſtius effingere unquam poterit. Nec plane, habitaſſe in Chriſto plenitudinem omnem divinitatis, hanc extra illum non reperiri evincit vel paullulum: nempe cohærent optime hæc duo, & Deum eſſe ubique quoad ſubſtantiam, & ſpeciali modo ſeu per unionem hypoſtaticam in ſolo Chriſto, & non alibi; quod poſterius intendebat Apoſtolus.

218 Sed quas præ manibus habent ſcripturas, hæ ne putes ſuffragio illis ſint: ut videlicet, dixiſſe clarius Davidem: [b] *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; atque alibi: [c] *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis*: adjuncta etiam natura, quæ in ſubitis ipſa motibus ad Deum recurrens, nonniſi unice cælum ſuſpicit. Deus enim dicitur in cælo eſſe propter ſpecialem præſentiam, quam illic habet; non ſecus ac ob id anima noſtra dicitur eſſe in cerebro aut in corde vel per ipſos Ariſtotelicos, quum ſit apud illos in toto corpore. Quæ quidem ſpecialis præſentia multifariam ſpectari poterit; & quod in cælo videatur Deus a Beatis; & quod a cælo incipiant operationes totius orbis, divinique primi Motoris; quodque Deum humano nobis adorantibus modo, in cælo aptius ille proponatur, ceu in loco ſublimiori adorandus. Ratione cujus ſpecialis præſentiæ elevamus in cælum oculos ad Deum recurſuri: ut quanquam anima juxta vulgares Philoſophos totum corpus inhabitet, locuturi tamen alicui, ipſius caput, ſpecialiorem animæ locum, reſpicimus.

219 Ob hæc autem motis forte Acatholicis, adhuc ipſis ſcrupulus quidam eſt reliquus, ne confitentes Deum undequaque diffuſum, fortaſſe ipſum fædent, quod terræ ſordes ei tunc adhæreſcerent ex contactu, queis inquinaretur. At quemadmodum poteſt Sol luce ſua quamplures terræ ſpurcitias immaculatus percurrere, quidni hoc ipſum non poterit & Deus facere? Exemplo lucis utuntur in præſenti Auguſtinus [d] & alii Patres.

[a] Geneſ. cap. 18. verſ. 21.

[b] Pſalm. 113. verſ. 16.

[c] Pſalm. 122. verſ. 1.

[d] Lib. de trib. habitaculis.

DE

DE ÆTERNITATE DEI.

220 Divinæ ſpecimen æternitatis quæ omni ſucceſſione caret, nec per partes evolvitur, præteriti ac futuri differentiam neſciensis, quippe quæ in momento tota conſiſtit, ac mutationem & viciſſitudinem ignorat; nullum veriſimilius dabimus, vel forte aptius, quam quod Angelicus.[a] Eam enim æternitatem is ipſe comparat *puncto centri*, tempora vero omnia *punctis ad circumferentiam* ductis, quæ centrum ambiant. Nimirum in ea tibi figura videndum erit, laudatum hoc centri punctum indiviſibiliter, ſimul & abſque ſui mutatione ulla punctis omnibus circumferentiæ reſpondere, iſtiuſce autem non quodlibet ad cuncta cetera referri. Quadrare huic, conſenſu omnium probatam Boetii definitionem, facillime perſuadeberis, dum, *Æternitas eſt*, ait, [b] *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*: Punctum nempe centri, dum ſine ullo fine ac principio cunctis aliis ex circumferentia reſpondet, *interminabilem vitam* exprimit; dum per ſui *indiviſibilitatem* indiviſibiliter illa reſpicit, *totam ſimul*; dumque inde ſine ulla mutatione, & unico actu ea poſſidet, *perfectam vitæ poſſeſſionem* oſtenſam præbet.

221 Veritatem hanc uno Patres antiqui fatentur ore, e quibus (ne tanta laudandi copia conflemus nobis invidiam) unum Nazianzenum ſeligere in præſens erit. *Deus*, inquit, [c] *ut rectius loquar, ſemper eſt, nam ERAT & ERIT noſtri temporis, fluxæque naturæ ſegmenta ſunt*: ſed illuxiſſe non minus noveris etiam Ethnicis, ubi expreſſe Plato in iſta deſcendit: [d] *errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis ERAT & ERIT in æternam ſubſtantiam imprudentes transferunt. Dicimus enim de illa ERAT, EST, & ERIT: ſed illi re vera ſolum EST competit*. Id ipſum & alii plures Philoſophi, quorum Petavius ſententias collectas exhibet, [e] Ut proinde in malam abeat crucem Vorſtius Calviniſta, qui, ita catholice explicatam, divinam æternitatem inficiatus eſt; vano quodam timore captus, ne illam ob rem ſimul omnia, atque actu & ab æterno in ſe futura coextitiſſe eveniret. Id quod modo nos expendemus.

[a] Part. 1. contra Gêtes cap. 66.

[b] Lib. 5. de Conſolatione Philoſophica Proſa 6.

[c] Orat. 38.

[d] In Timeo.

[e] Tom. 1. Th. Dogm. lib. 3. cap. 4.

De exiſtentia futurorum in Æternitate.

222 QUi futurum ſibi Deus non novit, nec minus unquam præteritum, non rectius illum dixeris, quam quod præſentia ſibi reapſe atque ſemper creata quæque poſſideat. [a] Illud enim *erat & erit* noſtræ fluxæ naturæ ſegmenta ſunt, noſtrique temporis differentiæ. Abs re inde non erit, quo utrorum horum, temporis ac æternitatis, percepturus diſcrimen aliquod, duos tibi fingas, hac idea, Angelos, ut unus ſit in fluvio medio, alter in toto alveo. Dum enim primo illi Angelo aquæ partes præteritæ quædam extant, quædamque futuræ ſunt; nonniſi ſecundo illi, atque ſemper, eas omnes contemplaberis præſentes eſſe. Complectitur nempe ita Deus ſua vaſtiſſima *eſſendi* plenitudine quæcunque tempora, ut quæ jam nobis fluxerunt, poſſideat adhuc; atque teneat modo, quæ inde advenient. Nobis enim qui partem temporis; non ipſi qui totum poſſidet & complectitur, futura aliqua ſunt, & quædam præteriere. Hac ratione, *qui æternus eſt*, æternitate ſua *fecit omnia ſimul*, [b] qui & ſex diebus operatus aliter dicitur.

[a] Ut obſecuti Patribus diſcipuli Divi Thomę ſuſtinet cõtra illos Johannis Scoti.

[b] Eccleſiaſtici cap. 18. verſ. 1.

223 Hæc porro eſt antiquorum omnium expreſſa Patrum ſententia, quos ni velis erraſſe (quod grande foret piaculum) adimere dubitationi locum nonniſi dixeris quam rectiſſime. Auguſtinus nimirum habet: [c] *Si apud Deum nondum ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea prævenit ſciendo; bis ergo ea ſentit*: Iſidorus: [d] *Omnia præſentia in eo dicuntur; quia æternitate ſua omnia complectitur*; & paſſim alii plures, quos hic *Paſqualigus* noſter recenſet, [e] quique improprie præſcientiam de Deo dici volunt, quum ſit præſentium ſcientia. Eliminandi exinde veniunt ab exponendis Patribus, quicunque ſic explicant, quo ſenſus eorum ſit, ut *objective* tantum ſeſe Deo præſentent futura; ſtulte ſiquidem Auguſtinus foret ratiocinatus; Deus enim *bis* adhuc illa ſentiret, & ſecundum futurorum præſcientiam, & ſecundum præſentium ſcientiam; neque recte Iſidorus comprehendi omnia dixiſſet *æternitate* divina, ſed ſapientia.

[c] Lib. 2. ad Simplicianum q. 2.

[d] De ſummo bono lib. 1. cap. 6.

[e] De Æternitate ſect. 9.

224 Quum autem id contingat per ineffabilem excurſum æternitatis Dei ad futura, non per acceſſum futurorum ad Deum; ubi nam tot illa abſurda, quæ ſequi fingunt ac præſertim Heterodoxi ex noſtra & Patrum ſententia? jam enim ea neque modo, neque ab æterno, neque ſimul inter ſeſe unquam ſunt. Complectitur ea omnia ſemper æternitas, ſecundum unicuique accommodas *virtualitates* quas eminenter poſſidet, futuri ac præteriti, dum ſecundum eaſdem ad am-

ple-

Digitized by Google

pleſtendum ſingula excurrit; excurſumque ſuum momento temporis perficit, & ſemper retinet. Porro quem Deum ſic excurrere in uno inſtanti haud negabis, ita extendi *virtualiter* in puncto ſpatii non dixeris: & hæc plane cauſſa, cur ſibi omnia æternitas *nunc* futura præſentet, & non *hic* omnia loca reſpondeant immenſitati: nimirum illa per ineffabilem æternumq. excurſum qui *nunc* modo eſt, futura poſſidet, atque iſta per *virtualem* immenſamque extenſionem quæ *hic* non datur, ea actu loca complectitur.

DE INFINITATE DEI.

225 AUtumavit ingenioſiſſimus Caramuel, [a] ab ipſo Deo eleganter unoq. verbo demonſtratam rem, eum nempe omnium ac ſolarum perfectionum cumulum eſſe, eaſque ſingulas in ſuo ita infinitas genere ac ſummas, ut nulla ipſi, nulluſque deſit gradus cuipiam, ſed in quo uno omne bonum & optimum ceu propria in ſede majeſtateq. refulgeat. Quandoquidem quum ipſe protulit nomen ſuum JEOVA; [b] quid aliud (habet) quam inexhauſtum divitiarum ejus theſaurum patefecit ac reſeravit? Ea nempe vox totius alphabeti *vocales* literas continet: quo ex eo palam fieret, ut ſicut iſtæ ad *conſonantium* diſcrimen, quæ vel ante vel poſt terminantur ab illis, ſe ſolæ ſonant & interminabiles extant: ita & in Deo perfectio quæ novit terminum, nulla; quæque ipſum excludit, quæcunque erit.

226 Porro perfectionum omnium duplex genus: nimirum aliæ *ſimpliciter ſimplices*, ut ajunt, aliæ *ſecundum quid*: iſtæ non tales ſunt, *ut meliores ſint ipſæ* relate ad ſubſtantiam abſolute conſideratam, *quam alia perfectio poſitiva expellens ipſas*: illæ autem hujuſmodi ex Divo Anſelmo [c] dicuntur per quam rectiſſime. Utrunque hoc genus perfectiones in Deo fateberis, eo tamen diſcrimine, ut *formaliter*, ſeu juxta propriam cujuslibet notionem, ſolas *ſimpliciter ſimplices*; alteras vero eminenter (avulſis nimirum quæ illas limitant, ſibi admixtis imperfectionibus) graduque nobiliore in infinitum elatas, habere illum noveris. Quæ enim ampliſſimæ eſſentiæ ſuæ non repugnant (uti nulla repugnat prorſus) has habet perfectiones, & indeficientes habet, ut ei & perfectio neceſſitatis non deſit, & nobiliori modo eas habeat.

[a] In Grãmat. audaci n. 377.

[b] *Hebrea vox, quæ duplici adſpiratione interpolatur: in Vulgata reddit*, ADONAI, *ubi habetur:* Nomen meũ ADONAI nõ indicavi eis. *Exod. cap. 6. verſ. 3.*

[c] In Monologio cap. 14.

Digitized by Google

De errore Calviniſtarum.

227 SCeleſtus ille Vorſtius immenſitati nuper æternitatique Dei refragatus, ejuſdem & infinitatem impræſentiarum impetiturus, ubi Deum *magnum Dominum* Scriptura dicit, [a] & *magnitudinis ejus nullum finem*, [b] alium vult haberi intellectum, quam infinitatem de qua loquimur, coſtituentem. Ad ineptias, ut ſibi id fingat, recurrit; inſipiduſque minus ex eo illud petit, quod ejus eſſentiæ intuitu donantur Angeli, finita quidem cognitione; ſed non advertit, quod ubi clare intuentur, non perinde habent, ut unquam poſſint comprehendere. Addit inſuper Deum eſſe *actu hoc aliquid determinatum*, atque *unum ex omnibus*, *non omne ens*. Sed qui *formaliter* hoc aliquid eſt, ipſipſus eminenter eſt omnia; ut proinde ſi ſparſæ in omnibus perfectiones omnes eam videntur Vorſtio collectionem omnium in infinitum extollere; potiori nonne jure, unum illum in quo eminentius & ineffabilius reſident, infinito elevabunt?

[a] Pſalm. 47. verſ. 1. & alibi pluries.
[b] Pſalm. 44. verſ. 3.

228 Majus fortaſſe tamen præſidium ſumturus eſſet, ſeu minus debile jacuiſſet fundamentum in eo, quod Theologi ſibi aſſumunt diſcutiendum, num conflatum ex Deo & creaturis ſit quid perfectius atque æſtimabilius, quam Deus ſolus? Id quod ſi ita eſſet, non videretur in ſe ſolo Deus eſſe ſummus ſimpliciter, dum ea ipſum collectio excedendo foret. Sed prælaudatus *Doctor pluſquam ſubtilis ALBERTUS FARDELLA*, [c] quum rem acute perpenderet, hanc Pariſiis, ut habet, excogitavit reſolutionem qua omnis omnino via blaſphemiis præcluderetur. Vult enim ipſe recenſitum *conflatum* nedum Deo non præſtare, ſed neque minus æquare ac minus eſſe: deficit nempe illi, qua Deus ſolus præpollet, excludendi ſuapte eſſentia imperfectiones omnes ſublimiſſima omnium perfectio. Dum enim præfatus cumulus cum ipſo Deo creaturas omnes involvit, ac ſecum ipſis imperfectiones ſuas; jam nulli dubium, quin eas expellendi virtute careat, quæ omnium conſenſione perfectio *ſimpliciter ſimplex* ac ſumma eſt, in Deo ſolo adinventa: ut proinde minoris erunt Deus & mundus, quam ſolus Deus.

[c] Ut in ejus Theol. quam cœpit cudere Pariſiis, 1666, atq. a ſacra Doctrina ad integrum uſque de Attributis tractatū (ut apud nos extat) feliciter geſſit, cōpleturus totam, ſi diu vixiſſet.

DE

DE DISTINCTIONE DIVINORUM NOMINUM.

229 QUod *attributum* hic ſchola nuncupat, id Patres apud Dionyſium, ſive alium librorum *divinorum nominum* autorem, divini Nominis vocabulo exprimunt: illud autem non aliud profectò eſt, quam *divina quædam perfectio formaliter in Deo exiſtens, divinæ eſſentiæ quaſi adjacens ad modum proprietatis.* [a] Quocirca excluſas noſcito & perfectiones *ſecundum quid*, quas eminenter Deus continet, non *formaliter*, & quæ iſtius eſſentiam quodammodo ingrediuntur (ut ratio vitæ vel ſpiritus) non vero adjacent. Quæ tamen ſimpliciſſimo Deo attribuuntur, eſto re ipſa unum aliquid ſint, longeque ſimpliciſſimum, ſitque Deus idem quod bonitas, quod immenſitas, quod ſapientia; nihilo ſecius, quia divinas perfectiones ac Deum ipſum, captum omnem ſuperegreſſos conditionis noſtræ, unico actu minime attingendo ſumus, diverſas divinorum nominum notiones inter ſeſe, ac ab eſſentia formare cogimur.

a Recepta in ſcholis Attributorum divinorum definitio.

230 Sed quum inſuper *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciantur*: [b] inde fit, ut divinas perfectiones, ceu multis & diverſis perfectionibus creaturarum æquivalentes, noſtro animo deprehendamus: ac proinde ſub notione ſapientiæ divinæ nonniſi Dei perfectio reluceat, ut æquivalens ſapientiæ creatæ; ſub illa deinceps divini amoris, perfectio illius, quæ creato amori reſpondeat; ſicque cetera id genus omnia divina nomina non idem profectò inter ſe valeant. *Si enim*, inquiebat Baſilius, [c] *qui audiet immortalitatem, deveniet ad ingenerationem, qui audierit indiviſibilem eſſe, ad creandi facultatem deferetur, nil hac confuſione fieri poſſet abſurdius.* Quæ porro attributa divina quum ob prædictam æquivalentiam quoddam, ut animo ſecernantur, fundamentum referant; eo illa genere diſtinctionis, quam Metaphyſici *rationis ratiocinatæ* nuncupant, ſegregabis cum ab invicem, tum ab eſſentia.

b Ad Roman. cap. 1. verſ. 20.

c Lib. 1. contra Eunomium num. 8.

De errore Eunomii.

231 QUo ſibi viam ad profeſſum Arianiſmum pararet faciliorem rectoque ad illum ducentem tramite, omnia in Deo, quæ attribuuntur ſubſtantiæ ſuæ, fore quidem ſynonima, non ſecus ac ſunt *Divinitas* & *Deitas*, effutiebat IV. ſeculo Eunomius Cizicenus Epiſcopus: adeo ut non

Digitized by Google

non ſolum bonitas & ſapientia, verum etiam & *ingeniti* ratio nullo modo, nec animo noſtro a Dei natura ſecerni queant, niſi duntaxat ſolius nominis diſcretione. Ubi ſuo ſemel admiſſo ſyſtemate, liberius inde inferebat nequiſſimus, diverſam a Patre Filium ſubſtantiam nanciſci, ac Deum non eſſe, quippe qui ingenitus non credebatur, nec eſſe poterat. Hanc quam eructavit, ebibiſſe illum blaſphemiam, autumat Epiphanius, [a] ex *Aëtio* quodam, cui dudum ſeſe dederat inſtruendum edocendumque.

a Hæreſ. 76.

232 Eunomium ſcriptis ſuis confutarunt Baſilius, Nyſſenus, Cyrillus aliique Patres; atque adeo ſtrenue, ut refuſa in *ſuper-excedentiam* divinæ eſſentiæ, humanæque mentis imbecillitatem ea tota diſtinguendi ratione, non amplius illi debuerit ſcrupulus ſupereſſe ullus, ne Deo forte eſſet injurius, quo ipſum ita compoſitum cogitando, ſimplicitatem ſummam everteret. Neque enim partes rigoroſæ illæ ſunt, ubi unaquæque aliam, etſi voce non exprimat, re implicat; neque item ratione ac mente noſtra Deum fatentes unum & indiviſibilem, divinæ illius in minimo faveremus ſimplicitati, ſed menti humanæ, quam ſummam eo caſu diceres, unico nempe intuitu ſummum Deum deprehendentem.

233 Eunomium reſpicere, adque illum collineare recentiores quoſdam de ſchola Theologos, quam *Nominalium* vulgo nuncupant, opinio eſt plurimorum: [b] ea nimirum illorum ſententia eſt, [c] ut ſolo nomine differant attributa, nullumque, ut diſtinguantur, fundamentum præbeant intrinſecum; ratiocinantiq. omnia inſcribenda menti, quæ nominibus variis haud variam rem ſæpe concipit, facta ſibi variandorum nominum copia, ob multos effectus quos illa connotat una res. Enim vero, vel diverſis illis nominibus ſignificatum idem ſubjiciunt Nominales; & jam in eam recenſitam confuſionem quam ut abſurdam ex Eunomio illatum iri habuit Baſilius, [d] clare incidunt; vel unicuique proprium aſſignant; & ecce noſtram induentes & Patrum, opinionem exuunt ſuam: fulcimentum interea nec ſperent ullum ex diverſitate connotatorum, quam, nunquam eo dementiæ devenire potuit Eunomius, ut negaret, quin ipſi tamen ſuffragaretur.

b Apud Petavium & Card. Gotti in ſua Theol. noviſſime impreſſa tom. 1. queſt. 4. num. 34, qui & illis adhærent.

c *Opinio hac in re* Nominalium *Theologorum.*

d Supra, numero 230.

De errore Porretaniſtarum & Palamitarum.

234 Divinas abſolutas proprietates non ratione ſola, ſed re ipſa quoque ab eſſentia ſecerni, cui velut accidentia inhæreant, quorundam antiquorum, ut *Athenagoræ* ac *Lactantii*, [e] opinio atq. ſomnium creduntur. Ejuſdem ad medietatem ſeculi XII. fuiſſe quoque perſuaſionis erroriſque conſtat *Gil-*

e Orat. 12. pro Chriſtianis.

Digitized by Google

Gilbertum Porretanum Pictavienſem Epiſcopum ; quoniam non ſatis habet virium id quod Scholaſticorum aliquot [a] in ejus gratiam referunt, ut vindicent ; opinantes, inter Perſonas tantum & Dei naturam effutiiſſe illum diſcretionem, deque hoc uno errore proſcriptum. Sed quid aliud Divus Bernardus, qui Gilberto, Remenſi in Concilio ubi damnatur, oppugnationi everſionique fuit, teſtatum præbuit, quam illud ? *Recedant*, ait, [b] *qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus, & Bonitatem qua bonus, & Sapientiam qua ſapiens, Deum non eſſe impiiſſime diſputant*. Quid, niſi hoc idem, Gaufridus Monachus Clarevallenſis in actis ejuſdem Synodi ad Cardinalem Albanenſem miſſis ? Sed hoc ipſum abunde prodit recenſitum quoque Concilium, in Gilbertum ſub Eugenio III. coactum, ubi jam illi formulam abjurandis erroribus præſcripſit tunc, quam emitteret : [c] *Eſt* nimirum *nonniſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, nonniſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe*, & alia hujuſmodi profiteretur.

a Vaſquez, Fraſſen & alii.

b Serm. 80. in Cantic.

c ap. Harduin. tom. 6. part. 2. col. 1299.

235 Nulla igitur Othoni Friſingenſi fides, [d] quam ſibi ſane adimendam, dum morti proximus, quoque ipſe voluit : quum enim ipſe Bernardo infenſus, Gilberto patrocinio fuerit affrictumque fuiſſe huic laudatum errorem conſcripſerit, jam jam moriturus palinodiam cecinit, offerri ſibi præcipiens codicem ſuum, quem & piis tradidit, & eruditis viris, ut *ſi quid pro ſententia Gilberti dixiſſe viſus eſſet, quod quenquam offenderet, corrigeretur*. Id quod Radericus, qui Othoni Chronicon ſupplevit, teſtatus eſt. [e]

d In Chron. lib. 1. cap. 50.

e Lib. 2. cap. 11.

236 Ceterum quem Concilio adquieſcens errorem ſuum declinarat Gilbertus, ſecumque aliquot ex diſcipulis diriſque illum devoverat; hunc fere eundem revocare auſus eſt, poſt lapſa ſecula II. vir ſane impius *Gregorius Palamas* Theſſalonicenſis Antiſtes. Eam ipſi delirandi factam copiam referunt apud *Demetrium Cydonium*, [f] quod dæmonum illuſi præſtigiis Heſycaſtæ Monachi (inter quos hic Palamas) ad certum ſe corporis habitum conformatos, nimirum capite ac mento ad umbilicum & pectus appreſſo, contortiſque oculis, ſuppreſſoque ſpiritu totoque corpore, mirificam ſe lucem intueri venditarent. Ipſumque hoc lumen etiam oculis adſpectabile, illudmet eſſe Gregorius effutiit, quo Deus induitur divinum lumen, quodque in Monte Thabor Chriſtum Dominum circumfulſerat, Beatorumque in cælis animos beat. Atque hinc cum inacceſſam ſenſibus Dei ſubſtantiam fateretur ; hac illud inferius commentus eſt, ab eaque diſtinctum, una & omnia ipſius attributa.

f Lib. contra *Palamã* pag. 408.

237 Quam quidem inſaniam ut ille protulit, tota Eccleſia Græca ſchiſmatica amplexa eſt, & in pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana, quam nonam Æcumenicam habet, anathematiſmis munivit, Barlaamo Monacho Calabro, Hieracienſi poſtea Epiſcopo, aliiſque oppoſi-

poſitoribus maledicens. Sed dum eo illum perductum notant, ut attributa divina divinaſque operationes, quid diverſum a ſubſtantia Dei blaſphemaverit, ſummam inſipientiæ totius attigiſſe monent; dum iccirco effutiat oportet, non ſit Deus in eſſentia ſua (quod ante Patres horrore ſummo animadverterunt) niſi inſipiens, infelix ac impotens, atque alia id genus omnia. Dumque vero per illi adjacentes perfectiones ſingulas tanto malo quodammodo occurriſſe putat, vel Deum a creaturis perfectum inferat (creata nempe ſapientia intelligentem creataque gloria beatum) vel in uno Deo ſuperaſtruat plures Deos, neceſſum ſit, ſeu plura increata entia, quæ a nullo dependeant, nullique ſubdantur, a ſe omnia ſufficientiſſima.

238 A Porretano & Palama non multum diſtare creditur [a] Johannes Duns natione Scotus, Franciſcani Ordinis Alumnus, ejuſdemque Scholæ Mæcenas, atque a defenſa ſubtiliter *B. VIRGINIS* illibata Conceptione celebris, ſubtilitateque inde donatus: utpote qui *formalem* quandam inter attributa differentiam conſtituit, cujus ea tota vis, ut re ipſa & natura ſua, non cogitatione duntaxat, a ſe invicem diſcrepent. Profecto, ſin minus, nemo non videt, perfectiſſimam Dei ſimplicitatem per allatam eam diſtinctionem inverſum iri, quod maxime unum error illorum inceſſere notabatur. Ubi enim eſt talis diſtinctio, intercedat compoſitio neceſſe eſt, & tanto turpior, quanto, non ſe comparantibus extremis, *qua actu*, ut ait, *& potentia*, vilior eſt præ ceteris compoſitio aggregationis accidentalis. Ipſique proinde exprobare poſſumus, quæ Gilberto Bernardus: [b] *Mihi vero non deeſt, quid cogitem melius hoc Deo tuo. Quæris quid? vera ſimplicitas: vero judicio natura ſimplex multiplici anteſertur.*

De Autore librorum Divinorum Nominum.

239 IGnoto Deo nunc uſque aram ſacravimus: ſæpe enim de eximiis illis operibus *Divinorum Nominum* plurima excerpſimus, quæ conſtantis certiq. nominis nulli accepta retulimus. Quod conſtat; plurium, poſt exactum quartum, ſæculorum traditione Magno Divo Dionyſio Areopagitæ, Apoſtolis coætaneo, quem & Pariſiorum Antiſtitem referunt, una cum opuſculis aliis [c] inſcribuntur. In id ab eo tempore Concilia plurima, Pontifices, Patres, [d] atque optimæ plerunque notæ Scriptores pedibus eunt: quos quidem iviſſe temere, nonniſi temere diceres. Profecto in id illos compulit ſtructura ipſa librorum, quæ Dionyſium hunc noſtrum redolet: ibi enim aperta mentio Autoris traditur, qui Apo-

ſtoli

a A Petavio hic, aliiſq. apud ipſum.

b Lib. 6. de conſiderat.

c *De cęl. Hier., de Eccl. Hier., de myſt. Theol., & 10. Epiſt. uno inſimul codice nõ magno, ſed digno comprehenſis.*

d CP. 3. act. 4. & 8. Greg. M. Hom. 34. in Luc., Agath. ep. ad Conſt. Pogon. aliiq.: qui omnes non aſſerunt Dionyſ. cos libr., quod ſic uſus eſſet, ſed expreſse inter Doct. & Patres illum collocant.

Digitized by Google

ſtoli Paulli ac Beati Hierothei ſe fuiſſe diſcipulum gloriatur; qui diem ſuum obeunte Domino, extremum Solis luctum in eclipſi ejus mirabili ſuſpexiſſe; qui funeribus Beatæ Virginis Mariæ Hieroſolymis interfuiſſe refert. Tria hæc ſi *Areopagitam* noſtrum cujus ſunt præclariſſima inſignia, minus velis evincere; jam quicunque in medium proferatur autor illorum, ſive Dionyſius *Corinthius*, ſive alter *Alexandrinus*, ſive alius quiſpiam ſeculo IV. recentior, inſigniter ipſum mendacem, ac turpiſſimi commenti reum manifeſtare & incuſare noveris. De eo tamen doctrinæ ſanctitas atque illa probitas morum quibus totum opus reſperſum eſt, divinum quidpiam redolentia, Autorem ejus pleniſſime abſolvunt, longeque maxime a tanto crimine immunem demonſtrant. Hoc tamen; niſi fortaſſe opinaberis, eo fuiſſe ingenio morum & ductum qui libros hos concinnavit, quo Vigilius ille Tapſenſis, variorum quorundam veterum in opuſculis ſuis perſonam innoxie agere ſolitus, ut hæreticos coætaneos coætaneis Patribus confutaret. Verum non ſatis video, quidnam aliud ſimile, ad inſcribendum hoc opus Areopagitæ noſtro, alium ab ipſo impellere potuit.

240 Sua igitur huic Traditioni quam diſtrictius Nicæna II. Synodus amplexa eſt, jura maneant; tametſi duobus jam retro ſeculis heterodoxorum Catholicorumque nonnulli Eraſmus, Dallæus & Blondellus; atque Morinus & Launoyus graviſſima [a] ſaltem in ſpeciem argumenta queis vulgarem opinionem impeterent, obtruſerunt. Refert etiam Photius qui ſeculo IX. inter vivos agebat, Anonymum unum a Theodoro Presbytero carptum, qui improbaretur; ſeu fortaſſis ab ipſo eodem confictum ſimulatumque; quo recta confutatione rectiſſime poſtmodum, defenſaque juſta poſteris ambigendi prurigine, hæc opera Areopagitæ Dionyſio adfirmarentur. Quatuor illum adduxiſſe prodit: antiquorum omnium ſilentium; nullum Areopagitæ huic factum locum ab Euſebio & Hieronymo inter Scriptores Eccleſiaſticos; meminiſſe operis Autorem quorundam rituum, qui nonniſi longe poſt ævum Dionyſianum ſenſim in Eccleſia obtinuere; Ignatii Martyris locum aliquem [b] ex epiſtola *ad Romanos* paullo ante obitum ſuum adornata, ſicque poſt illius operis, utpote Timotheo nuncupati, abſolutionem, in hoc incaute arceſſitum eſſe. Nihilo tamen minus qui a ſe tantillum modo partium ſtudium excuſſerit; ſi non minimi, nec maximi pendet quæ objectantur. Magnam interim Beato Magno Baſilio, [c] Ambroſio Camaldulenſi certoque alteri, qui Dionyſianis opuſculis præfati ſunt, ac ſummam gratiam fatemur; nos enim quum admonitos faciant, nonnullos Athenienſium Platonicorum in ſua ex illis plurima atque plurima loca inſeruiſſe, ac venditaſſe ceu partus proprios, maxime Proclum; jam cum eiſdem rectius ſuſpicamur, apud ſe diu ſingulos Areopagitæ libros diligentia ſumma occultos feciſſe; [d] ſicque relati artiſſimi ſilen-

[a] *Adeant forte* THOMASIUM *prohibuerint, ne eo deveniret, ut in Indiculo ſuo Dionyſii Areopag. opera recenſeret.*

[b] Laud. libr. cap. 4. in his verbis: *Amor meus crucifixus eſt.*

[c] In oratione qua exponit Evang. *In principio erat Verbum* &c.

[d] *Suſpicari licet*, ait in prolog. ad oper. Dionyſii latine reddito a Lanſſelio autor anonym. Forte S. Maximus, *hujus opera ſibi vendicantes, occultaſſe, ut* &c.

Digitized by Google

lentii in Hieronymo, & Euſebio, ſeculorumque priorum aliis veram cauſſam ediſcimus. [a] Quos autem ritus laudat, nullus eorum eſt, qui tum quoque temporis non viguerit; [b] tametſi non eodem ac tam magnifico, quo deinceps, ob ingruentes Tyrannorum ſævitias, apparatu. Verum id, ad Ignatii locum quod attinet, aliorum Scriptorum morem fortaſſe Dionyſium ſecutum pandit: recenſuiſſe videlicet eum quoque ſuum poſt factam abſolutionem opus, atque ultimam nova plurima referentem impoſuiſſe manum. Quem igitur Timotheo jam ante Ignatium longe demortuo librum nuncupaverat; in eum illius teſtimonium extremum (ſi vere adjunxit [c]) facile arceſſere potuit, qui novem annos Ignatio ſuperſtes [d] fuit. Hoc pacto nova quædam ex Evangelii Apocalypſiſque textibus, quæ poſt Domitiani tempora concinnata ſunt, ad ſuarum elucubrationum majus robur ornatumque majorem iiſdem addidit: ſicuti & quædam alia, occaſione emergentium tunc quæſtionum; qualia ſunt, quæ contra Millenariorum hereſim poſt defunctum Johannem a Papia ſuſcitatam conſcripſit.

241 Quoniam autem ſermo noſter huc incidit, ut de Autore *Divinorum Nominum* diſſereremus; atque iis alii pleriq. libri adnectantur, qui ſibi manum porrigunt invicem; noſtrarum videtur partium judicium heic quoque noſtrum de ipſis ferre. Libros interim ſcio de *Ecclesiaſtica Hierarchia* momento hocce impetitos, quod Autor inibi *Monachorum* meminerit, deque ritu eos conſecrandi, dum illos nonniſi ſeculo III. vel IV. (ruitque ex eo tota illorum Regularium Ordinum perſuaſio, qui nonnullos anteriorum temporum Pontifices ſibi vindicant [e]) ſub inſtitutoribus Paullo & Antonio ſatis liqueat ſumſiſſe auſpicium. Verum heic non de Cœnobitis ullis aut Eremitis eſt ſermo, ſed de quibuſdam quos Philo Judæus [f] *Therapeutas* (ſeu cultores & Monachos) appellitavit, quique in templo cum diviſione maſculos inter & feminas habitaſſe dicuntur. *Commune Semneum Therapeutarum*, ita ait, *ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum cœtibus. Medius paries a ſolo ſurgit tribus quatuorve cubitis* (quem quidem venerabilem morem ſtatim a Cardinalatu in Eccleſiam ſuam antiquitatis tenaciſſimus THOMASIUS invexit, ac venerabiliorem effecit) *unde gemina provenit commoditas, & quod pudori feminei ſexus conſulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile abſque ullis obſtaculis, quæ vocem ejus intercipiant*. Hos primo Divum Marcum inſtituiſſe in Ægypto, autores ſunt Euſebius & Hieronymus: erantque pars populi & illuſtrior portio gregis Chriſti, & primas inter ceteros laicos obtinebant: in ſua quiſque domo, vel plures in una communi vitam ducentes ſingularem, a curis terrenis expeditam, uni Deo mancipabantur. Quam poſtea ſequenti ſeculo II. Monachi in ſolitudine vitam inierunt.

242 Sed quum Divinus Areopagitas ſublimiſſimi ingenii dotibus, ac to-

[a] *Quo pacto, juncta ad Ign. locum reſpõſ., Athenis potius quam Pariſiis obiiſſe videtur.*

[b] Ex Baſil. de Sp. S. c. 27. *Benedicimus aquam &c.*

[c] *Negat enim S. Maximus in prol. ad op. Dionyſ., ubi & alios ab Euſebio (a quo Hier.) omiſſos ait.*

[d] *Obiit nempe Dion. an. 30. Imp. Trajani, & Ign. 11.*

[e] De quo n. 135.

[f] Ap. Euſeb. l. 2. c. 16. *Hos autem Therap. minus recte Valeſius in not. ad Hiſt. Euſ. abjudicat Chriſtianis; dicendumq. eſt, Philonẽ pro libris ſacr. Therapeutarum intellexiſſe Bibl.; circa oration. recenſuiſſe horas præcipuas mane & veſpere; pro hymnis, cãtica et pſalmos juxt. Apoſt. loquentes in hymnis et cãticis. neq. ſuad., Caligulæ (ac propt. ante diſceſſum Marci in Ægyptum) cui ex Joſ. 18. 10. val. de infenſ. dicaſſe illud opus.*

ac totius humanæ eloquentiæ ſumma præſtantior fuiſſet ; nil mirum, ſi *hypoſtaſis* vocabulum (quod nonniſi ob Alexandrinam Synodum poſt medietatem ſeculi IV. magna prius habita contentione , [a] in Eccleſiam Patres communiter introduxerunt) exprimendæ *perſonæ* alicui valde aptum comprehendens, in hac pluries ſignificatione uſurparit . De quo quidem interpretando nomine ab Apoſtolo Paullo præceptore ſuo admonitus eſſe potuit : ubi enim latinus interpres aſſumtam ab illomet græcam vocem *hypoſtaſim* in *ſubſtantiam* vertit , concinnavitque : *Splendor gloriæ & figura SUBSTANTIÆ ejus* ; [b] reddi quoque ac recte potuiſſe : *figura PERSONÆ ejus* : promtam nobis, ac firmam Gregorius Nyſſenus autoritatem facit . [c] Neque tamen adeo ſub ſole novam exiſtimes , ut nuſquam ante laudatum Concilium vox illa eo in ſenſu adhibita perlegatur : en Dionyſius Alexandrinus : *Duæ hypoſtaſes* , inquit , [d] *inſeparabiles ſunt, & ſubſiſtens Patris Spiritus , qui erat in Filio* : en alter Alexandrinus S. Alexander Epiſcopus : *Patris* , ait , [e] *& Filii duas eſſe hypoſtaſes naturæ* . Sed nec diſſimiliter eam uſurpaſſe Ariſtotelem, fidem facit Budæus vir græci idiomatis peritiſſimus .

243 His itaque *utcunque* ac *probabiliter* duntaxat compoſitis ; de ea tum nobis collatione Catholicos inter & Severianos ſermo ſufficitur . Quum enim hæretici ad annum 33. ſeculi VI. Juſtiniano Imperante Dionyſii noſtri verba [f] protuliſſent, quaſi naturam unam in Verbo poſt unitionem decernerent ; Hypatius Epiſcopus orthodoxus adverſus ea falſi ſuſpicionem inficiali argumento injecit : *Illa teſtimonia*, inquiens , *quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis* , . . . *ſi nullus ex antiquis recordatus eſt ea , unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint , neſcio* ? Exinde vero Severiani Divi Cyrilli contra Diodorum & Theodorum opera quædam in quibus Dionyſiana teſtimonia recenſebantur, mox producentes, eandem ac primitus exceptionem paſſi ſunt : affictos æque nempe fuiſſe Doctori illi hoſce codices , una & impactos : *Modo maxime* , reſponſum eſt , *& illos adverſus Diodorum & Theodorum libros ambiguos facitis* . Attamen nemo neſcit eruditorum, eorum operum autorem Cyrillum probari ſatis Liberato ; [g] ac etiam Facundo Hermianenſi, [h] quantuncunque hæc illi abjudicare optaviſſet ; quin & hoc ipſum œcumenicæ V. Synodo probatum eſt; ſortitumque, ut ibi præſens Hypatius eo ſe tandem receperit, quo illa diceret *depravata* , obtruſis in ea teſtimoniis de quibus agitur , utpote a ſe , ob diſcuſſas ſupra [i] rationes , ignoratis : *Nunc videtur* , inquit , *quoniam & libris illis hæretici falſantes addiderunt ea* . Ut propterea qui circa Cyrillianos libros ea in collatione falli potuerunt , an non æque etiam circa Dionyſianos ? ac ſi quinque tantum Epiſcoporum iſthæc *Collatio* dubitavit ; quid , ſi adfirmarunt poſtea Synodi generales ?

a Ex Socrate lib.3.hiſt.Eccl. capp. 4. & 5.

b Ad Hebr. cap. 1.

c In libello *de differentia eſſentiæ et hypoſtaſis* ad Petrū fratrem.

d In reſp. ad 4. propoſ. Paulli Samoſat.

e Ap. Theodorit. l. 1. Hiſt. cap. 3. *quare non eſt, cur dicat Hieronym:* Tota ſeculariū literatura nihil aliud hypoſtaſim niſi uſiā novit *epiſtol.* 57.

f Quibus explicat *Theandricon*, in epiſtola 4.

g In Breviar. de cauſſa Neſt. & Euth. cap. 10.

h Lib. 3. cap. 3.

i Num. 240. quum de aſtutia Athenienſium Philoſ.

DE

DE VISIBILITATE DEI.*

DE CLARA ET INTUITIVA DEI VISIONE.

244 APpetitum illum ingenitum quo quiſque vehitur in Autorem ſuum primarium ac ſummum, uti ab eodem qui naturam habenti largitus eſt, non diffiteberis ordinatum comparatumque; ita & ſimiliter ipſius vocem eſſe, qua quoſq. intus adloquitur, edocetque ſe quibuſvis viſibilem; immo & volentibus videndum eſſe nonniſi dixeris. Quam ſurdus igitur, qui non audiet, & qui toties auditam, ceu quaſvis in ſomno receptas voces, in pretio haud habebit, quam ſane ſtupidus quamq. inſenſatus! Hanc ſuam eſſe vocem, in hoc, quod ipſi ſimilem aliam, quin eandem reſonantem iterum ore Prophetarum, edidit, perſpectam rem habeas: *Beati*, inquit Matthæus, [a] *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Nec de qualicunque heic ſermo eſt viſione, ſed de clara, intuitiva & *faciali*, ut ajunt, objectumque quod *revelata facie ſpeculabimur*, [b] prout in ſe eſt, deprehendente. Ex inde fit, quo *ſimiles ei erimus*, ipſius imaginem referentes expreſſam, *quia videbimus eum, ſicuti eſt*; [c] nec aliter quidem (niſi & multo altius) quam quo ſe quiſque cognoſcit; *facie ad faciem*: [d] *cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. [e] Atque id traditione ſemper in Eccleſia retentum eſt, firmatumque antiquis Conciliis. De quo etiam Evariſtus I. [f] ac Benedictus XII. [g] nec non Francofordienſe [h] Florentinumque [i] inconcuſſam nobis autoritatem ſuppeditant.

245 Neque enim, quod finitam rem eſſe, haud unquam *infinitandam*, ſe quiſque noverit, ab immenſo pelago illius eſſentiæ capeſſendo poſſidendoque deſperabit prudenter, aut paveſcet. Qui nempe ita philoſophatur, animadverſioni velim ſibimet ſit, non aliam inter objectum & actum requiri proportionem & æquilibrium, quam quo æquentur *repræſentative* & *objective* duntaxat genere. Nimirum exprimit imago Cæſarem, hoc longe inferior; & cognitio, quæ Peripateticis nudum accidens, multo nobiliorem ſubſtantiam attingit, quam repræſentet. Æquat ſibi Deus humanam mentem, ſeu ſibi *intelligibiliter* commenſurat, infinitum illud ſuæ myſticæ diſtantiæ chaos & inac-

* *Tractatus hicce ut et quidam alii ſequẽtes ad divina nomina, ſpectant, ſed quia de iis occurrit agendum prolixius, ideo et ſpecialius, proprioq. ſub nomine.*

a Cap. 5. verſ. 8.

b 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 18.

c 1 Joh. cap. 3. verſ. 2.

d & e 1. ad Cor. cap. 13. verſ. 12.

f Modo authẽtica ſit ejus epiſt.

g In Extrav. *Bened. Deus.*

h Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.

i In literis union.

inacceſſibilitatis, approximatione ſui luminis quaſi tollens, mentemq. ad ſe attrahens noſtram, cui ceteroquin extra abſolutam ſphæram non eſt. Comparatur enim Deus intellectui, quodammodo ac lumen oculis, quod quanquam remotiori poſitum loco videri nequeat per illos; longinquitate tamen conſpicillis, vel aliter ſuperata, extemplo videbitur, quia intra ſphæram & habitudinem.

De quibuſdam Viatoribus qui dicuntur vidiſſe Deum.

246 SEd expectandum nobis eſt, dimittat anima mortales ſuas exuvias, quibus obvolvitur & gravatur, quæque veluti ſiparium quoddam denſiſſimum humanam mentem divinumque in cæleſti theatro objectum intermediant, ut ampliori donata lumine, ipſique illuſtrata ſcena, facie Dei perfruatur, ac ſecum gaudeat: *non enim videbit me homo & vivet*; [a] cupienti viatori Moyſi dictum fuit. Sed id quod de lege ordinaria ita eſt, nulli dubium, quin ſimpliciter evenire oppoſitum valeat; ut quidem *BEATÆ VIRGINI*, tam excelſæ longeque omnibus præſtantiori Dominæ eveniſſe aliquoties perſuaſiſſimum eſt. Ipſa enim privilegio amoris præcipui ceteris altius meruit honorari: quin ſcriptura met ipſa, quæ omnes ea lata lege complectitur, videtur quoſdam excipere, ubi Moyſen in Sina vidiſſe Dominum *facie ad faciem*, raptumque in cælum Apoſtolum *audiiſſe arcana verba*, commemorat.

[a] Exod. cap. 33. verſ. 20.

247 Verum Patribus non adeo explorata res eſt, ut excepto Auguſtino, [b] plures, quemadmodum Irenæus, Cyrillus, Ambroſius & alii, fortiori jure id Moyſi, vel alteri conceſſum beneficium inficientur; ſatiſque illud ex eo compertum volunt, quod Propheta ille divinam faciem non viſurus, ſed *poſteriora* tantum ejuſdem, aſſumitur & exponitur. Quorum *poſteriorum* nomine, vel quædam lux ſplendidiſſima, ſumma voluptate animum recreans, Deo tamen longe inferior & poſterior, vel angelicus forte aſpectus admirabilis, poſtque Deum micantiſſimus intelligendus; quum Moyſen non Deum reapſe, ſed Dei nuntium, Deiq. perſona amictum Angelum adlocutum, iterato in actibus Apoſtolorum [c] exhibeat Stephanus Proto-Martyr: *Hic eſt*, inquiens, *qui fuit in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina*. Neque alia de Paullo Divi Chryſoſtomi [d] aliorumque Patrum ſententia eſt; multoque magis, quod non Deum vidiſſe, ſed *arcana audiiſſe verba*, nos idem moneat duntaxat.

[b] De Gen. ad lit. lib. 12. cap. 27.

[c] Cap. 7. verſ. 38.

[d] Hom. 5. de incompr. Dei nat.

248 Potiori jure quæ leviora de aliis momenta habemus, elidimus; nec facile aperienda via eſt, per quam a communi ſcripturarum

lege

Digitized by Google

lege quilibet excipiantur, neque hoc ſine graviſſimo ad id motivo impellente, conceſſum cuique remur; eamque ob rem aſſecutum illud fuiſſe fere omnes Fundatores Religionum, nonniſi futiliter Alumni eorum ut plurimum venditarunt. Quod de Benedicto habet Gregorius, [a] *ſub uno Solis radio totum mundum collectum conſpexiſſe*, & cauſſam infra reddens ſubjungit, *quia animæ videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura*; tametſi apud Bernardum, Rupertum, Bonaventuram, Urbanum Papam VIII. [b] & alios, de intuitiva Dei viſione interpretationem ſuam nanciſcatur; alium tamen habet, penes Angelicum, [c] intellectum, cujuſce ratione perſuadearis. Dum enim *ſumma elevatio mentis humanæ eſt, ut ad divinam eſſentiam* proſpiciendam *pertingat*; qui fiet, ut aggravante animam corruptibili corpore, Deum ipſa intueatur? Et ſane impoſſibile id reputat Auguſtinus, [d] *niſi huic vitæ mortali funditus homo intereat*; vel cui quidem, ut Apoſtolo, eveniat ignorare, utrumne in corpore degat, vel extra illud? Beatus autem Benedictus id temporis, quo viſio refertur, ſuis nec ſenſibus deſtitutus, quin & his uſus eſt; nam ſibi ſocium, ex Gregorio met ipſo, [e] ad videndam gloriam illam, dum in ea perſiſteret, advocavit.

[a] Lib. 2. Dialog. capp. 35. & 36.

[b] In Bulla pro feſt. illius ut in Bull.Rom. fol. 237.

[c] Quodl. cap. 1.

[d] Lib. 12. de Geneſ. ad lit.

[e] Ibid.

De errore Armeniorum.

249 EA nupera explicandi ratio qua locutum eſſe Dominum Moyſi facie ad faciem, de quodam Angelico fulgentiſſimo aſpectu, aut luce quam ille proſpiceret, intelleximus, adque ſic exponendum Patres plurimi compulere, aliæq. ſcripturæ; occaſioni fuiſſe poteſt, ut in eorum delirio inceſſituri Anomæos (qui Deum *inacceſſum habitantem lumen*, ſuopte intueri animo ac viribus cæciſſimi effutiere) in aliud Armenii quidam e regione oppoſitum ruerent. [f] Nanque ineunte VII. ſeculo eorum plurimi apud Gregorium [g] aſſeruerunt, Beatos ſubſtantiam Dei non viſuros, ſed claritatem quandam ex ea manantem: quod *Amaricus* in Lateranenſi IV. damnatus, [h] poſt ſex inde ſecula in ſuum adoptavit, ac deinceps *Palamas*.

250 Nullum autem ſibi auxilium ſuadeant ex adducto ſcripturæ loco; quippe quum Moyſi dictum ſciant, *non videbit me homo, & vivet*; duo hæc inferri noviſſe poterant, & factam Patribus laudatam interpretandi facultatem, & Deum clare viſibilem, ut primum mortalem vitam homines exuunt. Sed ſi faciem Domini conſpexiſſe Moyſes dicitur, dum Angelum Dei perſonam agentem contemplaretur, quin ipſum, & Deum dictum, & inde Moyſi dominantem: quidni fortaſſis

[f] *Tentatam Armenior. cõverſion. incepit in Cyrillo Patr. noſter* Galanus, *doctus & pius, qui opus de cõciliat. Eccleſ. Arm. cum Lat. edidit, & poſt obit. ſquamis argenteis divinitus corpus ejus veſtiri meruit.* Silos in hiſt. Cler. Reg. *teſt. ocul.*

[g] Lib. 18. Moral. cap. 37.

[h] Cap. *Damnamus* in fin.

& idem

Digitized by Google

& idem putant, ut alium Angelum, *ſibi Patrem*, dixerit Chriſtus Dominus; vel creatam gloriam, *Patris faciem*, quam parvulorum cuſtodes, puriſſimi Spiritus, intueantur, dum habet: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei?* [a] Eam ob rem, dum *in Spiritum Sanctum MISSUM de cælo deſiderant Angeli proſpicere*, [b] aut videndi voluptatem intelligas, quæ faſtidium excludat omne, atque penitus, *ne ſit* nimirum *in ſatietate faſtidium*, ut ajebat Gregorius, [c] *iccirco ſatiati deſiderant*; aut antiquum in Angelis deſiderium proſpiciendi eventus futuros (de quo in de peccato Angelorum) qui *miſſione* Spiritus Sancti ad Prophetas proſpiciuntur, inibi recenſetur.

251 Armeniorum prodromos non dubitavit Vaſquez [d] inſimulare Patres quamplures, ut Nyſſenum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum atque alios, patrociniumque Anomæorum ſuſcepit, eoſdem ex parte vindicaturus. Nullo enim modo inficiati Patres inſectatique videntur Vaſquez in Anomæis viſionem, ut omnes [e] rectius ac verius explicant, comprehenſivam, ſed intuitivam ac *facialem*; quod eo inſipientiæ non putet perductos iſtos (at facile Sanctos Patres ad aliam, ſi ſuperis placet!) ut comprehenſioni obnoxium Deum putarent. Sed etſi intuitivam: cur non unicam naturalem, ſoliuſque naturæ viribus adipiſcendam, carpſiſſe in eis Patres, Patrum Cenſor non putat? Se nempe intueri Deum vi propria, ſi non comprehendere, impii illi apertiſſime ſomniarunt. Verum utraſque has inceſſivere Patres, & naturalem intuitivam & comprehenſivam viſionem: quam & eos admiſiſſe, Patribus ſat probatur, noſq. credere inde jubent. *Tam Deum novi, quam me*; dixiſſe *Aëtium audaciſſimum* mirabatur Epiphanius, [f] *immo non tam novi me ipſum, quam Deum*; atq. ita de *Eunomio* Chryſoſtomus: [g] *Eo temeritatis & amentiæ perveniſti, ut Deum contendas penitus comprehendere*. Sed omnem prorſus dubitationem aufert, abſolvitq. Patres, quod de citatis habet Duhamelius: [h] admiſiſſe nimirum intuitivam Dei viſionem in patria, prolatiſque autoritatibus compertum reddit. Id quod & clare prodit Chryſoſtomus ad Theodoritum: *Intueri*, inquit, [i] *licebit ipſum Regem, non per ænigmata, nec per ſpeciem, ſed facie ad faciem*. Quid plura, ut a commento crimine Patres vindices, *MAGISTROS NOSTROS*, accuſatorem objurges?

[a] Matth. cap. 18. verſ. 20.
[b] 1. Petr. cap. 1. verſ. 12.
[c] Lib. 18. Moral. cap. 39. nunc. 54.
[d] Part. 1. diſp. 37.
[e] Inter quos Div. Thomas artic. 1. ad 1, qui difficilem Chryſ. locum explicat, quo habet hom. 4. in Johan. *Ipſū quod eſt Deus, non ſolum Prophetæ, ſed nec Angeli viderunt*: per quā vocem *viderunt* forte de iis qua viator. loqu.
[f] Hæreſ. 76.
[g] Hom. 2. cōtra ipſum.
[h] Tract. de Viſione.
[i] Epiſt. 5.

De Millenariis.

252 CErinthus Apoſtolis coætaneus, edito libro quem conciliandæ autoritatis gratia, Johanni Evangeliſtæ aſſeruiſſe, autor eſt Dionyſius Alexandrinus, [a] *Chiliaſtarum*, ſeu *Millenariorum* fabulam ut ab Angelo acceptam, contexuit. Ea illius ſumma eſt: [b] poſt factum vivorum & mortuorum judicium maximum, revocaturum Chriſtum ad vitam, qui pie illa defuncti fuerint, ad conregnandum ſecum in Hieruſalem mille annos, aſcitis etiam quos vivos probos reperiet: legalibus obſervantiis adſtringendos ſingulos, viviſque impiis dominaturos, & quovis genere voluptatum, etiam ſordidiſſimarum delectaturos, ac ſatiandos: poſt hac aliorum alteram ſucceſſuram reſurrectionem, in qua excitabuntur injuſti ad cruciatus ſempiternos, & tunc primum cæleſti gloria electi decorabuntur. Quod ubi & alia Johannes de eo reſcire habuit, tanto horrore Cerinthum inſecutus eſt, quo balneum quoddam lavandi animo ingreſſus, ibique improbum illum ineſſe monitus, fuga ſe proripuit cum ſuis, *fugiamus*, inquiens, [c] *ne balneum corruat, in quo Cerinthus eſt veritatis inimicus*. Et ſane ipſi Domino contradicere impius deprehenditur; *nullos* fore, monenti, *in reſurrectione qui nubent, aut nubentur*; ſed futuros omnes *ſicut Angelos Dei in cælo*. [d]

253 Fabella iſthæc ab hiſce turpitudinibus defæcata ſequenti II. ſeculo, diverſorum animum tenuit & mentem, Patrumq. aliquot ſibi ſubdidit, eos omnes præivit Sanctus Papias [e] Epiſcopus Hieropolitanus, Divi Johannis *auditor*: hunc ſecuti fuere alii Patres Juſtinus [f] & Irenæus, [g] qui & adeo ſibi ſuaſam fabulam credidit exploratamque, ut hæreſeos oppugnantes criminaretur. Eam tandem amplexus fuit Tertullianus, [h] in hoc ab illis ſecretus, quod ſpiritualibus tantum deliciis detinendos, eo Millenario, electos exiſtimaverit. Alium quempiam, his primis temporibus, aſtipulatum ex Patribus fortaſſe nullum invenies; ut irridendus inde Launoyus in libro, cui fecit nomen, *Veritable Tradition de l'Egliſe*, in quo aſſerere non erubuit: *Papiæ, errorem per annos ferme 300. perduraſſe, donec damnaretur, ejuſque ſententiam, tametſi reapſe hæreticam, a ſanctiſſimis doctiſſimiſque priorum ſeculorum Patribus propugnatam probatamque quoto tempore perſtitiſſe*. Ceterum Millenarium hoc Regnum, quod *multos, qui piæ puræq. erant Chriſtianorum ſententiæ, non agnoviſſe* fatetur idem Juſtinus, aperte oppugnarunt ſeculo III. Dionyſius Alexandrinus [i] & Cajus apud Euſebium [k], Euſebius ipſe, aliique: ſequenti deinde altero Baſilius, [l] Epiphanius, [m] Hieronymus, [n] Auguſtinus, [o] & alii plures in poſterum fere innumeri.

254 Ober-

[a] Apud Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 28.
[b] Apud Lactãtiũ, qui & Millenarius, lib. 7. divin. inſtitution.
[c] Ex Irenæo lib. 3. cõtr. hær. penes Euſebiũ laud.
[d] Matth. cap. 22. verſ. 30.
[e] Apud Euſeb. & Hieron. in catal. Scriptor. Eccl.
[f] Dial. cum Triphone pag. 306.
[g] Lib. 5. adv. hæreſes capp. 32. & 33.
[h] Lib. adverſ. Marcion. cap. 34.
[i] Lib. de promiſs.
[k] In fragmẽt. ibid.
[l] Ep. 74.
[m] Hær. 77.
[n] Præf. in Iſa.
[o] Lib. 20. de Civit. Dei cap. 7.

Digitized by Google

254 Aberrandi copiam ſumſiſſe liquet Papiam ex *Hebræorum* quorundam *traditione* [a] tranſverſim de Chriſti regno oracula interpretantium; quam & proſpexiſſe videtur Mater filiorum *Zebedæi*, ubi duos illos ut a ſuis Chriſtus lateribus conſtituere dignaretur, enixe hunc eſt precata; quam fortaſſis etiam & *Latro*, qui ſui memoriam poſt Crucifixi Domini Reſurrectionem adventumque ejuſdem *in Regnum* ab eodem haberi exoptavit. Firmaſſe ſe tamen ex Divi Johannis *Apocalypſi*, quam ſibi peſſime interpretandam adſumſerat, ab eoque accepiſſe errorem inde vulgarat, ita ut facile fuerit, ex aliis Patribus aſciſcere ſibi ſocios nonnullos. Perhibetur inibi apprehenſus ab Angelo diabolus ac ligatus per *mille annos*, miſſuſque in infernum ne ſeducat eo toto tempore amplius gentes: interea memorantur *erectæ ſedes* quamplurimæ quas Juſtorum animæ aſcendant, immolaturæ ſingulæ Deo ſuo Chriſtoque con-regnaturæ quouſque recenſiti anni abſolvantur. Quam Beatorum gloriam dum eorundem *reſurrectionem primam* appellitat ſacer Scriptor; [b] in reſurrectione *carnis* complendam credidit; dumque in *nova Hieruſalem* ſtatuit illam, in *terris* temporaliter id eventurum Papias ſomniavit.

255 At non advertit inſimul incautus homo de *animabus* inibi *ſolis* deque *ſolvendo* tandem *diabolo* ad tentandas gentes apertum eſſe ſermonem: ut propterea Millenarium hoc temporis intervallum id ipſum oporteat ſit, quo beatæ animæ corpus neſciunt, illud nimirum quod lapſum totum a Chriſti Domini reſurrectione ad finale uſq. judicium complectitur, *modico* ante quod *tempore* ſolvetur Satanas Anti-Chriſto ſuo ut adſiſtat, & gentes undiq. invadat, etiam *Electos*. [c] Quid ergo *reſurrectio* ibi *prima*, putes, ſignificat, quam ſolius *animæ* beatitatem & gloriam, cui *ſecunda* illa corporis poſt mille annos accedet? [d] Quidque *nova Hieruſalem*, quam terram promiſſionis aliam, cæleſtem utique patriam?

[a] Ex Euſeb. lib.3. hiſt. cap. 34.

[b] Apoc. cap. 20. verſ. 5.

[c] Matth. cap. 24. verſ. 24.

[d] *Unde impii qui in judicio ceteroquin ſurgent, in eo tamẽ* haud ſurgere *dicuntur Pſal. 1.5. quod gloriæ in anima reſurrectionem non habeant. Huc ſe etiam Apoſtolus ſane refert, dũ ad Theſſal.* 4. 15. *&* 16. *ſic ait:* Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: *nempe animæ reſurrectione:* deinde nos qui vivimus; *qui prius moriantur oportet.*

De Semi-Millenariis.

256 DUm mille iſtud ab Apocalypſi reſeratum annorum ſpatium interceptum illud a Servatoris ipſorum noſtri ad generalem omnium reſurrectionem complecti tempus Patres dixerunt, Cerinthum ſicque obtuderunt; comminiſcendi novum errorem, tanto profecto pulſu difficiliorẽ, quanto creditu plauſibiliorem juxta & amplexu, digni oremq. plurium Patrum adſenſu, [e] viſa olim occaſio fuit. In eo is conſiſtit: tunc primum impendi animabus juſtis æternam beatitudinem *intuitivam*que *Dei viſionem*, quum in finali *judicio* diſcuſſis probatiſque illarum omnium operibus in poſſeſſionem tunc uſq. *parati* Regni mittuntur: interim autem glorioſiſſimæ fulgentiſſimæq. Chriſti Domini faciei viſione perfundi ac recreari. Quo qui-

[e] *Præſertim Divi* Bernardi *ſerm.3. de Sanctis.*

Digitized by Google

dem novus in Eccleſiam Millenariſmus, priore ſopito jam, fuit illatus.

257 Opinio hæc multa antiquitus tempora ſuum locum habuit, ſuoſque aſſeclas & patronos, cum latinos tum græcos. Magna tamen animi contentione excitata fuit ad annum 33. ſeculi XIV. quum *Johannes* Papa *XXII.* ſacrorum Bibliorum & Patrum dictis pro utraque parte in Conſiſtorio medio prolatis, univerſis injunxit Eccleſiæ Præſulibus ac Doctoribus, ut punctum iſtud qua majori diligentia potuiſſent ſolertiaque expenderent. Cauſſa tandem peremtorio Eccleſiæ decreto finita eſt: dum ultra Conſtitutionem *Benedicti XII.* [a] cui præluſiſſe apparet *Innocentius III.* in quadam ſua decretali, [b] expreſſe *Florentina* Synodus id ſancivit: Animas piorum nempe militia perfunctas, atque expiatas ſi oportuit, *extemplo* in æternum Dei gaudium quod ex ejus viſione dimanat, ſingulas receptum iri. Quod quidem quum fide ſancta jam ſanctum eſſet, inceſſere paſſis velis *Calvinus* [c] & *Lutherus* [d] auſi fuerunt. Paullo quin etiam amplius progreſſi ſunt, erroriq. errorem addidere: [e] Eandem ſiquidem ineſſe *reprobis* ſortem commenti, pendere omnia voluerunt ab expectatione adventus Chriſti.

258 At ſuum ut confundantur, intendant animum in parabolam *divitis* in ima *inferni* detracti quidem aliiſque cum reprobis conſepulti, flammiſque atrociter excruciati & confecti eo porro tempore quo fertur *Abraham* in limbo, inconceſſum refrigerium eſſlagitantis. Propterea nil ſibi prodeſſe ducant heterodoxi homines diaboli illius querimoniam, qui dum eum ex Energumeno abſcedere repetereque *inferos* Chriſtus jubet; ſuum his caſum verbis maxime dolet; *Veniſti ante tempus torquere me.* [f] Alio ſcilicet referenda ea præhabita pœna eſt; ad torturam nimirum illam quam ob *conſpectum Chriſti Judicis* patiebatur tum ille, extrema ceteroquin die cum aliis Cacodæmonibus ab eo primitus ſubeundam. Niſi quod; quum non omnes modo in inferno Angeli mali clauſi detineantur (undiq. vagantibus gentium ad tentandos homines eorum plurimis, qui extremo judicii die quo *paratus* tunc uſq. infernus dicetur *diabolo & Angelis ejus*, detrudendi primum ſint illuc) feſtinatam ſat ille in infernum detruſionem dolere potuit.

259 Animabus juſtis aliam quoq. facere parabolam diſcant, qua in *vineam* una die *operariis* adductis, cuiq. facto ſero *abſoluto*que labore [g] pacta merces exſolvitur. Neque enim dies illa illudque *ſero* adumbrare aliud poteſt quam *vitam* cujuſque illorum, uniuſcujuſque pariter mortem; nam ſi mundi durationem ſignificatam ibi contenderes ejuſq. finem; jam omnes moriantur homines non prius quam mundus, quiq. ab initio laboraverunt, ad judicium uſq. ſint iidem laboraturi neceſſe eſſet.

260 Recta igitur Paullus quum a corpore Sanctorum animæ exulant, æterna tum donari mercede loquitur, in viſionem fide converſa perfectaque ob contuitum ipſius Dei. *Scientes quia dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino; per FIDEM enim ambulamus: habentes*

a In Bulla, *Benedictus Deus*, ut in Bullario.

b Cap. *ad Apoſtolicam*, de Presb. non baptiz.

c Lib. 3. Inſtit. cap. 25. §. 6.

d In prælectione in Gen.

e *Niſi quod minime adjectum, quippe vi ſua illi ſubnaſcentem, autumares.*

f Matth. cap. 28. verſ. 29.

g *Qui tamen cum reatu pœnæ diſcedunt, labor eorũ non eſt abſolutus; abſolvẽt inde in Purgatorio: quare illa parabola non probat plus quam oporteat; ſicut videbitur hæc ſententia ubi ad hanc rẽ adducetur;* Quũ dederit dilectis ſuis ſõnũ, ecce hæreditas Domini: *maxime quod ex veteri eſt teſtamento deſumta, quum juſti tum dormientes in limbũ demittebantur: niſi velis, prophetice locutum Pſalmiſtã, ſe ad Chriſti tẽpora referentem; ſubdit enim;* ſilii merces, fructus vẽtris; *& per dilectos, ibi venire omnimodis purgatos.*

ıes voluntatem magis PEREGRINARI A CORPORE & *eſſe Deo* PRÆSENTES. [a] Nec diſſimile duxeris Jacobi teſtimonium aliud de viro illo, qui *quum* de ſuperatis tentationibus *probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* [b] Ea nempe probatio mox ſtatim a morte ipſa contingit juſto, cujus *poſt obitum denudatio* omnium *operum illius* [c] in judicio particulari fiet. Quod quidem ſi fluxa fide homines heterodoxi illi inficiarentur; prætenſum jam millenariſmum illico inverterent. Conceſſum quippe juſtis interea temporis millenarium Chriſti Regnū, nulla facta operum probatione nulloq.præmiſſo judicio, fictitium erit.

261 Hæc autem ita quum ſint; nullum pondus aut valor *extremo* demus *Judicio* dignoſcetur, nec vana ſane apparebit ea vox, qua *jandudum beati* juſti ad percipiendum *tunc* Patris Regnum ſinguli invitabuntur. [d] Enim vero videri novum non debet, ſi hoc ipſum quod primo *privatim* collatum fuit ſummum decus, iterumque ſecundoque uni eidem *publice* conferatur: non ſecus ac ingreſſo *Principe* privatim Urbem, eam tum is publice poſſeſſurus rurſus ingreditur. Atque ubi ſic diximus, ejuſdem Evangelii textus qui hoc ſuppeditat, non mediocrem habuimus rationem: nimirum illa in parabola, qui apparente in *publica* majeſtate *Rege* aut regni potiuntur boni, aut ſupplicio mali mulctantur; illos jam antea *privato* quodam *dominus* in judicio, *poſita ratione cum ſervis ſuis*, [e] donatorum talentorum negotiatorem re muneratur jubetque *intrare in gaudium domini ſui*; abſconſorem pecuniæ ejicit *in tenebras exteriores* in quibus eſt *fletus & ſtridor dentium*.

262 Neque tamen omnino *idem* aut *iiſdem* prorſus, quod in particulari collatum fuit, in generali quoque conferetur judicio: ſic ut proinde optimo jure *quaſi primo* invitari perhibeantur. In illo anima *exuta* corpore, in iſto ſuum *induta* corpus præmium ſuſcipit: illic juſtus *incompleta* gloria donatur in *ſolo ſpiritu*, perfecta & *conſummata* iſtic in *carne quoq.* condecoratur, cumulumq.omnium ſibi bonorum aggregatione perfectum percipit. Hac ratione, quum Chriſtus Dominus confertam æterno gaudio *jandiu* animam tuliſſet, *in gloriam* tamen *ſuam*, poſtquam *oportuit pati* ipſum, *intraſſe* ſe loquitur; [f] dum poſthac præhabitam ejus anima gloriam *in carnem* primitus *derivavit* primoq.effudit.

263 Quæ quidem in dominicum corpus extenſa gloriæ largitio quum multo poſt ab illa animæ acciderit, ac præfinitum tempus a Patre ſubſecuta, eo uſq.quoad reſurgeret, dilata fuerit; irritum feciſſe debuit Sanctorum votum dum eorum beatæ animæ de *ſub altari* clamabant, *Vindica ſanguinem noſtrum*, [g] ſeu carnem noſtram clarifica, *ſtolaq.* nos modo remunerare *ſecunda*. Expectandum ſiquidem ipſis erat poſt traditam ſingulis *ſtolam primam*, ſeu gloriam Spiritus, *donec compleretur numerus fratrum ſuorum* ad præfinitum tempus judicii; illudque temporis intervallum inter unam animæ atque alteram beatitatem corporis intereſſet, ſicque membra capiti concordarent. Quam vero

a 2. ad Cor. cap. 5. verſ. 6. *Quare poſt obitum non fruemur ſolo Chriſto, ſecus; adhuc per fidē ambularemus: nec omnes ad quos Apoſtolus loquebatur, peregrinabantur a Chriſto ambulantes per fidē, multi enim eū viderant.*

b Cap. 1. verſ. 12. *Quam tamē epiſt. Calviniſtæ perperam rejiciunt.*

c Eccli cap. 11. verſ. 29.

d *Qua quidem rei certitudine juſtis judicium illud diſcuſſioni, non horrori eſt:* qui enim de ſua ſpe ſecurus eſt, lætus judicem ſuſtinet; inquiebat *Greg. hom. 13. in Evang. Pati tamen in potētia sēſitiva poſſent horrorē judicii, uti Chriſtus beatus in anima, in corpore patiebatur: ceterum etiā de Angelis dicitur;* virtutes cælorū cōmovebuntur, *qui tamen beati ſunt.*

e Matth. c. 25. verſ. 19. & ſeq.

f Act. Apoſt. cap. 17. verſ. 3.

g Apoc. cap. 6. verſ. 10.

Digitized by Google

ro aliam juſtorum cum Chriſto proportionem ab *Irenæo* [a] mutuant Novatores,ut quemadmodum *poſt multos* a morte dies in cæleſtem patriam ingreſſus eſt Chriſtus, ita & juſti quicunque ſint, non ſtatim ac dies claudunt, ſed multo exinde poſt, atque exacto *Judicio* cum Chriſto primum ſint illic con-regnaturi;antiquum ea millenariſmum in orbem revocat, nec novo favet: eos nempe quos Chriſtus expectavit, laudatos dies, beatos plene duxiſſe, nemo non ſcit.

264 Sed quum tuas mihi aures dediſti atque intellexiſti exinde, *deſideratam* illam ab animabus juſtis corporis gloriam iiſdem fuiſſe *dilatam*, timeo ne tum te ſuſpicio ſubierit, fore ut Novatores propterea effutiant, *beatitudine* vera *quæ omne deſiderium exuperat*, [b] illas carere. Verum eo id animi votum ibi animo exprimitur, quo palam fiat, quam *magna* ſint bona omnia ſupernæ vitæ,etiamnum reſpectu corporis, ut ea *veluti* deſideret anima quanquam beata, & ſic nobis *vere* deſiderare illa faciat: eo quidem modo quo ad lacrymas e noſtris peccatorum cordibus tenerrimas excitandas, *Angeli pacis*, turbari alioquin neſcio perfuſi gaudio, *amare* tamen Crucifixum *flentes* alibi inducuntur. [c] Ceterum quę ſic deſiderant juſtorum animæ,mox [d] ſingulę apparent amictæ albis ſtolis, *ſtantes* (nulla tum de Judicio mentione habita [e]) *ante thronum DEI in conſpectu agni*, [f] adeoq.fruẽtes beatitudine.

265 Verum quid crederes? Non inde quiſpiam illorum etſi pluribus ante annis jandudum gloria perfuſus, gaudebit magis ſeu *diuturnius* eo, qui meritis ipſi compar ſub extremum judicii diem deceſſerit. Menſura ſiquidem meritorum & præmiorum, non inficiamur, eadem eſt: tantum tamen iſte,.nec hæſites, quantum & ille, æqua ambo duratione glorificabuntur: juſtus eſt Deus. Nimirum ſi *æternitatis* naturam bene perpenderis, nec illum quia prius eſt in patriam aſcitus, ſibi aliquid gloriæ addidiſſe noſces; neque hunc quia poſterius, ſibi demſiſſe. An-non ſi futuros æternitatis quam *a parte poſt* ſeu poſteriorem appellitant, dies proſpexeris, totidem apparebunt ſine fine ſemper futuri, ac dies præteriti æternitatis alterius quam & *a parte ante*, ſemper ac ſemper ſine ullo principio? Non-ne utraſque has æternitates (ſic loqui volupe ſit) æquas cenſes, quas modo tempus æquiſſime intermediet? Putamus autem, non diſſimiliter ratiocinandum fore tibi poſt multas annorum chiliades qui de æternitate poſteriori fluant, & in anteriorem ceu præteriti decurrant. Non-ne etiam tunc poſt hujuſcemodi temporum lapſum æquas inter ſeſe viſurus eſſes ambas illas ſemi-æternitates, anteriorem poſterioremque? quod ergo infinitum eſt, nec finiti additione creſcit, nec ſubtractione minuitur. Minor non erit poſt plures annos exactos ſucceſſio æterna dierum, nec erat major, prius quam laberentur: neque igitur minus gaudebit qui in æternum gaudebit, & ſi in mundi fine ad æterna gaudia adſumetur; nec magis, qui in ea ab initio intraverit redemti orbis. [g]

[a] Loc. laud.

[b] Ad Philip. cap. 4. verſ. 7.

[c] Iſa. cap. 37. verſ. 7.

[e] *Quæ in apertione alterius apocalyptici ſigilli habetur.*

[f] Apoc. cap. 7. verſ. 9.

[d] *Quaſi verba illa priora,* ſub altari, & vindica &c., *eo tẽporis eas referant martyrum animas quo ſe judicio particulari ſtiterunt, exoptãtes tum gloriam integrã; quibus tamen ſola illa ſpiritus mox data fuit.*

[g] *Hoc autem quãvis ſit ita, aliud non deficit ex quo diverſitas gaudii petatur, ubi unus magis quã alter cumulatus meritis deceſſerit: alius enim tunc alio clarius videbit, alio perfectius; ut infra a num.* 295.

De

De Johanne XXII.

266 QUum jam longo tempore in Eccleſia ſopitum eſſet Semi-Millenariorum delirium, ac omnes, ut dogma fidei, oppoſitum cuſtodirent, vulgatumque id eſſet apud Catholicos; libellum edidit Johannes Papa XXII. Scripturæ ſacræ Sanctorumque Patrum monumentis refertum, quibus intendere videbatur, juſtorum animas, ſine carne reaſſumta, divina gloria & facie non eſſe ullatenus fruituras: inque hujus gratiam ſententiæ permulta in concionibus concertationibuſque ipſe protulit, & adduxit, facta inſuper copia Doctoribus Eccleſiaſticis, ut quod ſibi verius viſum foret, defenderent, & concionarentur.

267 Quod ubi plures præſtarunt, ac, ut deprehenderunt inclinatum Pontificem Semi-Millenariorum fuligine tingi, in horum ipſi commentum dedere manus Adulatores; Philippus Valeſius Gallorum Rex ardore fidei ſuccenſus (quod ſic moneretur ab Univerſitate Sorbonica) diſtricte inhibuit, ſub mortis etiam interminatione, ne id ab ullo e ſuis ſubditis doceretur. Purum autem putumque illud, Regem Francorum communionem ob eam rem cum Pontifice ſuis defendiſſe, Calvini [a] commentum eſt; amice nanque ac reverenter ſcripſiſſe illi literas, una cum Roberto Siciliæ Rege, quo miſſam faceret prædictam opinionem (ſic rumor erat) a doctis quibuſque repudiatam, autor eſt Johannes Villanus [b] illius temporis Scriptor. Reſponſum exinde accepiſſe fertur, quo affrictam ſibi Pontifex calumniam vindicabat, ſuadebatque, ut interea quouſque ſuper ea quæſtione Apoſtolicum judicium non accederet, Eccleſiaſticis ſineret expendendam ac diſputandam, revocatis minis, quod ſuū non erat.

268 Verum quum ex his quæ retulimus, adverſus Pontificem quaſi in hæreſis aſſertorem conclamaretur; Heterodoxorum non modo plures, ſed & Catholicorum nonnulli in ea fuere ſententia, ut erroris illius Johannem inſimularent. Inter iſtos enumerantur Ochamus, [c] Marſilius, Gerſonus [d] & Hadrianus [e] deinde Pontifex Sextus. Sed Ochamo qui ultra ſcribit: præcepiſſe Johannem Pariſienſibus, ut ſic docerent, nullumque ad Theologiæ lauream promovendum arbitrarentur, qui ſe jure jurando pro hac ſententia non obſtrinxiſſet: nulla fides habenda eſt; quippe qui Johanni maxime infenſus, & ſolenni ab eo excommunicationi ſuppoſitus erat, quod ageret Theologum ſtipendiarium contra Sedem Romanam in favorem Ludovici tunc temporis Imperatoris, uti referunt Genebrardus, [f] & Cardinalis Aguir. [g] Ceteros autem qui adſunt, vulgi rumore deceptos ac falſos omnes, rectiſſime opinabimur.

a Lib. inſtitut. cap. 20.
b Lib. 11. hiſt. Flor. cap. 19.
c In opere 99. dierum.
d Serm. de feſt. Paſch.
e In 4. de miniſtr. confirm.
f Ad an. 1327.
g In defenſ. Cath. D. Petri diſp. 32. ſect. 3.

269 Ni-

Digitized by Google

269 Nimirum eam calumniam ſuſtulit ab Johanne Benedictus XII., qui defuncto illi proxime ſuffectus eſt. Habet hic apertiſſimis literis, [a] anteceſſorem ſuum nihil penitus, quod hanc materiam concerneret, ſtatuiſſe, aut ſuſtinuiſſe unquam, & antequam aliquid definiret, fuiſſe morte ſublatum. Id quod deinceps Galliarum Antiſtites in *Caſtro Vicenarum* coacti, Regi ſuo Philippo Valeſio publicis inſtrumentis teſtati ſunt, in hæc verba: *Advertentes quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit, non aſſerendo, ſeu opinando dixerit, ſed ſolummodo recitando*. Cujus ſane rei autographum ipſum penes Patres Prædicatores Pariſiis aſſervari, teſtis eſt Jueninus. [b]

[a] In Bulla ſupra-laud.

[b] Diſſertat. 4. cap. 2.

DE PRINCIPIIS VISIONIS BEATÆ.

De improportione ſolius naturæ ad videndum Deum.

270 EAm quam *inhabitat lucem inacceſſibilem*, ut hæc habitanti Deo ſumma claritas eſt, qua ſua ipſe viſio perſpicaciſſima & indeficiens, ita cuique extra ipſum ſumma obſcuritas & denſiſſimæ tenebræ ſunt: inacceſſibile nanque lumen, cui tale extat, perinde illi ſe habet, ac ut caligo: non ſecus quam obtutibus noctuæ inacceſſum lumen meridianum, eidem eſt pro caligine ſpiſſaque obſcuritate, dum per illud ad Solem inſpiciendum, non magis perficitur, aut confortatur, quam per caliginem atque tenebras; ab utriſque nempe nullimode, quin impeditur. Ea iccirco ratione hæc duo maxime cohærent ſimul, ac ſummo fœdere ſociantur, & *habitare* Deum *lucem inacceſſibilem*, [c] & *poſuiſſe tenebras latibulum ſuum*: [d] quin unum alterum infert, poſtq. ſe ipſum ſumma quadam neceſſitate trahit.

[c] 1. ad Timot. cap. 6. verſ. 16.

[d] Pſalm. 17. verſ. 12.

271 Quia vero qui nobis eſt Deus, creaturæ cuilibet Deus eſt; omnino omnibus, & qui ejus beneficio ſumus, quique etiam eodem gaudere poſſunt, impenetrabilibus obvolvitur tenebris, & inacceſſibilem habet lucem: quippe quæ inſuper illa excedenti, ac infinita quidem Deitatis præſtantia & altitudine, qua omnibus ſemper eminet, ac ineluctabiliter eminet, a Patribus vel unice collocatur. Palam autem id totum fit, ubi advertis, requiri duo tibi & cuicunque, ut in quodvis objectum *connaturaliter* perducaris, & *habitudinis* proportionem, & aliam *commenſurabilitatis*: neque enim lux ab oculo attingitur, ad quam hic præfert ſuam habitudinem, ſi remotiori, ac oporteat, loco poſita, proportionatamque ultra menſuram. Quumque

Digitized by Google

que igitur creata mens, eſto ad Deum habitudinem dicat ſuam, quæ intelligibilis rationem quam Deus ingreditur, primo reſpicit, atque ſpectat; *commenſurabilitatem* tamen cum eo habet nullam, magiſque ab ipſo diſtat, & ſi infinita (ſi dabitur) quam finitum quoddam a creato infinito, utcunque ſummo.

272 Neque tamen, quod qui clare modo intuentur Deum in cælis Beati, infinitate divini exceſſus non refragante id obtineant, hæſitandi unquam tibi locum efficiat. Nimirum æqualitas illa cum Deo ſolum exigitur, ut ſuis quiſque natura & viribus in eum pertingat; haud vero, quo beneplacito ipſius Dei, ad ſe illum trahentis, id beneficii aſſequatur. Quemadmodum, ut quis jure proprio familiariter agat cum Rege, oportet, ſit æqualis in dignitate ac eſt Rex; ut Regina; non autem ut id efficiat beneplacito & privilegio ipſius Regis, quod præſtabit utique quiſque inferior, vel ſubditus.

273 Excogitatam illam a quibuſdam Scholaſticis ſubſtantiam *ſupernaturalem*, ut vocant, cui debitum ſit, ut a Deo ſuperno gloriæ lumine perfundatur, quiq. ad ſe ipſum eam trahat, prorſus abjicito. [a] Sic enim tibi aperires viam quam incederes, ad inveniendam naturam aliam, cui ſit quoque debitum ſublimiſſimum illud decus & faſtigium ultimum, ut ipſi Deus *hypoſtatice* uniretur, & Deus fieret. Sed neque inſuper punctum hi omne tollunt, & cauſſam finiunt; dum ubi ſubſtantiam illam induere *ſupernaturalitatem* effingunt, hanc per ipſos exuat lumen gloriæ fatendum eſt, ac utrunque propterea nonniſi naturale, velint, nolint, exiſtat. Nil enim *ſupernaturale* dixeris rectius, quam quod cujuſque naturæ creatæ & creabilis vires ſuperat, ac exigentias quantaslibet. Hoc Patres innuunt (dum res *ſupernaturales* duntaxat volunt per vires Dei) ac ratio ipſa ſuadet; nam alioquin ſi crearetur Angelus perfectior creatis, operationes omnes quæ huic conveniunt, his omnibus qui defacto ſunt, *ſupernaturales* reapſe forent, ſi concederentur.

a Quod quidẽ gloriæ lumen tametſi accid. eſſet, eam ſubſtantiá impoſſibilẽ argueret; ſecus en. Deus illam jam produxiſs., quippe quá illud exiger. uti nõ multo poſt a luce ſydera efformavit, quorum hæc accid. exigentiæ dicitur.

De eſſe ſupernaturalitatis.

274 QUia tamen hoc quod eſt, *lumen gloriæ*, *qua ſupernaturalitate præeminens, nulli ſubſtantiæ deberi nec creatæ nec creabili*, in aliquo ſitum eſt ac fundatum, quod ipſum inferat, atq. quum hoc tibi optares oſtenſum, ultro exhibemus. Omnibus autem Divum Thomam præferimus, in eo *ſupernaturale* conſtituentem, quod nos participare facit de divina natura; [b] utpote cui Divus Petrus fundamento eſt, dum habet: [c] *Pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ*

b Part.1.q.110. art.3.
c Epiſt.2. cap. 1. verſ.4.

conſortes naturæ . Verum eſt autem, creaturas omnes, ac præſertim intellectuales participare de eſſe phyſico Dei, atque iccirco entia *participata* vocari: ut propterea intellectum habere alium ab eo quem literæ præferunt, id quod modo aſſumimus, dicendum ſit.

275 Suam inde *FARDELLA* opinionem ſuppeditat, atque vult, participandam Dei naturam, ad rem hanc noſtram, ſecundum *eſſe morale*, quod per ſanctitatem moralemque bonitatem aſſurgit: ut ea proinde *ſupernaturalia* ſint, quæ vel ipſa nos ſanctos faciunt, vel a re procedunt faciente nos ſanctos, vel ordinantur quodammodo ad ſanctitatem noſtram, vel producendam, vel oſtendendam, vel exornandam. Nec alia ſiquidem ratione, quæ afferuntur omnia *ſupernaturalia* dona, Spiritui Sancto tributa noveris, ejuſque dona vocata, niſi quod ſunt participatio quædam ſanctitatis divinæ; & Divus Paullus de noſtra differens elevatione ad ſtatum *ſupernaturalem* aperte habuit, [a] *elegiſſe nos, ut eſſemus ſancti*. Quæ porro laudata ſanctitas, utpote donum gratuitum Dei proprium, qui ſolus ſanctus & bonus dicitur, incompetens creatis omnibus ex ſe naturaque ſua defectivis (ni, ut recte Auguſtinus ait, [b] ſummum bonum in genere moris creatum, nullius malitiæ capax effutiamus) id fundat, quod nobis optatum eſt, creaturarum nempe omnium vires & exigentias *ſupernaturale* quo ad ſubſtantiam excedere, ac illas altiorem in gradum evehere ac ſublimare.

[a] Ad Epheſ. cap. 1. verſ. 4.

[b] de vera Relig. cap. 9.

276 Diſcurrit inde citatus *Doctor pluſquam ſubtilis* per ſingula, ut demonſtratam rem faciat: & illi primum occurrit *Unio hypoſtatica*, quæ dicitur ſanctitas ſubſtantialis, & naturam peccandi neſciam reddit. Secundo *Gratia ſanctificans*, qua *formaliter* ſancti reddimur. Tertio *Gratiæ excitantes*, *adjuvantes*, aliæque omnes quarum *tendentia* in peccati excluſionem eſt atque ſanctas operationes. Quarto *Infuſæ virtutes*, cum *Theologales*, tum morales aliæ, quæ nonniſi cum gratia infunduntur ſimul, ejuſq. ſeu ſanctitatis proprietates extant: & quanquam in peccatoribus ſæpe remaneant ſpes & fides, ad animæ tamen ſanctitatem ex ſeſe tendunt, atque id ipſum reſpiciunt ipſarum actus. Quinto *Characteres Sacramentales*, hominem Deo ſacrant, quo ſanctus fiat. Et ultimo *Lumen gloriæ*, *Deique viſio*, (apta forſan ſe ipſis ſolis animas ſanctificare) nonniſi creaturis ſanctis unice impenduntur.

277 Videtur autem propoſitæ tibi doctrinæ obſtare quidquam quo ab ea declinandum putes; dum non omnes qui boni *moraliter* ſunt actus, [c] eos quidem *ſupernaturales* cenſebis, quos tamen omnes divinam dixeris ſanctitatem participare. Sed in eo turpiſſime falſus es, quum actus illos qui peccatum ſuopte jure ab anima non longe faciunt, nec ad id inclinare ſua eſt, divinæ facias participes ſanctitatis; illius

[c] *Nimirum actus prudentiæ, temperantiæ &c.*

Digitized by Google

illius nempe, quæ peccati uſque umbram exhorret. Solum quos nuper omnes enumeravimus, id juris habent *ſupernaturales* actiones ac habitus; qui quidem ubi contingunt, afficiuntque animam ſanctitate deſtitutam, eos veluti in ſtatu quodam indebito ac præter-naturali dixeris quam rectiſſime.

De errore Anomæorum, Beguardorum & Beguinarum.

278 EUnomius, quem ſupra deteſtati fuimus, Anomæorum hanc ſibi ſectam impius comparavit, indignumq. ex eo ſibi nomen conſcivit. Error horum, ad præſens quod attinet, divinam ſubſtantiam intueri viribus propriis, comminiſci olim fuit, ac fere totam comprehendere. Id quod ineunte ſeculo XIV. infamiſſima utriuſque ſexus pſeudo-Religioſorum ſecta Beguardorum & Beguinarum amplexa eſt. Unde autem ſibi ipſis dederint nomen, vel nacti ſint hæretici hujuſmodi, omnino incertum. Quod conſtat; e ſciſſione Franciſcani Ordinis (cui tamen ſua jura maneant, ut Chriſtianæ Religioni, e cujus ſinu tot monſtra exeunt in dies) ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie prodiiſſe, & in Germania graſſatos, libertate ſpiritus, qua carni penitus indulgebant, non leve animabus exitium intuliſſe: quouſque Clemens Pontifex V. celebri illa Clementina *Ad noſtrum, De hæreticis*, eos omnes in Viennenſi Concilio damnavit æque ac extinxit: decrevitque, creatarum mentium nullam ſine ſuperno gloriæ lumine divina clara facie perfruituram.

279 Neque aliud ſcripturæ clarius docent, quam æternam illam feliciſſimam vitam fore Dei gratiam [a] omnibus qui eam vixerint, ipſoq. in lumine Dei, [b] divinum viſuras lumen, quæ aſpexerint, quaſcunque mentes. *Ipſe enim lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* [c] Atque preſſius recenſiti luminis neceſſitatem: *Poſuiſſe Deum ſibi tenebras in latibulum*: [d] infert ſimul & docet: dum nullus iccirco, ni quodam lumine (ſuperno quidem ac prope maximo) hæ tenebræ diſſipentur, latitantem inibi Deum deprehendet.

[a] Ad Roman. cap. 6. verſ. 24.
[b] Pſalm. 35. verſ. 10.
[c] 1. ad Timot. cap. 6. verſ. 16.
[d] Pſalm. 17. verſ. 12.

De lumine gloriæ.

180 AUxilium illud quo mens creata de ſe imbecilla, nec ad Deum intuendum ſatis virium habens, fulcitur, & apta redditur tanto muneri, lucis paſſim & ſplendoris nomine uſurpatur, quum de beatæ immortalitatis gloria ſcripturæ loquuntur, ac Patres veteres. Quæ autem ſit illa lux ex antiquorum opinione, declarat Auguſtinus quammaxime in his verbis: [a] *Lux illa, Deus ipſe eſt: quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*: & in libro ſoliloquiorum, qui Auguſtino quoque aſſeruntur, perſpicue firmatur idem: [b] *Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen; te ſcilicet in te, in ſplendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem.* Alio nempe ſenſu, quam quo apud plures in Scholis lumen gloriæ ſumitur, perſpicuus eſt in Patribus uſus appellationis iſtius. Nam illi qualitatem quandam creatam, atq. *accidens* intelligunt, quo tota beatorum mens perfundatur; eoque (ut comprincipio effectivo divinæ viſionis quam eliciat inſimul) completa fiat.

a Epiſt. 6.

b Cap. 36.

281 Omnem autem ſuper hoc admirationem quam forte quidam concipiet, tollit THOMASIUS: [c] dum eas Patres locutiones in pertractandis ſcientiis uſurpaſſe animadvertit, quas in diſciplina *Platonica* quæ tunc temporis florebat, imbiberant. Nullum exinde Patribus *accidens*, a ſubſtantia cui adveniat, in re diſtinctum; quod Philoſophiam Platonis non ſapit. Atque id eſt unum fundamentorum potiſſimorum, quibus ſuum innixum exhibet aureum opuſculum de *ſpeciebus Euchariſticis reſtauratis*, clariſſimus Saguens. [d] Inibi oſtendit perſpicue ad ſenſum veterum Patrum (ut qui Platonici omnes) ficta quædam Peripatetica accidentia profliganda penitus in Sacramento Corporis Chriſti: neque aliud peracta conſecratione remanſurum ex pane ac vino, quam nudas duntaxat ſpecies & apparentias, eorum exhibitivas, quaſque unice Concilia quæque reſpexere. Has porro ſpecies nonniſi, ex diſciplina Platonis & Patrum, voluit, præeunte ſibi Magiſtro ſuo doctiſſimo Maignano, quam actiones quaſdam peculiares, quibus objectum ſeſe reddit ſenſibile, atque *intentionales ſpecies* vocat. Porro ſubdit THOMASIUS, [e] *quum impræſentiarum jaceant inſtituta Platonica, & Ariſtotelem cuncta reſonent gymnaſia: quid mirum ſi minus intelligantur quandoque Patres; ſi quæ illi didicerunt, plerique omnes ignorant? Ob eam cauſſam multo præſtaret adoleſcentibus aggreſſuris ſuo tempore ſolidæ Theologiæ [f] ſtudia, primis lineamentis, ac rudimentis Philoſophiæ Platonicæ informare animos.*

c In Indiculo.

d In opuſc. inſcript. *Accidẽtia profligata.*

e Loc. laud.

f *PHILOSOPHIAM NOVAM ſaniori THEOLOGIÆ UTILIOREM prodit THOMASIUS, atque intelligendis Patribus unicam.*

282 Patribus inde obſequentes, ac Platonicorum dogmatum

quo-

quoad hoc ex Philoſophia quam ſecundo dedimus novam, quodammodo conſcii; ſupernum id gloriæ lumen non aliud remur, quam operationem ſimplicem Dei objectivam in intellectum creatum, qua hic elevetur ad proportionem *commenſurabilitatis* cum illo, ſeque Deus contuendum exhibeat. *Quid enim aliud*, inquiebat Origenes, [a] *lumen Dei dicendum eſt, in quo quis videt lumen, niſi virtus Dei, per quam quis illuminatur?* Neque ſane credere fas eſt, videri ab aliquo poſſe Deum, ni ſuo ipſe motu proprio faciat ſe videri, hoc eſt impulſu ſuo, & motione objectiva. Nimirum ſi advertis continere Deum eminenter quidquid perfectionis habent viſibilia creata; jam non erit ambiguum, quin quemadmodum hæc illis perfectio ineſt, ut ad viſionem ſui ipſorum objectiva operatione concurrant, ita, quin multo magis, & Deo. Atque id, ubi in objecto eſt perfectio, in principio cognoſcitivo indigentia eſt; quatenus nullum divino inferius ſua eſt per eſſentiam viſio cujuſque objecti.

283 Nil inde vetat quominus id quod paſſim vocare eſt lumen gloriæ, ipſa ſit *ſpecies impreſſa* Dei vera & germana; quemadmodum (ut congruant locutiones) operationem eam reflectendæ lucis ad oculum in objecto viſibili, ejuſmet impreſſam ſpeciem alibi oſtendimus. Nec aliud reapſe docuit Divus Thomas, in quem omnes pedidus eunt, dum videntium ſubſtantiam divinam, animadvertit, [b] *ipſam eſſentiam Dei fieri formam intelligibilem intellectus*. Duæ hinc nobis exhibentur viæ, quam obſeremus unam, & alteram aperiamus. Aditum quidem nullum ſic facimus quæſtionibus illis, quæ ſcholam ſcindunt ac vexant, de poſſibilitate ſpeciei impreſſæ divinæ, & abſoluta neceſſitate hujus luminis: dum utrunque ſic adeo ſtatutum remanet, ut videre Deum ſine hac ſpecie, prorſus impoſſibile ſit, vel ſine hoc quod ipſamet ipſa eſt, lumine gloriæ. Quæ vero panditur via, ea eſt conciliandi autorum ſententias, dum lumen aliqui referunt ad potentiam, cui vires ſufficiat, alii ad objectum, quo ſe inſinuet ac pandat: nos ambos conciliantes, utrunque dicimus, ac mutuamus ad momentum, rem explicaturi, prædeterminationem phyſicam a Thomiſtis: hanc ita ponunt, ut ſe teneat, & ex parte cauſſæ primæ, ut hujus influxus prævius, & ex parte ſecundæ, ut ei præſtitum quo moveatur, neceſſarium auxilium. [c]

284 Id porro lumen, quod habitualibus accenſet hodie fere ſchola univerſa; hujuſmodi eſſe non plane conſtat ex principiis fidei; quin oppoſitum ex veterum doctrina non leviter ſuaderetur. *Quale ſit auxilium illud*, monet Petavius, [d] *nemo liquido demonſtravit; minime omnium efficientis quoddam genus eſſe cauſſæ, ac velut habitum: quod paſſim in ſcholis percrebuit*. Enim vero in Viennenſi Concilio nil actum eſt ſuper hoc, [e] cui ſolum fuit ſcopus effutientes hæreticos con-

[a] Lib. 1. de Principiis cap. 1.

[b] Part. 1. q. 12. art. 2. ad 3.

[c] *Id ipſum explicabit Unio hypoſtatica, qua & natura humana ad aſſumtionem divinæ Perſonæ elevatur, & hæc illi ſuppoſitaliter unita redditur.*

[d] Tom. 1. lib. 7. cap. 8.

[e] Ut etiam notat Vaſquez p. 1. diſp. 42. cap. 2.

Digitized by Google

condemnare, qui Deum viribus propriis cernere venditabant. Inde fit, ut quemadmodum connaturalius eſt viſui per ſpecies unice actuales moveri, ita & lumen illud, ſeu ſpecies impreſſa Dei, beatorum intellectui non ſit, ſi actuale quoddam, ſed continuo dimanans. Ut proinde nec *permanentiæ* luminis injurii ſimus, ob jugem hanc impreſſionem & indeſinentem, quam Deus ex inſtituto habeat, abſque termino imprimendi ullo; dum ſi rem perpendis, non aliunde permaneret *habituale* illud quod ſtatuunt, quam vi continui actualis influxus *conſervativi*.

De elevatione mentis per lumen gloriæ.

285 Videretur juvare Anomæos, ſi negotium totum prædicti luminis ſolummodo foret imprimere objectum menti, ac ſignare, quo ſui copiam iſtuc videndi faciat, influxu ac motione objectiva ſua. Hoc enim modo conceptum lumen inficiari haud curabant, promti forte qui admitterent: niſi quod, ubi eſt liberum Deo ac voluntarium (opus enim ad extra eſt) naturale quidem, ut cuivis objecto alteri influxus ſuus, reputaverint. Evidens tamen eſt ex jam dictis, etſi Deus ſpeciem ſui impreſſam non ſubtrahat, omniumque exponatur cognitioni; nullum inventum iri intellectum adeo potentem, qui aſpectus ejus claritatem ferat: veluti Sol, cunctorum oculis ſat expoſitus, non omnes eorum patitur, ſeu terminat, qui tantum ſuſtinentes jubar, eum ipſum intueantur. Ni ergo ſuperna Dei operatio qua ſe imprimit intellectui creaturarum, hunc ſimul elevet, attrahatque ad ſuam lucem, alioqui inacceſſibilem, irrita foret ac fruſtranea, vel quidem prorſus.

286 Eſt autem hic neceſſe, ut mentis eadem vitalis facultas, de ſe omnino impar, non ſolum ad totam increatam lucem ferendam, ſed nec ad quantulamlibet ſcintillam ejus, utcunq. minimam (ſit nobis fas ita loqui) utpote infinitiorem ſemper, elatioremque, quam ferre poſſet intellectus creatus; ipſa inquam per ſubmiſſam opem ad Deum aſſurgat, ipſumque in pleno lumine intueatur contempleturque. Eo ſic poſito, ac recte quidem; nullius momenti apparet, quod dicitur, nude intellectum juvari per meram luminis ſimul agendi ſocietatem; ut quod ſolus ipſe non valet, tota vi ſua licet agens, eadem valeat, in conſortio luminis, præcise eum comitantis. Quid nempe dixeris? juvabitur ne manus una ex paralyſi, aut aliter omnino invalida & inepta quidquam prehendendo, per nudam alterius concomitantiam, quæ in illam non agat, ſeu relevet, aut quodammodo exſuſcitet, ſed conſociet nonniſi, & quod ſuū eſt, ipſa faciat? Evidens ſane dixeris, nullum ſic ei adjutorium allatum iri.

287 Spe-

Digitized by Google

287 Specioſum quorundam illud inventum, de ſe habere vim aliquam intellectum creatum ad beatam viſionem, ad hujuſce nimirum vitalitatem, atque ad *ſupernaturalitatem* vim aliam lumen; ut proinde ambo ſimul eam totam poſſint, collatis in commune viribus utrorunque; profecto, meliori ſalvo judicio, non ſatisfacit. Ecquid fortaſſis deprehendunt, dum ita dicunt? eruntne duæ veræ res, autumabunt, laudaræ illæ *formalitates*, quarum una ſeorſum a principio vitali fiat, altera ſeorſum fiat a *ſupernaturali*? tota quippe illa viſio vitalis eſt, tota & *ſupernaturalis*, nonniſi in re quid unum phyſice ſimplex. Sed advertant præterea, illud, ſi ſic agere concipiatur, præfatum lumen elevare non minus, quam & elevari dicendum eſſe; ambo porro ex alterius conſortio ultra ſuam evehuntur ſphæram, & intellectus ad actum *ſupernaturalem*, & ad vitalem id ipſum excogitatum ipſorum lumen.

288 Totum igitur negotium luminis gloriæ, prout *elevativi* creatæ mentis, in eo ſitum eſt, quod huic præbeat opem, ut non cum ea ſimpliciter agat, ſed agat ipſammet, ideſt, vim ejus innatam ſecundum ſe ſumtam exſuſcitet, vel acuat, ſeu quovis alio modo reddat ſecundum ſe potentiorem, & actuoſiorem, quo agat, quod non valebat: [a] nec enim aliud ea verba referunt confortandi, corroborandi, elevandique intellectum, aut hiſce dictis ſimilia. Qui vero id fiat, pene ineffabile. Non tamen deeſt in naturalibus, quo aliqualem expoſitæ doctrinæ ideam efformemus, exemplum impulſi lapidis ad motum ſurſum quem a projiciente actus, ut agat, efficit, eſto ad illum habeat, ut videtur, repugnantiam potius, quam inclinationem & exigentiam.

a Lumen gloriæ vim ipſam intellectus vitalem elevat ponitq. in ſtatu ſupernaturalit. quo viſionis actum ſupernat. eliciat.

De inelevabilitate oculi carnis ad Deum attingendum.

289 ANcipitem diu tenuit punctum hoc Auguſtinum; qui (ut mos eſt rem aliquam profundius expenſuris amplexuriſque; dum quibus diſſuaderi poſſent momentis, hæc prius animo evolvunt, quam determinent exhibeantque aſſenſum ullum; atque hoc ita impenſe & enixe, ut illis fere vinci & ſuperari videantur, quo quaſi cedant;) ſublimandos adeo cenſuit carnales oculos, ut *num aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile*, dubitaverit, [b] dubioque ſuo inclinationem adjungere viſus ſit. Ut autem is ipſe vidit oppoſitam tenere Patres ſententiam, quotquot erant reliqui, hanc ſibi ſuam fecit, illiſque aſtipulatus fuit, & ſe adſcripſit: *Non tantum*, inquiens, [c] *quod Beatus Ambroſius, verum etiam Sanctus Hieronymus; dicam, divinitatem non poſſunt, oculis carnis aſpicere, ſed oculis mentis.*

b Lib. 21. de Civit. Dei cap. 29.

c Epiſt. 112. cap. 23.

290 Ve-

290 Verum ubi ſic Patres effati ſunt; Scholaſtici aliquot animoſiores eam oculos ſublimitatem habendo aptos eſſe autumarunt. Quod quidem ſi ſcientiæ ſpeciem præferret aliquam, non ne inſcitiæ illi omnes inexcuſabilis arguerentur; quippe qui ad literam, ubi opus fuerat, ſcripturarum loca quamplurima minimum exhibuere; cuncta quæ de oculis Deum viſuris habentur, ad illos animæ referentes quotquot ſunt omnes? Hanc ipſam ob rem viſionem Prophetarum (qui oculis ſibi Deum perſpectum fuiſſe gloriabantur) explicaturus ex Epiphanio THOMASIUS hæc loquitur: [a] *Viderunt oculis Prophetæ Deum, & non viderunt. Viderunt ſane illum quantum fas eſt oculis carneis, nempe corpoream & aſpectabilem imaginem ac ſimilitudinem Dei in figuram aliquam divinitus formatam, & eorum oculis objectam; ſicque ipſi qualicunq. oculorum obtutu videri poterat, reipſa Deum viderunt. Non viderunt autem Deum ipſum quatenus eſt in ſeſe*, cetera. Non etiam ſi conſulto in ſcholis oppoſitum exhiberetur, Eccleſiam inconſultius egiſſe neceſſum eſſet, quæ Job aſſerente [b] *in carne* ſe ſua viſurum Deum, & *oculos conſpecturos*, hunc voluit [c] Deum Servatorem, humanis profecto artubus, ac inde oculis viſibilem, coopertum?

291 Moventur neſcio qua *obedientiali potentia cujuſlibet ad quodlibet*: quam tametſi extentis brachiis, ac totis amplexum irem, nunquam, ut putant, aſſequerentur optatam rem; ac nulla ob eam mihi cum illis impræſentiarum controverſia, qua ſejungamur. Enim vero principium nullum creatum, quodcunque fuerit, ſeu cognoſcens ſeu agens, ultra ſphæram naturalis *activitatis* extollitur, niſi per actum aptatum termino, ad quem illius eſt impulſus: eamque ob rem elevato igne ad producendum Angelum (ut belle exhibent) eum ille nunquam producet, niſi creandi actione ſola quæ illi ſola proportionatur, non alia. Eo inde fit, ut elevato pariter oculo ad attingendum *Verum* (ſi fieri poteſt) id ipſe faceret cognitione tantum, non viſione; cognoſceret inde (ipſi videant) haud videret; quod *Verum cognoſcibile* eſt, non viſibile. Secus autem impenſe optatum hic mihi foret, impetrent ipſi a ſuperis oculorum meorum elevationem, qua ſuæ vel tantillum videam poſitionis aſſertam *veritatem*: ſed *rem difficilem poſtulaſti* prudenter ſubderent, quum nulla in noſtra theſi ſit *veritas*, quam omni miraculo intuearis.

292 Ceterum ſi noſtrarum eſſet partium judicium hic noſtrum interponere; neque minus per ab ipſo productam cognitionem, vellemus, attingeret Deum oculus, qui cognoſcendi capax non eſt, ac perinde ſe haberet, ut quidam lapis, vel aliud quidpiam inanime, cui cognitio divinitus infunderetur: non enim ex eo ſolummodo rem impetimus, quod (juxta alibi dicta in Philoſophia noſtra) impoſſibile ducimus extra intellectum adinveniri cognitionem, ut quæ illius ſolum-

[a] Inſtit. Theologic. Antiqu. Patr. tom. 3. in adnot. ad Ancoratum Epiphanii, fol. 180.

[b] Cap. 19. verſ. 26.

[c] In off. defunctor. ubi verba Job ita refert: *Videbo Deum Salvatorē meum*: & ſane aliter non eſſet cur in Patria defacto tanta gloria oculi careant.

lummodo eſt motus *intentionalis*, ab ejus ſubſtantia indiſtinctus quoad *entitatem*.

293 Dubium autem præſens (niſi me fallit animus) ex æquivocatione hujus vocis, *Viſio*, quæ tribuitur cum actibus oculi, tum intellectus *intuitivis*, videtur duxiſſe ortum, ac profectum adeptum eſſe: ceterum nulla major connexio inter viſionem corpoream, & *intuitivam* cognitionem adeſt, quam inter hanc & auditionem, guſtationem, aliaſque actiones corporis reliquas. Ut propterea Auguſtinus jure admiretur non omnibus affictum æque attingendi Deum beneficium: *Cur ſolis oculis favent, invident autem ceteris ſenſibus Chriſti?* [a] Niſi quod inſipidum profecto eſſet quærere, num poſſit Deus guſtari aut olfieri, quum non ſit nec ſapor nec odor, hiſce omnibus omnino expers. Inſipidum quidem; ſed eandem, id ipſum quærere, num percipiendo ſit oculis, dum non eſt color, inſipientiam redolet profecto, atq. exhibet. Tantam nimirum inter quæſitum unum & alterum deprehendere eſt connexionem.

294 Neque nos tamen præterit, adeſſe in Deo, ut quaſvis alias creatas perfectiones, & colorem quoq. & ſaporem ad eminentiam ſublimitatis & infinitatis evectos. Hoc ipſum eſt autem, ne tales ſint, qui terminare quodammodo valeant ſenſus noſtros; dum non eſſe *formaliter* coloratum, quid aliud dixeris, quam nec *formaliter* eſſe Deum viſibilem? [b] dixeris, & eminenter videri poſſe: at hoc quid reddit aliud, quam cognoſci? cognitio enim eminenter eſt viſio. Id quod ex eo maxime palam ſit, quia perfectiſſimus Dominus eminenter etiam eſt oculus; ſed quid proinde? videbit ne forſan ipſe? eminenter palatus & auris; audiet ne guſtabitve? an vero omnia intellectione ſola perficiet ineffabiliter perfectiſſimeque? ſed ſi quid amplius ſibiq. proprium præſtent, malueris, ſenſibilia illa eminenter in Deo repoſita; ultro dabimus, id nempe, ut movere valeant ſenſus noſtros ad coloris ſaporiſque perceptionem, ceterorumque ſimilium, quin quidem ulla horum adſint *formaliter*, & ipſa re. Quemadmodum hoc divina Chriſtus in Euchariſtico Sacramento virtute operatur, dum agit humanos ſenſus, ut panis colorem percipiant ac ſaporem, qui ibi ex dictis non extant. [c]

[a] Epiſt. 6.

[b] *An forte quia emin. eſt color, effigiari, juxta figuram quâ oculis gereres, & quoq. poſſet, ut alia formalit. colorata; quædáq. material. Dei imago, elevatione colorum, & penicil., exarari?*

[c] Supra num. 281.

Digitized by Google

DE TERMINO VISIONIS BEATÆ.

De inæquali perceptione objecti divini.

295 QUo Apoſtolus mortuorum reſurrectionem inſinuaret, nil ſibi aliter prodeſſe ait (*ſecundum hominem loquens*) quæ ipſi bona opera præcepta ſedulo perpetraverat: *Si ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt*; [a] ab ultimis icciirco præmiis vacaturo; atq. omnibus abſorbendis morte, quæ feceram? Quid quoque illi (ad rem præſentem quod attinet) *qui juſtus eſt*, ut *juſtificetur adbuc*, [b] indictum monitum proderit, eundem ſpectanti *hominem*, quem Apoſtolus; dum idem omnibus exitus operibus, & retributio, ſeu multis, ſeu paucis, ſive etiam uni tantum, ac minimo? certe qui eandem ſibi promittit ſegetem ex paucioribus, quæ ſerat grana; niſi inſipiens, plura non ſeminat. Verum timorem hunc parabola ſuſtulit ſua Chriſtus Dominus, [c] ſatum illud myſticum ſemen conſulto referens ac luculenter ad rem hanc noſtram, quod *fructum* aliud *centeſimum*, aliud *ſexageſimum*, aliud *triceſimum* reddidit operantibus.

296 Huc ſe retuliſſe videtur Paullus, qui fideles ad meliora ſemper atque abundantius operandum ex gratiæ viribus ut excitaret, commonuit illos; [d] *qui parce ſeminat*, parce etiam & meſſurum, ac recepturum unumquenque *ſecundum proprium laborem*. [e] Id quod & quoq. Tertullianus ex eo ſibi ſuadet, quod referunt duo alia ſcripturæ loca, ſic habens: [f] *Quomodo multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? quomodo ſtella a ſtella diſtabit in claritate, niſi pro diverſitate radiorum?* id ipſum decreto ſuo firmarunt, ſive apertius fecere Siricius Papa in Concilio Romano adverſus Jovinianum, Florentina item Synodus, [g] ac Tridentina.

297 Nec tamen eſt, de quo doleas, ſi forte pluribus inferior merito, inferiori gloria donaberis: inquietus quidem non eris, nec deſideriis angeris ullis, quam in reliquis videris, adipiſcendi majorem. Perfecte credas ſatiabit te tua, meritorum tuorum capacitati accommoda ſatis, quo ampliorem nec optes, nec velis. Hæſitabis fortaſſe: ſed finge tibi diverſa interim vaſa quæ varie capiant, majora & minora, & omnia ſuis plena aquis: horum quidem inferius parte ſua ſic ſatiatur, ut plus non exigat, & ſi dabitur, reſpuat.

298 Porro hæc aſſerta inæqualitas viſionis, quam & *formalem* vocant, non in alio ſita noſcitur, quam in majori minorique clara de-

obje-

[a] 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 32.

[b] Apoc. cap. 22. verſ. 11.

[c] Matth. cap. 13. verſ. 8.

[d] 2. ad Corinth. cap. 9. verſ. 6.

[e] 1. ad Cor. cap. 3. verſ. 8.

[f] In Scorpiaco cap. 6.

[g] In decret. Unionis.

Digitized by Google

objecto eodem perceptione; *ut alius alio perfectius, Deum Trinum & unum ſicuti eſt*, [a] ſane totum poſſideat, adipiſcatur, intenſiorique actu in illum ſe ferat. Qui fiat, infra oſtendetur: jam tamen nulli erit interim dubium quod fieri poſſit. Atque hoc viſionem intereſt, & ejus carentiam (vocatam damnum) quam quia negativum aliquod, & prorſus indiviſibile, æque omnes damnati ſufferunt: dolent autem de illa dolore diſpari, deque damno inæqualem ſentiunt pœnam, ut quantum ſe glorificaverunt, tantum recipiant tormentum & luctum.

[a] Ex Concil. Flor. in decr. Union.

De errore Joviniani.

299 AD medietatem ſeculi IV. emerſiſſe referunt Acatholicum iſtum *Jovinianum*, Romanum patria, profeſſione primo Religioſum, deinde ſeculo addictum rurſus, temporibus Damaſi & Siricii Papæ. Qui quidem quum virtutes & vitia inter ſeſe æqualia fore ebibiſſet a Stoicis, hanc inter alias evomuit hæreſim, valde noxiam, perfectiori vitæ incumbendi animo quæ remora quædam eſſet, & pigros redderet juſtos: omnes nimirum æquali gloria decorandos in cælis, qui plus, quique minus in terris virtuoſe operati fuerint. Confutavit nebulonem iſtum duobus integris libris coætaneus ipſi Hieronymus; obtinuitque, ut in Concilio Romano ſub Siricio proſcriberetur anno 386. quem, attentis ſcripturis, traditione ac Patribus, hæreſeos criminatus fuerat.

300 Errorem hunc toto inde pectore ſibi ſorbuit Lutherus, errandique cauſſam in eum alius derivavit. Quum enim illo devenerit, ut nullam ineſſe nobis juſtitiam, aut meritum effutiret, ſed ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti Domini; conſequens fuit, ut qui æque pro cunctis mortuus eſt, æquam etiam electis omnibus promeruiſſe gloriam aſſeveraret. Anathemate propterea percellitur in Tridentino.

301 Quæ vero in ſpeciem errori huic videtur vires ſufficere, ea eſt *operariorum parabola*, [b] ſecundum quam inæqualiter laborantibus datus fuit æqualis denarius diurnus. Per hunc autem Hieronymus & Auguſtinus adumbratam putant largiendæ ſolum mercedis durationem, quæ cunctis æterna & æqualis eſt, [c] ipſumque Deum qui totus omnibus & idem datur. Inde licet occultam aliam poſſidendi objectum diſparem rationem, murmurantibus primis, quod eis pares ultimos fecerit, reſerare Dominus vineæ, quo quieſcerent, potuiſſet; vetuit id ſervandus decor perſonæ, ne vili operario facti ſui rationem redderet, docens illum ſatis pro ea eſſe ſuam voluntatem. *Nonne licet mihi quod volo facere?* non ſecus ac de Johanne futuro, ut moreretur, ſciſcitanti Petro quid eſſet? reſpondit Chriſtus; [d] *Sic eum volo manere, quid ad te?*

[b] Matth. cap. 20. per tot.

[c] Serm. 19. de Verb. Domini: oſtenſumq. eſt ſupra nu. 265. quomodo omnibus extenſio gloriæ æqualis eſt, licet aliq. prius, alii poſterius in eam ingred.: nil tamen hic obſtat, dum inæqual. meritor. compenſatur inæqual. intenſ.

[d] Johan. cap. 21. verſ. 22.

Digitized by Google

302 Sed & demus, quod ipſi cuperent, libentiſſimi, victuri haud minus; denarium æqualem illum intentionem videndi omnibus æquam exprimere; ut locum habeat, quod putarent primi, quia ultimis *plus eſſent accepturi*: quaſi quod ſi denarius noviſſimis datus æternitatem (ſupra quam nihil amplius) ſpectaret, ſtulta ea fuiſſet exiſtimatio primorum; nec apte in parabola induceretur. Habeant, quod optant, ad confuſionem adhuc: dum in diverſis illis operariis diverſorum hominum ſingula genera Patres norunt, [a] *Hebræorum* nempe *Chriſtianorumque*. Ut proinde animadvertat *FARDELLA*, quod nunquam ultimi, ſeu Chriſtiani laborent quandoq. minus *ex opere operantis*, quam primi & Hebræi; creſcat tamen illorum meritum ad æqualitatem gloriæ cum iſtis, ob beneplacitum unicum Chriſti Domini, *ex opere operato*, ut ajunt, Sacramentorum.

[a] *Diverſitas operarior. diverſa ſingula illor. genera (quæis æque retribuatur) at nõ diverſos ſingulos generum exprimit.*

De proxima origine prælaudatæ inæqualitatis.

303 CReatam mentem omnes fatemur de ſe omnino imparem eliciendo beatificam viſionem, illudque attingendo objectum divinum, longeque, multoque, ac infinite illi inacceſſum: ut proinde, quum ad tantum munus aſſurgit, illius munus ſit, qui *gratiam dabit & gloriam*. [b] Hæc cauſſa profecto, cur deberet in confeſſo omnibus eſſe, non majorem unquam futuram gloriam, quam gratiam; nullam hac in re intellectuum attentum iri diverſitatem, æqualique gloria perfundendos eos, unum licet alio perſpicaciorem acutioremque, quibus æqualis eſt ipſa gratia luminis & ſpeciei. Lumen etenim iſtud, impellendo ſurſum mentes ad Deum, non ſecus agit, ac divinuſmet ille impetus qui myſtica Ezechielis animalia quatuor exagitabat: hæc nimirum, licet unum alio robuſtius, ac aliud infirmius & minus velox, æque omnia, *ut erat impetus Spiritus, gradiebantur*. [c]

[b] Pſalm. 83. verſ. 12.

[c] Ezech. cap. 1. verſ. 12.

304 Enim vero duobus modis id eveniret, ut inæquales mentes haud diſpari perfuſæ lumine, una vivior quam altera in objectum ſe ferat: aut quod una forſan ultra vires auxilii præſtiti extollat ſeſe, aut altera infra illud ſe teneat, quod impediat tarditate: ad eum ſane modum, quo æquali exiſtente lumine, unus oculus alio clarius rem percipit, quod hujus debilitas non ſinit per illud vividiorem objecti ſpeciem imprimi, vel ad eum quo ſua libertate voluntas hominum minus quandoq. agit ac ſæpius, quam gratia excitet. Sed nonne (ubi primum ſelegeris) aliquam in creato intellectu fingis potentiam vel gradum hujus naturalem, cui ſuopte jure inacceſſibilis attingenda ſit claritas? aut ſane turpiter victum & impeditum ab intellectus craſſitie (ſi forte alterum) ſuper-

Digitized by Google

ſupernum illud invincibile lumen, quod Deus eſt divinuſque ejus impulſus (non ſecus ac impeditur ab imbecillis oculis lux corporea, ne vivius agat) dum nulla ſervandæ ratio libertatis (ut in voluntate viatoris) cedere, & quidem libere, hoc in negotio ſuadeat.

305 Quod vero aliqui effingunt; lumen *ut tria*, quo caſu eveniet, ut intellectum in ſe *ut quatuor* perſpicacem ad Deum impellat; quemadmodum eos omnes quatuor gradus extollit, ſic extollere ac elevare illummet ipſum *ut quatuor*; commentum eſt, ſin minus, vocis æquivocatio. Neque enim aliunde remur vel tale vel tantum eſſe, aut in ſe virium habere lumen quod traditur, niſi ex eo quod tanto elevat. Aut igitur tunc auxilium erit *ut quatuor*, vel *ut tria* ſolummodo elevabit. [a] Præterea ſi data in hypotheſi, *ut quatuor* ageret lumen illud; id ipſum fieret, ſi foret lumen *ut duo*; idque ipſum, ſi quoque *ut unum*. An non tamen iſtud derogare eſſet luminis intenſioni, ut non magis præſtent plures, quam unus gradus?

306 Porro divini luminis impertitio, quum ſimul elevet mentem, quo Deum adeat, imprimatque illum ipſi, ſitque ipſiſſima impreſſa Dei ſpecies; quantum ſe habet ad elevandum, tantum etiam ſe habeat ad imprimendum, neceſſe eſt. Quumque ita res ſit; non alia in uno ac in altero expreſſa ſpecies objecti, ipſius nempe perceptio dabitur; ſi non unum & alterum, quod ipſis ineſt, eſt lumen.

[a] *Quare duo puta diſpares calami ad character. aureos æque elevati, nonniſi equalis valoris aurum exhibebunt, licet non æque elegantes charact.; quod ad illud, nõ ad hos eſt elevatio.*

De eo quod de objecto vident Beati.

307 ADmonente nos divina ipſos ſcriptura, fidei noſtræ reſponſuram in Patria viſionem, dum *ſicut audivimus, ſic videbimus in civitate Dei*; [b] nullus jam dubitabis, quin ingreſſi in gaudium Domini noſtri, ſubſtantiam ejus divinam, & Auguſtiſſimam Triadem ſuis locupletem perfectionibus infinitis, quotquot ſunt omnes, proutque in ſe ſunt, ſummamque ejus gloriam inenarrabilem contemplabimur. Dotabimur etiam ad æqualitatem cum beatiſſimis Angelis (familiaritate, amore ac aſpectu invicem glorificandi) ſcientiis omnibus naturalibus, ut quidquid ſcire humanum intellectum decet, non lateat. Sed neque minus latebunt nos, quæ quoquo modo ſtatum noſtrum concernunt, quod quiſque facile intelligit (ut Senonenſe contra Lutherum [c]) qui *Beatis pervium eſſe* non ignorat *omniforme illud divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, illuceſcat*.

[b] Pſalm. 47. verſ. 8.

[c] In decr. fidei 13.

308 Vident inde Patres familias, Religionum Patriarchæ, Urbium & Regnorum Patroni profectum omnem ſuorum, eorundemq. neceſſitatem præcurrunt, in qua ſubveniant, & præſto ſint: ceteriq.

omnes

Digitized by Google

omnes Advocati fidelium particularium eo ipſo momento temporis auſcultant, quo fiunt, fuſas ipſis a ſuis devotis humillimas preces & deſideria, quæ eo attentius audiunt, quo enixius funduntur. Imminentia item nobis, a queis liberent, pericula quæque norunt, & quæ aliter futura eſſent, ut præcaveant. Quare ſic (ubi oportet) ſecreta quædam cordis divini hoc ſpectantia introſpiciunt: *Spiritus mortuorum*, ait Auguſtinus, [a] *aliqua, quæ hic aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, non ſolum præterita & præſentia, verum etiam futura cognoſcunt*. Ita & Gregorius. [b] An autem hæc videant in Verbo Dei, vel in ſe ipſis; modo videant, parum refert.

309 Integrum interea eſt, non aliter Auguſtinum de ea re ſermonem alibi effudiſſe, ac totam quæ cum nuper dictis aptius conveniat, ejuſdem aliam ſententiam vindicare ſibi explicationem. Neſcire quidem is habet [c] ſpiritus defunctorum *quid hic agatur*; *audire tamen poſtea ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt*: atque Martyrum qui pro nobis orant in cælis, eandem vult habendam eſſe rationem, ac omnium noſtrum, *qui oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel quid agant, ſcimus*. [d] Verum ſi præfati Doctoris invicem textus conferantur, ut fieri oportet, vera ſunt quæ Auguſtinus docet, ſed falſa quæ ex Auguſtino colligunt Novatores, [e] neque eo ſenſu intelligenda, quem cortex verborum oſtentat. Enim vero ſpirituum illorum naturalem cognitionem, ac extra beatitudinem in purgatorio vel alibi (ut in eo, lymboq. Patrum ſcripturæ iſtæ: *Viventes ſciunt ſe morituros, mortui autem nihil noverunt amplius*, [f] & *Abrabam neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos* [g]) eliciendam priora verba recte concernunt. Urget nos, non diffiteor, quæ diu Auguſtinum, Martyrum cauſſa: ſed quem ancipitem [h] primo tenuit laudatis verbis, hunc dubio tandem ſolutum, iis aliis quæ jam præmiſſa ſunt, patefecit. Verum de re hac paullo prolixius quum de invocatione Sanctorum. [i]

310 Neque tamen ex hoc, ceteris alius ad quem plura noſcenda ſpectent, inferior quoad merita, beatior erit; dum & ea ſcire alterum non delectat (ejus enim minime interſunt) & major vera beatitas, ex majori penetratione divinæ eſſentiæ penſatur non extra eam aliorum. *Beatus qui te ſcit*, hac in re Auguſtinus, [k] *etiamſi illa neſcit*; *qui vero te & illa novit non propter illa beatior, ſed tantum propter te beatus*.

a De cura mort. cap. 15.
b Lib. 12. moral. cap. 14.
c Lib. de cura pro mortuis cap. 15.
d Ibid. cap. 16. cōcordat Aut. lib. de Spir. & an. apud Aug. tom. 6. cap. 29. *ibi ſunt ſpirit. defunct. ubi nō vident, neque audiunt, quæ aguntur, aut eveniunt in vita iſta hominibus*.
e Lutheran. & Calvin. de quibus in Trid. de Invoc. Sanct.
f Eccli cap. 9. verſ. 5. cōcordatq. Job. 21. ſive nobiles fuer. filii ejus ſive ignob. nō intelligent.
g Iſai. cap. 63. verſ. 16.
h Præmittit enim cap. 13. *ut volet accipiat quiſque quod dicam*.
i In tract. de Beatitud.
k Lib. 5. Confeſs. cap. 4.

DE INCOMPREHENSIBILITATE DEI.

311 ESto pluries utrunque divina Biblia nos doceant, *inviſibilem*, [l] & *incomprehenſibilem* eſſe Deum *cogitatu* cuivis quidem menti creatæ; ita tamen alibi videri aſſerunt, [m] ut nullibi comprehendi. Ex eo inde fit, ut qui divinitus ad faſtigium videndi aſſurgit, nullo prorſus, divino

l 1. ad Timotheum cap. 1. verſ. 17.
m Jerem. cap. 32. verſ. 19.

Digitized by Google

vino etiam, aſſurget modo ad comprehendendum. Id quod adeo conſtans habent, ut plerique deveniant eo, quo ſancitum illud de fide velint, aut ad fidem accedere. Obque eam cauſſam damnatum referunt *Arnaldum de Villanova*, [a] quoad non minus omnia divino Verbo, quam Verbo etiam unitæ beatiſſimæ Chriſti animæ reſerata auturaret; quaſi ſic illa Deum comprehenderet.

a In directorio Inquiſitorum.

312 Ea tamen comprehenſio haud illa eſt, qua firmiſſime, qui tenet, poſſidet; ut & Beati omnes *comprehenſores* dicuntur; ſed ea ſolummodo clara & diſtincta, quam nihil objecti fugiat, receſſus omnes, ac latebras undequaque cognitio penetrans, & introſpiciens, ut nihil, qui ſic aſpicit, intuendum, ſeu diſtinguendum reſtet. *Comprehendi*, ait Auguſtinus, [b] *eſt ita videri, ut nihil lateat videntem.* Quod & alibi [c] quocunque fultas auxilio creatas vires tranſcendere teſtatum habuit apertius: *Attingere aliquantum mente Deum magna beatitudo eſt, comprehendere autem omnino impoſſibile.*

b Epiſtola ad Paullinã 147. cap. 9.

c Serm. 117. de verb. Domin. cap. 3.

313 Quanquam igitur totum Deum omnes videant, nullus autem comprehendit; quia non totaliter videt, ut clare omnia diſtinguat: infinitus etenim eſt. Profecto expoſitam tibi ſub oculos, totam picturam aſpicis, totamque illam ad te ſua objectiva operatione tranſlatam poſſides ac tenes; ſed quid? ad omnes ejus attendere ſimul poteris, & reſpicere minutiſſimas particulas, propter imbecillitatem quam ſubes, tuæ viſionis, ac multiplicitatem earundem? picturam ex eo totam vides, ſed non comprehendis. Ex inde clarum fit, qui eveniat, ut unus alio clarius intueantur Deum feliciſſimi Spiritus; quippe qui unus præ alio ad diſcernendum divinas inter ſeſe perfectiones accedit proprius, ſeu trahitur.

314 Hac ratione a ſuperiori Angelo comprehenſum forte non dixeris inferiorem, quod hujus ſecreta cordis illi non pateant, nec infinitæ per totam æternitatem effundendæ cognitiones, ictu uno illuceſcant, ut deprehendantur. Sed conceptum hoc dubium extemplo excuteris, ubi advertis, & cognitiones ſingulas ejuſdem omnes eſſe ſpeciei, quo in una cunctæ proſpiciantur, & comprehenſioni ſat eſſe, ſi quotquot in inferiori Angelo naturalia ſunt prædicata, [d] hæc ſuperioris aciem non effugiant, ejuſque obtutibus non occulantur.

d *Quæ nimirum naturam ejus conſtituũt.*

DE

DE SAPIENTIA DEI.

DE LATITUDINE SAPIENTIÆ DIVINÆ.

315 SUpremum illud Univerſi hujus tenentem gubernium, quo ſuo videlicet quæque ordine moderatur, aptiſque mediis ad præſcriptum ſingulis naturæ ſcopum conducit, quid aliud dixeris, quam ſapientiſſimum? Quod quidem omni ſemper ætate in confeſſo adeo fuit apud omnes quos natura ipſamet ſola inſtruxit, ut ejuſce inveſtigatores Philoſophi, ab intelligendo, Dei nomen [a] Numini imponerent ac derivarent. Neque enim eſt, unde poſſit quidquam latere illum, ipſiuſque aciem effugere, qui ab objectis creatis ſpeciem non ſumit ullam, nec dependet; quatenus ipſe eſt cujuslibet intelligibilis cognitio *actualis* per eſſentiam omnino ſua. Sive ergo quid factum fuit, ſeu faciendum eſt, ſeu ſola, ut fiant, poſſibilitate pollet; *omnia hæc nuda ſunt, & aperta oculis ejus*, [b] nihilque eſt inviſibile coram ipſo. Novit inde quæcunque mala, ſeu illa naturæ fuerint, qui *monſtra ſcit antequam fiant*; [c] ſeu pœnæ, *dum non eſt malum, quod non fecerit Dominus*; [d] ſeu tandem culpæ, *a quo delicta noſtra non ſunt abſcondita*. [e] Atque adeo percurrit ſingula, ut *individuales* quorumlibet differentias, & utcunque minutiſſimas operum circumſtantias infinita ſua *intellectivitate* perluſtret.

316 Timeres fortaſſis, ne ob hoc vulgares fierent, quæ de infinito creato adductæ, pluris etiam apud fautores habentur, quam maximæ difficultates. Timor hic ex te naſcitur, nec alibi, quam in tua ſolummodo apprehenſione falſaque idea, *categorematicam*, ut ajunt, infinitatem induunt, quatenus objecta Deo, poſſibilia cuncta quæ ſunt. *Simultas* nimirum illa qua intellectus divinus percurrit ſingula, & circumſpicit, *ſimultas* actus eſt, non objecti. Quidni? ex quo ille ſimul cognoſcit aërem lucidum & tenebricoſum, objicietur ne illi forſan tenebricoſus ſimul & lucidus? Nempe divina omnium indiviſibilis viſio ac tota ſimul, uti in ſe ſunt, & non aliter ſibi præſentat cognoſcibilia omnia, cum ea quam in ſe habent, exiſtendi *ſucceſſivitate*. Finge tibi ſpeculum in cujus indiviſibili (profunditatem verſus) ſuperficie repre-

a Nempe a verbo Video: *& Dionyſ. Areopag. ab eo quod* proſpiciat cuncta, *derivat ex grecis nomen Dei.*
b ad Hebreos cap. 4. verſ. 13.
c Sapient. cap. 8. verſ. 8.
d Amos cap. 3. verſ. 6.
e Pſalm. 68. verſ. 6.

Digitized by Google

repræſentantur plura, unum retro aliud, inter ſe diſſita objecta: profecto planities ſpeculi ſeu ſuperficies quæ non habet ante & poſterius, hæc quæ objecta habent, non tollit, ſed exprimit: ſic erit in divina cognitione.

De errore Averrois.

317 ARabem natione referunt Autorem iſtum, in Hiſpania natum, tempore vaſtationis Maurorum, ad initium ſeculi XII, anno cujus ſeptuageſimo primo ex una in aliam mortem prolapſus eſt: inſignem quoque fuiſſe Medicum, & Ariſtotelis Philoſophiæ celebrem commentatorem, ſed non ſincerum; qui, quibus illa ſcatebat, errores novos addidit ſuos, & inſeruit. Cui porro ut ſe opponerent (quod Chriſtianis inſinuaretur doctrina illa) antiquorum Patrum Conciliorumque a Fabiani tempore inhærentes veſtigiis, eam igni in Concilio medio damnarunt Galliarum Epiſcopi anno 25.& 31. ſeculi XIII. illiuſque ſtudium cenſuris interdixere; quod & firmarunt Innocentius Papa III, [a] & Gregorius IX. [b] Quia tamen ea,malitia plurium,adhuc ſerperet ob æmulationem diſcipulorum Averrois; nec huic valeret facile occurri malo;purgata tandem per *Alexandrum de Ales*, *Albertum Magnum*, *& Doctorem Angelicum*, obtinuit primum in Eccleſiam aditum liberum, ut Averrois calumniæ in fidem noſtram ex Philoſophia productæ confutarentur. [c] Una erat, [d] quæ præſentem rem tangit, ſeu ſpectat: ſcientiam divinam ad quaslibet creaturas commentum eſſe, quin minus Numen decere, quippe quod ex aſpectu ſordidiſſimarum rerum vileſceret. Eamque ob cauſſam excurſum ad omnem locum, de Deo blaſphemum & puerile figmentum alibi dixit.

318 Sed quod riſu nos modo excipimus confutandum delirium, pondus ipſi non addit ullum S. Hieronymus, *abſurdum eſt*, inquiens, [e] *ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quot moriantur.* Quandoquidem non de ſcientia cognitioneque mera iſte locus intelligendus eſt, ſed de peculiari illa, quæ *Providentia* dicitur: ut ſenſus ſit, non æquali rationalibus & irrationalibus creaturis ſolicitudine Deum providere: non ſecus ac Apoſtoli locum alium interpretamur: [f] *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* ſuadetque hanc ipſi datam explicationem idem Hieronymus ex iis quos ante poſtve ſcripſit, contextibus.

a & b Innocẽtianę et Gregor. hujus meminit THOMASIUS *tom. 1. Th. PP. in ipſo pene princip.*

c Plures de hac re, & ſpecial. Gimma, et Launoyus de var. fort. Phil. Ariſt. ad Inn. XI, adductis monum. Refert etiã Chriſt. Lupus maledictũ a S. Franc. quẽdã Relig., quod Phil. Ariſt. ſe addixerat. tom. 6. in Conc. 7. Rom. fol. 261. Sanctus quoq. Vinc. Ferrerius admonuit, Ariſtotelem, et Averroem tanq. phialas irę Dei ab hoc miſſos, quæ ut immerſæ ſunt in aquã ſapientiæ, ſubito hæc facta eſt amara velut abſynthiũ.

d Ex libr. magnorũ moral. Ariſtot. excerpta.

e In Cõment. ad cap. 1. Habac.

f 1. ad Cor. cap. 9. verſ. 9.

De multiplici acceptione Scientiæ divinæ.

319 OMnia ſcientia ſua Deus comprehendens, quæ diverſas notiones habent ab invicem, totiuſque intelligibilis objecti, diverſitate hac, ſpeciem partiuntur, illam ipſam dividi in plures ſinit (ut jam in ſchola uſus obtinuit) prout varia ſunt ejus munia, licet in ſe unicam & ſimpliciſſimam. Et ea primum diviſio eſſe poterit, ut alia ſit ſcientia *ſimplicis intelligentiæ* ſeu naturalis & neceſſaria, & alia *viſionis* ſeu libera & contingens. Id nominis hæc nacta eſt, quod plus quam illa quæ nudas rerum eſſentias contemplatur, adeoque ſimplex ſeu mera dicitur intelligentia, exiſtentes res ultra ſpectat: ducta ſimilitudine ab actu videndi noſtro corporeo qui circa objectum ſuum verſatur *intuitive*, prout illud eſt in ſe ipſo exiſtens ac præſens.

320 Quumque tamen bimembris hæc ſimplex data diviſio, tota quanta ſunt, a Deo cognita objecta complectatur, nec ampliorem ſacra unquam vetuſtas exquiſierit; viſum eſt aliquibus non infimi ſubſellii Neotericis, aliud prædictis membrum introductum iri, quod illa intermediet. Quod ut magis intelligas, adverte, duo eſſe diſtinguenda genera rerum contingentium: aliquæ nempe *abſolute* erunt, ut Anti-Chriſtus; aliæ non erunt, ſed eſſent ſub aliqua *conditione*, ut pœnitentia Tyriorum viſis miraculis Chriſti Domini. Dum autem (ſic habent) alterius generis contingentium cognitio de utraque illa ſcientia participat; ac de prima, quod in objectum ſe ferat ante divinum de eo abſolutum decretum, deque ſecunda, quod nonniſi poſt *conditionatam* Dei voluntatis determinationem attingat illud: ſitque inſuper objectum cognitum, plus quam ſimplex poſſibile, minus quam abſolute exititurum; ac ea propter in ſtatu aliquo medio; profecto inter illas media eſt ea ipſius cognitio, ac eatenus ſcientiæ *mediæ* vocabulo inſignienda.

321 Novitium [a] iſtud ſcientiæ genus, ejuſque nomenclatura qua *media* dicitur, primo in ſcholis invecta ſunt a Petro Fonſeca Societatis Jeſu, in ſuis MSS. anno 1566. [b] quæ, mox publici juris facta, in propria ſibi adoptavit diſcipulus ejus Ludovicus *Molina* in ſua *Concordia*, [c] quæ tot diſcordiarum fuit origo; proindeq. hujuſce opinionis communiter velut Autor fuit habitus, Sectatoreſq. doctrinæ hujus *Moliniſtæ* dicti. [d] Magna inde ac celebris orta eſt controverſia, quia Magiſter *Bañez* Dominicanus, id ut reſcivit, arcerſſiri fecit apud fidei Quæſitores Hiſpaniarum Molinam prædictum, librumq. ejus interdici, quod pro comperto haberet, ad *Pelagianos* hæreticos ſententia huncce ſua defle-

[a] Dum licet Arianis olim & aliis ſolenni fuiſſe uſui demonſtraverit Did. Alvarez, ac noviſſ. prodat Card. Gotti; PP. tamen prçcipueq. Auguſtino, ceteriſq. Catholic. prorſus incognitum fatentur iidem Fonſeca & Molina loc. infr. cit.

[b] In Metaphyſica lib. 6. cap. 2. q. 14.

[c] Nimirũ *Concordiæ liberi arbitrii cũ gratiæ donis part.* 1. *q.* 14. *art.* 13.

[d] Ita inter alios paſſim apud Graveſonum.

Digitized by Google

deflexiſſe. At poſtmodum advocata cauſſa Romam, habitiſque per annos quinque coram Pontificibus Clemente VIII. & Paullo V. quadraginta ſeptem diſputationibus, quas valde aliter referunt Dominicani & Jeſuitæ, eo tandem deventum eſt, ut impune, quoad novum ſanctæ Sedis judicium accederet, [a] differenda hæc ſententia permitteretur.

[a] Rem hanc noviter exhibet Hyacinth. Serry in hiſt. de Auxil.

322 Secunda Scientiæ divinæ partitio quam vulgo tradunt, ea eſt in ſcientiam *approbationis*, & *ſimplicis* ſolius *notitiæ*. Quam niſi intelligas de ſcientiis illis bonorum operum quæ probat Deus, deque malorum quæ tantum novit; alium tibi non ſuppeditat intellectum, quam quidem ut eas complectatur, quæ cauſſant res, aut non cauſſant. Pluries nempe in ſacris Bibliis docemur, *factos cælos in intellectu*, [b] atque univerſim quæcunque Deus fecit, patrata omnia per ſuam ſcientiam; quænam vero ex antea recenſitis ea ſit, non docemur: Scientiam tamen *intelligentiæ* ſpectare videtur, exemplo artificis qui viſione approbat factum opus, quod faciendum probavit, cauſſavitque dirigente cognitione. Dirigitur ſane Deus per *intelligentiæ* ſcientiam quoad operis *factibilitatem*, & modum ejus faciendi; dumque approbat, ut fiat; recte cauſſat, quod omnipotentiam per illam dirigat. *Non aliter ſunt creaturæ*, ait Auguſtinus, [c] *niſi quod* (ſic) *videntur a Deo*.

[b] Pſalm. 135. verſ. 5.

[c] Lib. Cõfeſs. 13. cap. 38.

De modo cognoſcendorum poſſibilium.

323 Quum Deus ſe comprehendat, ſitque ſuimet ſua comprehenſio perfectiſſima; neceſſe eſt, ut hoc ipſo videat, ex eſſentia ſua poſſe plures perfectionum *ad extra* communicari ſecundum alios atque alios cujuſque gradus; non quaſi evellendas forte ac præcidendas ab ejuſmet indiviſibili ſubſtantia omnino ſimplici; ſed quod ad inſtar cujuslibet diviſim perfectionis ejus, ad gradum aliquem determinatum, & certam quandam menſuram accipiendæ, poſſit alia effingi, & creari extra ſe. Quod ubi exponimus, id ipſum damus ob oculos, quid ſibi illud velit, eſſe ens *per participationem*, ut vulgo dicitur; ex quo equidem oritur tota ejuſmodi entis poſſibilitas. Quumque etiam ſpecifica rei cujuſque differentia nonniſi ex modo & menſura ſumenda veniat, quibus divinæ eſſentiæ perfectio *participabilis* noſcitur a creaturis; jam non erit ambiguum, quominus id in ſe Deus comprehendens, diſtincte hoc ipſo intelligat res omnes poſſibiles, ſecundum proprias uniuſcujuslibet differentias.

324 Dum autem Metaphyſici duos in ente poſſibili agnoſcunt ſtatus, & *logicum* aut *fundamentalem*, ſeu prædicatorum ſuorum non re-

pugnantiam, & alium *phyſicum* ſeu *formalem*, illiuſmet nimirum *facti-bilitatem* : inde fit, ut tota quanta perfecta viſio poſſibilium ad duo ſe ferat, & ad eſſentiam divinam, ex parte cujus videatur *fundamentalis* communicatio perfectionum, & ad divinam omnipotentiam, cui videatur ſuppetere activa vis ad eam *communicabilitatem* reducendam in actum. *Creatura in Deo*, inquit Anſelmus, [a] *eſt ipſa creatrix eſſentia* : ut proinde his duobus ex parte ipſius non intellectis, impoſſibile ſit, ut alia a ſe Deus intelligat & comprehendat : atque ubi duo illa videt, jam nihil ſupereſt, ut quemadmodum in ſe eſt, poſſibile omne intueatur.

a Monolog. cap. 34.

DE NOTITIA LIBERE CONTINGENTIUM.

325 *QUot Deus fecit Prophetas, tot habet præſcientiæ ſuæ teſtes*, inquiebat Tertullianus : [b] veros utique Prophetas, non falſiloquos, aut temere divinantes. Quod quidem teſtimonium ineluctabile in ſua quam de Deo præbet, idea rationem humanam fulcit. Nimirum ſi nihil actu futurum eſt, ſeu neceſſarium ſeu liberum, quin Deus æterno decreto ſuo fore, ut fiat, ſibi placeat, æternaque providentia longe antea diſponat quæque ; quid prohibet, ſeu quid non cogit, quo ſuæ voluntatis determinationes ſingulas comprehendens, ſimul etiam, & hoc ipſo, quæ ſequuntur omnia, non attingat ipſe futura? Unumquodque nempe quod fiet, in ſe quidem indifferens, ſed in Deo prorſus determinatum, acutiſſimam intellectus divini aciem non effugiet, ac ſemper ei præſentatur ; *novitque omnia, antequam fiant*. [c]

b Lib. 2. cõtr. Marc. cap. 5.

c Daniel. cap. 13. ver. 42.

326 Quoniam autem futura iſta quæ Deus contemplatur & contuetur, coram ſe habet, æternitate ſibi præſentia ; ut eorum, quæ ſunt, notitia, non præſcientia, ſed ſcientia dicitur, ita & futura præſciri a Deo nonnulli Patrum inficiantur ; atque altius de illo ſentiunt, ubi minus religioſe viderentur locuti. Quam quidem de Patribus turpiſſimam ſuſpicionem, ne cui veniat in mentem, exemplo ſuo removet Auguſtinus : *Non ſunt ei futuræ res*, inquiens, [d] *ſed præſentes, ac per hoc non præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt*.

d Lib. 2. quæſtionũ ad Simplicium.

De errore Ciceronis & aliorum.

327 NOtiſſimum hunc Eloquentiæ Romanæ Principem a vera Numinis pietate alienum faciunt & incuſant, quæ de *divinatione* prodidit exarata opera quædam; quippe quod omniſcium nec credidit, ſed præterea inficiatus eſt. Fortuitorum nempe quæ ſunt futura, ſcientiam ademit Deo, ſuoque omnia incerto cuique caſu fluitura eſſe autumavit: *Ne in Deum quidem cadere, videtur* (habuit [a]) *ut ſciat, quid caſu & fortuito futurum ſit*. In hoc etiam olim fuiſſe errore Ariſtotelem cum aliis pluribus, omnium ferme conſenſu probatum foret, ni aliquot, Magiſtri potius quam veritatis amore acti, Sectatores doctrinæ ejus excuſatum illum deveniſſent.

[a] Lib. 2.

328 Sed quæ Ethnicos movere potuit pleniſſima humanarum operationum *contingentia* & libertas, ut Deo præſcientiam ademerent, non leve nobis faceſſit negotium, ubi hancce cum illa toto fœdere conciliare cogimur. Videtur nempe alterutrum ſequi ex duobus, utrorunque quodvis non ſine animi perverſitate admitteretur: aut ſuam *infallibilitatem* ſcientia divina exuat, ſi *contingenter* futura ita evenient, ut aliter poſſint contingere; aut hæc neceſſitatem induant, ſi certius præſciuntur, ut fallere nequiverint.

329 Verum re perpenſius conſiderata, nec Deum noveris errori obnoxium, ubi ſi aliter accidere res unquam poteſt, poterat & ipſe ſcientiam habere aliam, quam & haberet modo, ſi quemadmodum futurus eſt, puta, amor, eſſet futurum odium; nec ullam creatis actibus ademtam indifferentiam, invectamque fatalem neceſſitudinem; dum *non eſt cauſſa ejus, quod futurum eſt, prænotio*; *ſed quod futurum eſt, cauſſa eſt prænotionis*, inquiebat egregie Juſtinus Martyr. [b] Ac profecto Dei præſcientia nihilo magis ad liberam ſe refert hominum voluntatem, quam præſentium notitia: ſic proinde, ut ſicut nonniſi quiſpiam ſtultiſſimus viſione cogi res viſas dixerit, quo ſint; ita prænotione neceſſitari futura, dementia impelleret, ut quis ſic diceret; eoque ſtultius, quo verius deprehenderit, quæ nobis futuræ ſunt res omnes, vere Deo ſemper eſſe præſentes, & quidem ſponte æque factas, uti fient.

[b] Quæſt. 58.

330 Non eſt autem, ut omnem omnino prorſus prævifis rebus abjudicemus neceſſitudinem, etiam illam *conditionalem* & *conſequentem* appellitatam. Eam cum Auguſtino [c] noverunt Patres qui Tullium perſtrinxerunt, quotque omnes rectius philoſophantur. Sed non eſt id quod cauſſam impetit noſtram, nobiſque adverſantes juvat. Nimi-

[c] Lib. 5. de Civitate Dei cap. 9.

Digitized by Google

mirum, *neceſſum eſt evenire, dum quidquam evenit*, ampliorem intellectum non patitur, quam, *neceſſum eſt eſſe, dum eſt*. Et porro adſcribenda laudata neceſſitas, qui cauſſa erit, ut fiat: homini ſcilicet poteſtate utenti, cui, ſi facit aliquid, imputabitur.

De modo cognoſcendorum contingentium.

331 DOminator Dominus quanquam a ſua non excideret libertate, ſi non ex ſe, ſed ad hominis plene libitum cum ipſo ageret actus ejus, poſtquam eam tam illi amplam tradidiſſet arbitrii poteſtatem; ſuo ſe tamen exueret, quo ſpoliari nequit, ampliſſimo dominatu. Quid autem ſæpius, quid accuratius nos Patres, nos ſacræ paginæ admonent, quam Deum ſolum ipſum corda hominum emollire, indurare, obcæcare; nihilque niſi in ſua duntaxat prædeſtinatione futurum? Ex eo inde fit palam, ut in ſuo cuncta decreto apprime primumque noverit, quæ diverſa ordinum ſerie, temporumque eventura ſunt.

332 Sed quoad modum quo id faciat, illæſa hominum libertate (quod celebris a tot annis controverſiæ motivum eſt) putant Sectatores Divi Thomæ, arbitrium humanum præventum eſſe decreto Dei, ut *primi liberi*, quo per Moderniores [a] applicatur illud ad actus ſingulos, dum in tempore qualitatem aliquam, *prædeterminationem phyſicam* dictam, vi illius ſuſcipit *tractivam* actuum. Suis tamen auſis excidunt (ut videtur) dum non feliciter, quemadmodum optatum foret, humani arbitrii poteſtatem tuendo ſunt. Ecquis enim (præjudicio quovis ſepoſito) ſuopte potitam jure autumaverit voluntatem, cui habere non ſit in manu applicationem prædictam, connexam *eſſentialiter* cum actu, & ineluctabiliter, locoque illius aliam exerere oppoſitam, vel ſuſcipere; ſed quam veluti navim aliquam deprehenderis, quo urget ventus, movendam? Tibi ne forte in poteſtate eſſet ſtupam comburere, cui ignem approximare non erit liberum; & applicare coactus, dicereris poſſe eam non comburere, ſi tuū non eſt, alio manum divertere?

333 Colluſio verborum eſt, *infallibiliter*, non neceſſario eventuros, quicunque ita prædeſtinantur ac decernuntur, humanos liberos actus & operationes, eorumque oppoſitum & ſi quidem non fiet, fieri tamen poſſe. Quandoquidem *infallibilitas* illa ex parte intellectus quum ſeſe teneat (qua nimirum clare cognoſcat fore, ut talis actus contingat, quin in hoc falli poſſit) jam neutiquam ſine aliquo id præſtabit prævio fundamento; ſola nempe decreti cum actu neceſſaria connexione: [b] quid enim aliter *infallibilitatem* judicii illam fundabit, dixeris?

[a] Penes Godoy.

[b] *Multoque magis quod ſe habens dicta prędeterminat. ad modum applicationis actus primi ad ſecund. neceſſario hunc petit ea ratione qua modus neceſſ. connectitur cum re cujus eſt.*

Digitized by Google

xeris? Sed & duo interim nota, & hujuſce ſententiæ fautores debere quam *infallibiliter*, dicere rectius *infallanter* (dum ſi utranque vocem perpendis, plane iſta exhibet, non diverſimode rem ſe habituram, illa autem, nunquam futurum, ut haberi aliter poſſit: quod modo ipſi non docent) & minus recte divinum ab illis dominium ſupra creaturas omnes expoſitum, ubi velint, ab eo prædeterminatas ad unum, poſſe ſimpliciter oppoſitum ejus operari: hujuſmodi profecto in ſcripturis denegatam eis novimus poteſtatem (quod nos de neceſſitate conſequenti ad plenam creatam libertatem infra explicamus [a]) ajunt enim: [b] *Ut in errorem inducantur, SI FIERI POTEST, etiam electi*: & [c] *Voluntati ejus QUIS RESISTIT?* atque alibi ſimiliter: omnia nimirum ineluctabiliter eventura monent, quæcunque ut eveniant voluntas Dei definierit.

[a] Quum de ſentent. FARDELLÆ.
[b] Matth. cap. 24. verſ. 24.
[c] Ad Rom. cap. 9. verſ. 19.

334 Minus autem hoc eſſet malum, ſi dum libertatem creatam impetit, ut videtur, injurium quoq. non foret decretum hocce Dei ſanctitati. Applicantur etiam, oportet, homines ad phyſicam ſaltem, ſeu *materialem*, ut ajunt, *entitatem* actus peccaminoſi. An non inde imputanda eſſet Deo tota actus malitia; quem profecto criminarentur, ſi minus ageret; ſuaderet nempe, verboque tenus, duntaxat peccati phyſicam *entitatem*? Et ſane ubi malitia *eſſentialiter* ineſt actui, jam qui plene ac ex ſeſe intendit unum, aliud intendat neceſſum eſt. Eamque ob rem nil habet virium *claudicantis* exemplum, cujus defectivus motus, quanquam ab anima ſimul & crure fiat, non impellenti animæ, ſed tibiæ vitioſæ adnotatur defectus. Verum eſt: ſed quia vitium ſupponit anima in crure, non cauſſat. Voluntas autem, quam quidem ante concipiunt ad bonum malumque indifferentem, utrique accommodam, vitiatur nonniſi per actum turpem, ad quem, ut ajunt, a Deo tota eſt præmotio. Quid porro dicerent, ſi rectis tibiis imperaret anima tortuoſos motus & greſſus, eoſque ſimul ea cum ipſis ageret? profecto animæ imputarent defectum, neutiquam gentium, reſiſtere neſciis cruribus. Verum quum libertatem quam impetere videtur hæc ſententia, hujus fautores tueantur, & adeo mirabile velint decretum ſuum, ut libertatem quin inceſſat, foveat potius; longe a Calvino, & Janſenio diſtant, illorumq. blaſphemos cenſuris carpſit Benedictus XIII. [d]

[d] In Bulla qua PP. Dominic. ampla largitur privileg.

335 Aliam incedunt viam Moderniores Johannis Scoti diſcipuli, quam ſtravit illis elapſo ſeculo Joſeph Neapolis Drepanitanus; [e] ac voluit prælaudatum decretum *comitari* humanas deliberationes, non anteire; Deumque ſuis erga nos æternis determinationibus ſeſe habere, ut adamuſſim coincidat in eos actus, quos unaquæque noſtrum voluntas volitura eſt ſuo tempore. Id quod ne cæco modo contingat, & caſu ſolum, voluntates ipſaſmet noſtras in Deo eminenter collocat,

[e] Apud Maſtrium hic.

queis

Digitized by Google

queis noſtra velit. Abuti tamen, niſi me fallo, vulgatiſſimo Philoſophorum axiomate hicce Autor videtur; & ubi, *quæ nobis* inſunt perfectiones, *in eo eminenter* reperiri volunt; aliter intelligit, quam intelligentia eſſe debeat. Nimirum eo nullus devenit, ut haſce numero noſtras quas habemus, perfectiones quodammodo Deo inſereret & affingeret. Quo fit, hunc eſſe axiomatis intellectum ſincerum; ut perfectiſſimus ille unus ac ſimplex eo, jure optimo, perfectionum genere emineat, quibus creaturæ ſparſim excellere dignoſcuntur: hac tamen potiſſimum intelligentia, ut quas juxta propriam cujuſque notionem non patitur, habeat eminenter. Quid inde velit, neſcio, eminenter Deum continere perfectionem creatæ voluntatis, dum voluntatem habet *formaliter* & propriiſſime; quæ quoque quum ſua ſit, non noſtra; quid juvat, quæſo, hac in re quidve præſtat?

336 Ut ut autem de hoc ſit; nec puncta tollit, & ſi quod tollit, non jure: eum nempe haud perſtringit creati *coloris* in Deo *eminentia*, ut hic propterea ad illius inſtar ſit viſibilis corporaliter; ſed quo inde momento laudata nos continentia perſtringet, ut coincidurum Deum ad volendum id quod creatura volet, dicamus? Nos autem non latet, nec raro accidit, ut quis velit in alio, quod hicce vult; eamque dixeris *coincidentiæ* perfectionem Deo non negandam. Sed hoc niſi ex quadam connexione veniat, aut inveſtigatione alterius voluntatis, a ſimilibus conjecturando, caſuale prorſus natura ſua eſt & fortuitum; ſemper tamen errandi periculo obnoxium. Videſis inde, ſi tibi cor ſuppetit, ut nulla noſtræ voluntatis habita inveſtigatione, & connexione nulla, decernat Deus velis quæ noſtra ſunt, atque libera; æterna & divina illa decreta expoſiturus caſui, & fortunæ? [a]

337 Sed & alii plures qui, ob invectam ſcientiam Dei *Mediam*, Mediſtarum nomen fuere nacti, autumaverunt, prælaudatum decretum omnino ſubſequi exactam notitiam, & explorationem contingentium *conditionatorum*, ut poſtquam quid ſub illis aut aliis circumſtantiis voliturus quiſque eſſet, ſcientia divina prævideri, hoc aut illud abſolute faciendum prædeſtinatio decernat. Sed totam ea *conditionatorum* præſenſio difficultatem abſorbet pene inſolubilem. Nimirum Deum ſic faciunt explorantem *volitionem* noſtram, quæ foret; ſeu taliter iſta futura eſſet, quod, exhibito humano cordi auxilio illius *verſatili*, utrique parti oppoſitionis accommodo, ut primum Deus videt, voluntatem noſtram amorem velle, ad ipſum cum ea concurreret. Id quod ſciſcitandi locum pandit, & anſam urget: ſit ne illa amoris *volitio* quam Dei concurſus ſubſequitur, actus ipſe volendi voluntatis, & ipſe amor? & quidem non; quum ſine prævio concurſu Dei jam non eſſet. Sit ne quicquam amandi actum præveniens, ac præexigens, qui amor non eſt? atq. de hoc (quod nobiſcum rectius admitterent) aliuſmodi eſt ea eorum opinio.

[a] Ceret. quum utranque Deus cōtineat volit. ac nolit. non eſt cur volēdo potius coincidat, quam nolendo: niſi quia potius voliturus eſt homo, quam non; & ſic vel ex poſtfacto cognoſc. Deus, vel hic ideo velict, quia & creat. vell., & ſic foret decret. conſeq., ſaltem ſecundū ſubſiſt. conſeq.

De

De ſententia FARDELLÆ.

338 QUæ duo maxime videntur invicem pugnare, altiſſimum Dei *dominium* & integerrimum voluntatis *arbitrium*, nullus ſane modus conciliabit feliciter faciliterque, ni quem mox exhibebimus; nec eo invenire erit rectiorem alium in re philoſophica aut veriorem. Quibus non defeciſſe deprehendemur promiſſis, ampullaſque projeciſſe, ubi nunquam a voluntate fatebimur futurum actum, quem non Deus prædefiniat, nullumque prædefinire quem prædefiniendum voluntas noſtra non exigat. Congruunt huic doctrinæ ſcripturæ illæ, in quibus Deus perhibetur *fortiter, ſuaviterque diſponens omnia*: [a] decreto enim ſuo a quo invictiſſime actus quiſque noſter trahitur, eique neceſſario adnectitur, *fortiter diſponit*: quia vero juxta blandam inclinationem ac liberam voluntatis *exigentiam* decernit; [b] haud dubie *ſuaviter* ipſum *diſponere* innoteſcit. Atque huc ſi collineare quidem dixeris ea alia ſcripturæ loca per quæ *Deum prævenimus*, [c] atque *nos* ipſe *expectat*, [d] non receſſiſti, credas, a vero.

339 Videbitur forraſſe nova & commentitia prælaudata *exigentia*, quæ ceteroquin digna eſt votis omnium, omniumque quæ tollat puncta. Nil enim in Philoſophia ſolennius, quam Deum ut autorem naturæ ſecundum *exigentias* cauſſarum ſecundarum ad operationes earundem concurrere; quumque autem non magis naturæ ſit autor *relate* ad neceſſarias cauſſas quam liberas, non magis illæ quam iſtæ ſuas habent queis ſe accommodet, *exigentias*. Sed nedum ſi has tollis, autorem naturæ tollis, verum etiam contra ipſam operari Deum poſſe inficiaberis. Nullam ſane violentiam inferre poſſet voluntatibus noſtris creatis quoad *carentiam* quidem earundem actuum, ſi nullam velis in illis præfatorum actuum *exigentiam*. Mittimus adſignandam eſſe rationem, cur potius a voluntate amor exeat quam odium: & ubi nullam invenies præter voluntatem eandem ipſam; ſat intelligis, quod hujuſce prælationis ſtet pro ratione voluntas; quia videlicet ita exigit.

[a] Sap. cap. 8. verſ. 1.

[b] *Hujuſmodi inclinatio voluntatis, ejuſq. exigentia duplicẽ illius libertatẽ exprimũt, & a* coactione, *& a* neceſſitate: *juxta quas divina definitio* ſubſequitur *invictiſſime ac neceſſario trahens actũ noſtrum.*

[c] Pſalm. 87. verſ. 14.

[d] Iſai. cap. 30. verſ. 18.

340 Ceterum velint, nolint, tenentur omnes id nobiſcum fateri, noſtræque tandem *exigentiæ* dictæ ſubſcribere. *Thomiſtæ* nanque opinantur, creatum arbitrium in genere *cauſſæ materialis* anteire decreta Dei, quæ illud in genere *cauſſæ activæ* præcedunt. Explicant: cogit *ventus* feneſtram adaperiri; aperitur feneſtra, intrat ventus: apertio eſt cauſſa materialis ingreſſus, quia hunc in ſe recipit; ingreſſus cauſſa efficiens apertionis, quia hic eam operatur. Ita & velle humanum cauſſa eſt materialis, quod ejuſmodi præcedat decretum ut niſi cum eo voluntas co-operaretur, minime poneretur; decretum autem cauſſa activa humanæ *volitionis*, quod eam antecedat, quam ex ſe eſt moturum. Sed

quid quæſo eſt, quod Dei decreto præmittunt ut cauſſam materialem? actus-ne formalis & effectivus, an vero *interpretativus* & *virtualis*? ubi vero primum, prout debent, excludunt; in *exigentiam* ecce noſtram rectiſſimo iidem tramite collineant.

341 *Mediſtæ* docent, fore ut Deus in his aut illis circumſtantiis amorem quam odium potius produceret cum noſtra voluntate creata, cui ſuam potentiam omnino exhibuit *verſatilem*, eo quod libere prius hunc ipſa vult. Quumq. autem non poſſit antea voluntas velle quam Deus operetur (nam nonniſi operante Deo velle poteſt) reſponſum habent, quodammodo *moraliter* evenire; nimirum prius eſſe *moraliter* velle hominis, quam velle Dei, qui nonniſi quod ille vult, operatur. Similiter & dicunt *Scotiſtæ* concomitantes; utrique in eo nobis faventes, ut qui operationem divinam & actus noſtros præcedat, volunt, morale quoddam, quod amor non ſit, a voluntate indiſtinctum, & *virtualis* ac *interpretativa* amoris determinatio; quam nos adjecto nomine *exigentiam* vocamus.

342 Sed & quanquam non magis amor quam ipſiuſmet *exigentia* decretum Dei prærequirunt, quo ſint; utrunq. tamen decretum hocce aliuſmodi eſt, quam putatur. Unum quidem non urget voluntatem, ut exigat, ſed concedit; alterum prædefinit amorem, ut exeratur. Nimirum natura primi eſt, ut ſit decretum *conſervativum* libertatis humanæ, ut voluntas ex ſuo inde libito exigat, quod vult; quemadmodum ut Sol exigat illuceſcere, non plus requiritur, quam Deum velle conſervatam illius naturam. Quumque quidem hanc noſtram *liberam exigentiam* operationibus voluntatis, vel ejus actibus minimum accenſeamus, ſed *entitative* ſolum libertas met ipſa ſit, reſpectum quendam moralem dicens, *connotationemque* ſimplicem ad concurſum divinum *ut ſibi debitum* (quem nempe Deus ſervaturus tunc naturæ ordinem, debet) nullum propterea decretum aliud expetere noveris aut concurſum, quod *exigentiam* determinet, quive operetur. [a]

343 In qua ſane re ſi quid aſſenſum retardat, (quei nempe noſtra voluntas ſine mutatione phyſica ſui poſſit de novo ex non exigente fieri exigens?) non eſt unice inductum ob hanc ſententiam: in eadem quippe ſunt navi nonnulli etiam Philoſophorum, ac illi maxime, qui relationes *prædicamentales*, *ubicationes*, & modos ceteros ab extremis ferme indiſtinctos, conſtituunt, de novo tamen ob ſolam *obliqui connotationem* inductos. Atque hæc in de *actibus* divinis *liberis* communior ſententia eſt. [b]

344 Porro etſi ſua ſemper voluntas libertate gaudet, habetq. inſimul hoc ipſo totum *eſſe exigentiæ*; tunc ſolum tamen exigit, quando vult, obliquumq. connotat. Enim vero ipſa libertas quæ (ad diſcrimen neceſſitatis addictę uni parti) utrinſq. extremi in ſe ſimul *exigentia* eſt *vo-*

litio-

[a] *Sed nec actus amoris juxta recétiorem Philoſophiam a voluntate diſtinguitur; importatq.* complexum *duorum concurſuum et volútatis creatæ et Omnipotentiæ divinæ. vid. Maignanú tom.* 1. Philoſ. Sacræ *cap.* 13. *a num.* 64.

[b] *De qua re paullo altius clariuſq. quum de libertate divina.*

litionis nolitioniſque ; neſcia proinde erit, magis unum, quam aliud exigentem reddere voluntatem, niſi prius, ut id præſtet, voluntas ipſa voluerit. Quemadmodum Æternus Amor, quum ſimul *entitative* ſit *volitio* & *nolitio* libera ejuſdem objecti (quæ quidem cogitandi ratio juvat cauſſam modorum indiſtinctorum [a]) nec unam, nec alteram in Deo præſtat denominationem, niſi quam Deus vult, & quum vult. Quia tamen id ex principiis libertatis divinæ admittendum eſt omnibus, eſtque tractatu in eo plene planeque digerendum, quod modo dicimus; te inde eodem remittimus.

345 Interim peculiare hujus loci eſt, ut (ſi quæ forte oboriri poſſet) læſæ actuum libertatis ſuſpicionem removeam omnem, ac penitus: quare tu velim caveas, ne ſic diſcurras: non proceſſurum libere tunc amorem, qui a principio, *exigentia* ſua determinato prius, procederet; ſin minus, ut mediate duntaxat liberum, ea voluntatem & ipſum inter-mediante; non ſecus ac potentiarum externarum actus ut mediate liberi emanant, ratione intermediæ *volitionis*. In utroque, ſi rem perpendis, tunc fallereris: quandoquidem in libertate actum non inficit principium ejus ex libertate tantum determinatum, dum ex natura eſt indifferens: *exigentiam* enim eam noviſti liberam, non naturalem; quæ quidem, dum formalis actus non eſt, voluntatiſque operatio nonniſi *interpretativa*, non prohibet, quominus amor immediate liber dicatur, ac ſit; quippe qui ut actus immediate ac primum dimanat.

346 Multoque profecto minus impetendam recte timeres libertatem principii; dum poſitis requiſitis quibuſvis ad operandum, inter quæ divina potiſſimum *definitione*, jam non eſſet ſui amplius juris, ut ad opus prædefinitum non ſe accingat. Quid ſane re ipſa poſitum decretum illud obſtaret, quum in manu poteſtateque ſit voluntatis, ut id ponatur? itaque ad actum primum complendum, facultas decreti ſola requiritur, non poſitio; non ſecus ac non approximatio, ſed approximandi poteſtas plene aliquem potentem comburere igne ſtupam, conſtituit. [b] Hinc quemadmodum tui eſſet arbitrii, & quidem pleni, eam comburere, aut non igne non dum præſente, aut approximato, ſi liberum haberes, quem e ſilice excutias, aut approximes; ſic ante dictum decretum, quin & ante *exigentiam* plene apta eſt ut operetur amorem vel odium noſtra voluntas, cui decretum & *exigentia* ad utrumlibet ex antea in plena ſunt poteſtate.

347 Supereſt, ut quo forte angeris ſcrupulo, ab eo modo te liberemus; ſuumq. *prædefinitioni* divinæ firmemus decorem. Non enim cauſſa libera (quod times) eſſet primum determinans, uti neceſſaria non eſt ad cujus *exigentiam* decernit autor naturæ actus ejus; nec Deo imputarentur peccata prædefinita, uti neque crudelitas, dum juxta appeti-

a Nimir. partes cōpoſiti ſic æque ſunt earund. unio & ſeparatio entitative, ut ſine connotato aliquo extrinſeco nulla harum denom. haberi queat.

b Quare decretū hocce dici poſſet nō pertinere ad potētiam cōplend., ſed ad eam applicand. ut poſt Godoy de ſua prædetermin. phyſica diſcurrūt Thomiſtæ: vel illud effatū de potentia libera, cui poſitis omnibus requiſitis liberū ſit &c. intelligendum ſit de requiſitis poſitis in noſtra poteſtate, non in actu; vel poſitis illis, quæ alias non ſunt in noſtra poteſtate.

tum Urſi & Leonis innocentes quandoque vult dilaniatos, atque in fruſta diſcerptos,

De Maignano in hac ſententia.

348 F*Ardellianam* hanc noſtram liberam *exigentiam* magnum excepiſſe lumen, atque in elegantiorem formam ſe vidiſſe redactam, agente doctiſſimo Emmanueli Maignano, Doctori noſtro coætaneo, compertum exploratumq. eſt. Is enim illam in Philoſophia Naturæ *de arbitrio humano*, [a] & in Sacra *de libertate divina* [b] tam caram tantiq. habet, quod veluti omnino ſuam profuſo calamo amplectatur, exponat, propugnet. Nullus autem dubito, quin alicui *FARDELLA* potius videatur obſecutus eſſe Maignano, quam hic illius cauſſam ſuſcepiſſe, ejuſque menti ſententiæque fuiſſe patrocinatus. Atque id potiſſimum, quod Maignanus ante annos quinque, nempe ſexageſimo primo antecedentis ſeculi ſuas ſaltem primas pagellas Philoſophiæ ſacræ, Toloſæ dederit excudendas, quam ſuam *FARDELLA Opticam inviſibilium*, [c] ſeu Theologiam quoad partem ediderit Pariſiis, anno ſcilicet *1666.* qui tamen ante annos 30. [d] Magiſtrum egerat.

[a] Cap. 31.
[b] Cap. 13.
[c] *Quam Sereniſs. ADELAIDI Bavar. Duci, Aviæq. Sereniſs. Mæcenatis noſtri CLEMENTIS AUGUSTI, nuncupavit ob ſingular. in noſtrat. benevolēt., qua Domum Baſilicamq. noſtram* Monachii *magnificentiſsime e fundamentis erexit.*
[d] Ab anno videlic. decimonono ætat. ſuq.

349 Difficultas ſane iſthæc, ſi forte aliquem movet, profecto moveret & me, ni quod ſubjungerem, in manu haberem. Explicat enim præfatam *exigentiam* Maignanus (eamque explicationem & nos ſuſcipimus, ut derivatam ab Auguſtino infra citando) reponens eam in *connotatione* divini concurſus habita per voluntatem, per hoc quod voluntas, quin agat, *SINAT ſe allici ab objecto*, ſuaque ſit in plena poteſtate, ut id permittat. Sed Theſis hæc fuit una ex illis, quam *FARDELLA* Pariſiis Maignani tempore, coram multis Sorbonicis, alias præter morem, (ut animadvertit præclarus noſter Concivis Antoninus Mongitore, [e]) ad congreſſus ejus confluentibus, expoſuit ac propugnavit. Quumque tamen novitatis eam aliqui redarguerent, ſuſpectæque inde veritatis, data brevi, quam habemus penes nos calamo exaratam, Apologia, illam ab his conviciis vindicavit. Quo ergo caſu verſatiſſimis Galliæ Doctoribus, novum unquam, errorique proinde obnoxium apparere id poterat, ſi celeber hic Maignanus intra ipſaſmet Gallias paullo ante, ac profuſe docuiſſet, ac luce præli donaſſet? quid opus inde *FARDELLÆ* Apologiis.

[e] In Biblioth. Sicula verbo *Albertus Fardella.*

350 *Fardelliana* porro Theſis hæc erat, ex Tractatu de Hominibus: *Voluntas nedum eſt libera ad ſe movere vel non movere in objectum per actus deliberatos, ſed etiam ad SINERE ſe moveri, vel non moveri ab objecto. Unde duplex libertatis exercitium &c.* Quod expreſ-

Digitized by Google

preſſe Maignanus *de libertate divina* laudato loco. [a] De ea vero ſic breviter Doctor noſter *pluſquam ſubtilis* contra quoſdam oppugnatores ſuos vindiciam his ipſis verbis diſpoſuit ac exhibuit.

Omnes potentiæ prius moventur ab objectis, deinde ſe movent „
per ſuos actus in objecta: v. g. prius intellectus movetur ab objecto „
per ſpeciem impreſſam, quam ſe moveat in objectum per actus cogni- „
tionis: dicitur ergo quod voluntas nedum ſit libera ad ſe movere, vel „
non movere in objectum per ſuos actus, ſed etiam *ad ſinere ſe move-* „
ri, vel non moveri ab objecto. „

Quod declaratur etiam a Divo Thoma, ubi ait: [b] *Si ergo ita eſ-* „
ſet, quod voluntas ex neceſſitate reciperet impreſſionem delectabilis alli- „
cientis, ſicut ex neceſſitate corpus naturale recipit impreſſionem agentis; „
idem omnino eſſet in voluntariis, & naturalibus; non eſt autem ſic, quia „
quantuncunq. exterius ſenſibile ALLICIAT, in poteſtate tamen volun- „
tatis eſt recipere, vel non recipere: & infra: *Non uti regula rationis præ-* „
intelligitur in voluntate ante inordinatam electionem, hujus autem quod „
eſt non uti regula prædicta, non oportet aliam cauſſam quærere, niſi vo- „
luntatis libertatem, quia videlicet in ejus POTESTATE eſt, ut SI- „
NAT SE MOVERI a ratione, vel NON SINAT. „ Hucuſque ex Angelico præfatus Doctor.

351 Neq. hic animadvertere ſuperſedeam, eundemmet Maignanum laudato loco non parum ſuis nobis verbis proficere: ſic enim habet: [c] *Iſtud vero voluntatem non ſe PERMITTERE TRACTIONI; intelligunt ALIQUI &c.* Quid enim aliud hoc *aliqui* ſibi vult, quam alios præter ipſum, & ante ipſum docentes idem? Ut ut autem ſit de hoc, ſufficiet nobis tam eruditum virum, tam celebrem *exigentiæ* noſtræ, ſin minus Autorem, venerari Patronum, in majorem datæ ſententiæ confirmationem.

352 Ideam quandam ſed tenuem hujuſce ſyſtematis, re tamen tenta, non voce, Scholaſticorum nonnulli [d] qui utcunque acceptum exhibuere, delinearunt. Noviſſime vero huic aſtipulatos novimus totis viribus, ac ſuum effeciſſe Cardinalem Ptolomæum Jeſuitam, [e] una & *Veranum* noſtrum, [f] quiq. illud ab Auguſtino derivat ob hanc ſententiam: [g] *Viſorum ſuaſionibus* (poſitis) *agit Deus ſive extrinſecus, ſive intrinſecus*: ut poſtquam nimirum *ſinentem allici*, ſuaderique ab objectis voluntatem noſtram præſenſerit, ſicque illa exigentem, æterno *mox* decreto ſuo, cui nemo unus poterit contraire, [h] Deus agat.

a Num. 19. 20. & ſeqq.

b Quæſt. 1. de malo artic. 3.

c Laud. loco num. 20.

d Godoy, Iſquierdo aliiq. his locis.

e In metaphyſica, *ſub nom. incboationis amoris* &c.

f De Scientia Dei ſub nomine *prędeterminationis negativæ*.

g De Spir. & lit. cap. 34.

h *Neq. bic de Gratia eſt ſermo cui ſæpe cōtraitur, juxta quod dictū eſt:* Vos ſēper Spiritui Sācto reſiſtitis: *ſed de divina definitione, & quidem poſteriori ad creat. libertat., vide num.* 333.

DE NOTITIA EORUM QUÆ CONTINGERENT.

353 CErtam eorum penes Deum eſſe notitiam, nemo qui Patres & ipſa Biblia percucurrerit, inficiabitur. Ea nimirum data David reſponſio, quod ſi Ceilæ maneret, in poteſtatem Saulis traderetur; [a] præmatura illa mors juſti, alioqui, malitia ſeculi, pervertendi; [b] ac facta demum Corozaitis nota exprobratio, dum ſub iiſdem ferme miraculis pœnitentiam egiſſent Tyrii ac Sidonii; [c] nonne iſta conſtantiſſime quidem, quæ diximus, clare firmant? Miraberis propterea adjectam quandoque his futuris *dubitandi* particulam, ac prænunciata eventura ſolum *fortaſſis*. Sed te minus doctum a Patribus non adeo putabamus, ut neſcires omnino, uſurpatam ſæpius hanc phraſim, quo humani arbitrii inſinuaretur poteſtas. *Verbum ambiguum, FORSITAN*, ait Hieronymus, [d] *majeſtati Dei non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur effectu, ut liberum hominis ſervetur arbitrium*: dum *forte* facienda dicuntur, quæ cum facultate non faciendi fiunt. Referat & aliam cauſſam Auguſtinus, [e] ut increpantis ea dictio ſit, non dubitantis quidem nec minimum non ſecus ac quando dixerat: *Si me ſciretis, FORSITAN & Patrem meum ſciretis*; teſtatus alibi Chriſtus apud Johannem, [f] oportere; *qui videt unum, & alium videat*.

a 1. Reg. cap. 23. verſ. 11. & 12.
b Sap. cap. 4. verſ. 11.
c Matth. cap. 11. verſ. 21.
d In cap. 6. Jerem.
e Tract. 7. in Johan. num. 3.
f Cap. 8.

354 Nemo igitur, qui ſanæ mentis eſt, non advertit, omnino alio tendiſſe, quam ad præſcientiam hujuſmodi inficiandam, ubi Auguſtinus, futurum fuiſſe, ut juſtus perverteretur, ſi diu vixiſſet, *ſecundum pericula præſentis vitæ* innotuiſſe ait, *non ſecundum præſcientiam Dei, qui in hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat*. [g] Inſidebat illi tunc animo, impiiſſimos Semi-Pelagianos unice obtundere, qui Deum ſic in peccata ſævientem, ut quæ ſolum fierent ulciſceretur etiam, effutiebant. Quare non aliam fuiſſe noveris mentem ejus, quam Deum non attendere ad id quod futurum non eſt, ſed ad quod eſt futurum, in ordine ad *pœnam*, vel *præmium*. Luculentius hanc ſuam ipſe mentem aperuit, ubi nil aliter prodeſſe ait, [h] rapto juſto ante tempus futuræ perverſitatis, ſi plectuntur homines ob ea, quæ delinquerent, nullatenus delicturi; ſicque in uno veluti ſaltu duos apros venatur; & Semi-pelagianos in hoc errore confodit, & notitiam eorum quæ juſto acciderent, adverſus dubitantes fatetur.

g De Prædeſt. SS. cap. 14.
h De bono Perſever. cap. 14.

De

Digitized by Google

De modo cognoſcendorum conditionatorum.

355 IN ea ſunt modo plures ſententiæ; hæc Deum noviſſe immediate in ſe unis, quin antea decretum habeat ullum, ipſorum omnium indifferentiam determinans; quod ex ſe ſeu fine illo potiantur, ajunt, *conditionatorum* enunciationes veritate aut falſitate, ambobus determinatis, [a] Qua in re Fonſeca & Molina de quibus ſupra, antiquam invadentes Theologorum ſententiam, ceu *fundibularii & ſagittarii* ſuorum *præeunt exercitum*. [b] Verum ab iis eorumq. excogitatione eo potiſſimum jure recedimus, quo ad illam accedere Patres ſibi olim interdixerunt; ejus enim ad minus umbram aut veriſimilem apparentiam quam cum Auguſtino, Proſper, Hilarius, Fulgentius aliiq. omnes illius diſcipuli offendiſſe dicuntur in *Semi-Pelagianis*, perhibentur inſimul & diris devoviſſe, & inceſſiſſe maledictis. Id quod & nos, quum *de gratia*, examinabimus calamo diſtinctiori, deque ſua exire anguem cavea cogemus.

356 At ſi aliquoties Patres & Auguſtinus ipſe apparent docere vel *præſcientiam ſine prædeſtinatione* eſſe, vel illam quandoque *antecedere*, ſicque Deum *vocare hominem, quomodo ſcit ei congruere*, videlicet juxta loci circumſtantias, temporis, aliorumq. id genus; aliuſmodi intellectus eorum eſt, quam putatur. Nimirum ex eomet Auguſtino in idem tunc omnino recidunt ac prorſus *Præſcientia* & *Prædeſtinatio*; cujuſce rei admonitos nos ille volens, teſtatus eſt, [c] *Deum prædeſtinaſſe, & hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Quid ergo nos prohibet, quum apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus PRÆSCIENTIAM, & agitur de vocatione electorum, eandem PRÆDESTINATIONEM intelligere?* Ob hanc potiſſimum rationem poſtquam præmiſerat, [d] *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat qui electi ſunt in ipſo ante mundi conſtitutionem*; [e] concludit alibi, quo errandi totam ſuſpicionem removeat; *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea PRÆDESTINATIONE qua Deus ſua facta PRÆSCIVIT.*

357 Quæ quantum crucient prælaudatæ ſententiæ profeſſores luculentiſſima hæc teſtimonia, ſatis tibi demonſtratam rem faceres, ubi adires Antoninum Reginaldum [f] ſcriptorem eximium, apud quem illorum nonnullos de Auguſtiniana doctrina ſic obloquentes deprehenderes, ut quaſi, ni caute velles procedere, blaſphemari ab eis Auguſtinum & ejus diſcipulos diceres ac jurares: cujus ſane rei promtum periculum ut facias, unius convicium ſubjungere non diſplicebit; modo interim horrorem contineas, ne ſupprimaris: *Bene conſultum eſſet Triadi Patrum* (auſus eſt quidam dicere [g]) *AVGVSTINO, FVLGEN-*

[a] *Sane quidem ante decretum nullum poſſibile in ſe* determinate *aut futurú aut non futurú eſt; ſed tantum* indeterminate: *quemadmodum* in ſigno neceſſariorũ *et Scientię Intelligẽtiæ in quo ſolú poſſibilia pura putaq. relucẽt, poſſibilium nullum eſt quod ſit ejuſmodi; alioquin ejus futuritio vel oppoſitum tú (quod nemo dixerit) reluceret.*

[b] 1. Machab. cap. 9. verſ. 11.

[c] De Præ-deſt. SS. cap. 18.

[d] Ibid. cap. 9.

[e] Ibid. cap. 17.

[f] In libr. *de mente Trident. circa gratiam effic.* part. 1. cap. 52. col. 501. & ſeq.

[g] Jacobus Mariana lib. 3. *de mort.* cap. 8.

Digitized by Google

GENTIO, & PROSPERO, ſi perinde Catbolici haberentur, ac CASSIANVS, FAVSTVS aliique MASSILIENSES; uti illi nimirum quos ſemper çeu reliquias *Pelagianorum* habuit ſacra vetuſtas, *Semi-Pelagianorum*q. eis nomen fecit. Qua quidem in re nedum ſententiam ſuam a ſana doctrina S. Auguſtini alienam audax oſtentat, *Circæam*que metamorphoſim inducere monſtrat eos, qui præcitati placiti ſectatores modo *Auguſtiniani* videri volunt; ſed totum ſe eſſe in amplexando (ex conſcientia quanquam erronea) Semi-Pelagianorum hæreticorum errorem, unamq. ambos quoad hoc profiteri mentis opinionem.

358 Sententia igitur noſtra eſt illa eadem, quam ſupra *FARDELLA* nos docuit: quare cognovit Deus, fore Tyrios pœnitentiam acturos, ſi vidiſſent miracula Chriſti Domini; quod ſub iiſdem viderit exacturos eos pœnitentiam, & ipſe vel de præſenti decretum habebat de concurrendo cum voluntate illorum ad id quod ipſa exigeret, vel novit ſaltim futurum fuiſſe, ut purificata conditione, jam de concurrendo ad pœnitentiam exactam decretum ederet. Quod vero rectius videtur; decretum hocce *nunc eſt*, [a] (quo determinetur illius indifferentia) *non foret*; quin hoc ipſo quod foret, nunc eſſe debet. Quum enim Deus jam videat fore ut ipſe vellet, ut exactam a Tyriis, eam ii pœnitentiam agerent; en reapſe voluntatem habet, ſin minus, habendi talem *volitionem*: non ſecus ac dum quis dicit, *ſi pauper a me peteret eleemoſynam, vellem eam ipſi dare*, jam ille habet modo aut voluntatem dandi, aut habendi *volitionem* de illa danda. Quodque magis hanc rem ſuadet & ingerit, hoc videtur; non valere nimirum Deum actus ſuos quicunque forent, noviſſe, quin illos amet inſimul ac neceſſario, ſibique de illis placeat adprobetque; quin inde, uno verbo, *velit* eoſdem.

[a] *Sicut etiã nihil futurum eſt per decretũ quod erit, ita et nihil eſſet futurũ per decretũ quod foret, ſed ambo decretum quod ſit, nedũ quoad* entitatẽ *actus, verum et quoad* connotationem *obliqui, ad ſui futuritionẽ exigunt.*

359 Porro hujuſmodi decretum ſolitum eſt vocari apud Scholaſticos, *ſubjective abſolutum*, vel *abſolutum ex parte actus*, ſeu *ſubjecti*, quia eſt actus voluntatis, qui modo & abſolute eſt in Deo; atq. inſuper *objective conditionatum*, vel *conditionatum ex parte objecti*, quia Deus non vult abſolute pœnitentiam Tyriorum, ſed tantum ſi ponatur conditio. Eamq. ob rem dicitur etiam decretum *de connexione*; quia per illud nec pœnitentia decernitur, nec viſio miraculorum, ſed hæc duntaxat cum illa (poſt exigentiam quidem) connectitur. Plura ſunt in ſcripturis decretorum horum exempla; ut quod devaſtanda veniat *Syria* per Regem *Joas*, ſi percutiat ſepties is terram; [b] poſtq. quadraginta dies ſubvertenda *Ninive*, ni eam pœniteat ſuorum ſcelerum: [c] omneſq. ad unum Deus *ſalvos* facturus, ſi recte vixerint; [d] aliaq. id genus.

360 Nec tamen habes, ex quo hujuſcemodi decreta alia impeteres; ultra enim quod nulla ſecus foret in Deo *conditionatorum* ſcientia, qui *prædeſtinatione* duntaxat *præſcit quæ fuerat ipſe facturus*; [e] valde illa Providentiæ inſerviunt & expediunt; quæque facienda ſunt,

[b] Lib. 4. Reg. cap. 13. verſ. 19.

[c] Jon. cap. 3. verſ. 4.

[d] 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 4.

[e] Ex Auguſt. loc. cit.

Digitized by Google

ſunt, eorum quæ eſſent, determinatio ſæpius ſuadet, & excitat. Enim vero ni Deus conſervaturus humanam Ceilitarum libertatem, decreviſſet traditionem David in manus Saulis, ab illis primum exactam, ſicque certo futuram; nullus datus eſſet Providentiæ locus, quà aptum Davidi præ-diſponeret medium evadendi. Hinc ſi fortaſſe velis non affingenda Deo quam minimum (quod ea otioſia putes) decreta illorum quæ divinam ipſius Providentiam prætergrediuntur; ut circa illa, *quæ feciſſet in mundo altero, quem crearet*; libenter (modo ea minus competant) tibi damus quod optas, non paucos [a] hacce eſſe in ſententia animadvertentes. At nullam tunc noveris factam injuriam divino intellectui, cujus non foret defectus, ſed objectorum; dum nihil determinate eſſet, quod prius non vellet; velle autem eorum quidpiam non expedit. Huc (ſi lubet) referre poteris Auguſtinum qui quandoque inficiari videtur *conditionatorum* notitiam; quæ porro ignorare dicit, quod ea Deus non prædeſtinat, nullamque nanciſcuntur ob id veritatem. *Hæc Dei dona*, inquiebat, [b] *ſi nulla eſt prædeſtinatio, non præſciuntur a Deo*.

[a] Joh. a S. Thoma hic q. 14. *qui tantù ſciri a Deo vult ex fut. cond. quæ connexionē habent cum hoc Univerſo condito*; ita & Gonet de Volunt. Dei diſp. 3. aliique.

[b] De bono Perſever, cap. 17.

De Scientia ad quam pertineant conditionata.

361 DUm res eo quo diximus, modo ſe habet, jam uni ex antiquiſſimis divinæ ſcientiæ membris, aut *Viſioni* aut *Intelligentiæ* hæc noſtra conditionata vindicabuntur; ita ut nullus intrudendo medio inter illa ſuperſit locus, vel ipſis medii fautoribus non diſſidentibus. Videlicet ipſi putant, fore ut, indirecte ſaltem, per ſcientiam *viſionis* præcognoſcantur ea omnia conditionata quæ in ſuo decreto Deus actuali præſentit: qua ſuam nimirum determinationem novit; utrunque iſtud, & hanc & futurum per ipſam, eadem ipſe ſcientia una complectitur. [c] Sic proinde (ut loquuntur) totius Syriæ devaſtationem pronunciat futuram, ut ſuo in decreto viſam, quo hanc multiplici percuſſioni terræ per Regem Joas alligavit; perque illam notitiam, qua decretum comprehendit, ſcilicet *viſionis*: non ſecus ac ſine nova in eo ſcientia conditionata impoſſibilia, puta, *ſi Leo eſſet homo, diſcurreret*, per ſolam (habent) notitiam intelligentiæ cognoſcit, per quam notum eſt ipſi omnem hominem diſcurrere.

362 Verum, ut hic *FARDELLA* per quam rectiſſime animadvertit, ni demonſtratam rem demus, ea nullum prorſus conditionata habere eſſe, quod purum poſſibile, & abſolute futurum intermediat; nil prohibere debet, quominus, ut hæc in ſe quodammodo ac directe præcognoſcantur, aliam inter extremas laudatas ſcientiam, recteque in-

[c] *Multiplex nempe cōditionatorū genus; aliud de connexione metaph. aliud de phyſ. aliud de moral. aliud de indiffer. & conducenti (quod hic principal. obtinet locum) ut ſi pauper petierit eleemoſynā, dabitur illi. cetera.*

Digitized by Google

inde *mediam*, animadvertamus una & profiteamur. Quin id nedum ſinit, ſed jubet (ut fortaſſis apparet) ſyſtema noſtrum de *exigentia* voluntatis humanæ *libera*, quæ puta ſub aliqua conditione foret; quippe quæ ante omne decretum, dum nullum decretum exigit, in ſe una prænoſcitur ac præſentitur. Ea tamen quum entitate ſpectata ſua nil amplius ſit, quam humana noſtra libertas, & ipſipſa voluntas libera, jam nullum tunc phyſicum egrederetur limites puræ poſſibilitatis, ſic ut non haberes, quod tibi impræſentiarum grande negotium faceſſat. Et quanquam veritatem hanc Deus ſatis percipiat: *exacturam* nempe *fuiſſe* tunc potius voluntatem noſtram, quam non, ſub his, aut illis rerum varietatibus, ut & ſimiliter poſt decretum *operaturam*; quis non videat tamen, divinam hancce notitiam fore illam eandem, quam *viſionem* appellitamus? nonne abſolutam habet, & contingentem hujuſmodi, quam proſpiciat veritatem, quamque intueatur?

363 Ceterum nec *exigentiam* quæ eſſet, neque minus quantamlibet quæ foret, *operationem decretam*, hoc ipſo quod forent, extractam utranque judices, vel alterutram a ſeptis ſimplicis poſſibilitatis ad aliquod utcunque *eſſe* medium. Quis enim tunc labia ſua prohiberet, quin æque ad rem loqueretur, extractam nempe Leonis rationalitatem a ſtatu *impoſſibilitatis*, quam profecto quidem haberet ille, ſi homo eſſet? Quis non extractum ipſummet Deum, ens illud ſane indeficiens, a ſua exiſtendi neceſſitudine, quam ſi non æternus exueret? Utrunq. enim coherenter, atque omnia iſtis ſimilia, & Leonis rationalitatem, & *contingentiam* Deitatis effictum hunc ſtatum medium poſſibilitatis conditionatæ nanciſci effutires.

364 Porro partibus hiſce noſtris non deſunt oracula Philoſophorum: nil enim apud ipſos ſolennius, quam hoc effatum: *Conditio NIHIL PONIT in eſſe*: Quæ quanquam revera *poneret*; id evincit, quod minimum ſuffragatur: futurum fuiſſe nempe, ut *extraheret* a ſtatu puræ poſſibilitatis, non vero quod modo *extrahat*; [a] ſicq. non extrahit, ſed extraheret a numero objectorum ſimplicis *intelligentiæ*. Id quod profecto ſi accideret, tranſiret utique ſic extractum, in futurum vere abſolutum, & in objectum ſcientiæ *viſionis*. Ac ſane ni ſic dicamus, jam tota rueret, ſeu evacuaretur notitia intelligentiæ, dum poſſibilium eſt nullum, ſi varios rerum ordines attenderis, diverſaſque conditionum poſitiones, quod certo modo non foret; ſpectaretque ita unumquodque ad ſcientiam aliquam mediam, nullumque ad intelligentiam amplius. [b]

365 Nihilo tamen ſecius eo non devenias, quo putes fore, ut diſcrimen nullum interſit unam & alteram enunciationem de pœnitentia nempe quæ *foret*, & de illa quæ *poſſet eſſe*. Aliud ſane dicis: *potuiſſe Tyrios agere* pœnitentiam, aliud, *fuiſſe acturos*. Sed quoque caveas, ne

in

[a] *Quandoquid. nedum ſi deſit requiſita cauſſa, verum ſi requiſ. conditio, effectus non extrah. a ſtat. puræ poſſib.; (nedum enim deficiente equo, tractio currus nõ eſtrah. &c. verum ligamine defic.) iccirco ſi pœnitentia* Betſait. (*quæ fuiſſet, ſi ad id animum illi induxiſs.) nõ fuit extracta &c. nec pœnit.* Sidon. (*quæ fuiſſet ſi vidiſ. miracul.) extracta dici deb. etc.*

[b] *Saltem modo, quemadm. Antichr. ad intelligent. modo amplius nõ pertinet, prout cõmunius.*

Digitized by Google

in hoc deprehendendo patiaris ullum exceſſum. Tota hæc differentia dictarum enunciationum non quidem *intrinſecum* ipſius pœnitentiæ ſtatum concernit, dum per utranque, nonniſi pure poſſibilis enunciatur, ſed mere *ab extrinſeco*, juxtaque dicendi modum pœnitentiam a pœnitentia diſcernere videtur ac ſeparare: ſcilicet ubi una exiſtentiam illius exprimit qua duntaxat poſſibilem, quin defectum producat conditionis ſolius; altera defectum iſtum aſſignat & incuſat, inque eum, quod illa poſſibilitatis fines minimum egrediatur, refundit. Sic ut nonniſi exiſtentia *conditionata* aliud ſit, quam *non exiſtentia ex defectu ſolius conditionis*; idemque præſtet: ſi vidiſſent Tyrii miracula, pœnitentiam *egiſſent*, quam quod ad pœnitentiam eorundem ſolum abeſt viſio miraculorum.

366 Quam tu velim perpendas expoſitam diſtinctionem de *intrinſeco*, *extrinſeco*que ſtatu *conditionatorum*, multique facias, ut quo hæc modo *intelligentiæ* ſolius quæ de neceſſariis alioquin eſt, notitiæ competant, tibi reddas perſpectum. Enim vero quodcunque purum poſſibile duo dicit, & *intrinſecam* prædicatorum non repugnantiam quæ *neceſſariam* in ſeſe ingerit veritatem, & exiſtentiæ negationem, quæ *contingentem*, Deoque liberam & voluntariam. Eo inde jure, quo purum poſſibile ſcientiæ Dei *neceſſariæ* reſpondet, quod ſola ſpectata *intrinſeca* poſſibilitate neceſſarium ſit, ipſo etiam æqualiter ob æqualem rationem *conditionata* noſtra *intelligentiæ* reſpondebunt. Quod ſi id fortaſſe cuidam in mentem venerit, quo prorſus cognoſci vellet a Deo *purum poſſibile* per ſcientiam *intelligentiæ* quoad *intrinſecam* ejus *poſſibilitatem*, & per aliam *viſionis*, quoad *negationem* ſuimet *exiſtentiæ*; labia tunc quoque noſtra non prohibebimus, eandemque hanc omnino cauſſam eſſe dicemus *conditionatorum* cum ſcientiis illis divinis; [a] quorum *extrinſecum* eo caſu ad *viſionem* ſpectabit, ubi *intrinſecum* ad ſolam *intelligentiam*: & ita ſemper ſcientiæ *duæ* iſtæ *ſolæ*, quacunque alia *media* de medio ablata, univerſum intelligibile complectuntur.

a Sicque ad ſummum, ſi velint, ſcientiam quandam dabimus mediam, non quæ ſit inter utraſque illas, ſed quæ ex utriſque illis conſletur: uti alio ſenſu Bonaſpes.

Digitized by Google

DE VOLUNTATE DEI.

De multiplici acceptione Divinarum Volitionum.

367 VT, inoffenſa divinorum actuum ſimplicitate, objecta plurima cognitiones, ſic ea ipſa & *volitiones* multiplicent, dum varia ſunt, par in utriſque ſuadet ratio, atque jubet. Iſtarum omnium diviſionum ad extremum in ſcholis vulgata eſt illa in voluntatem *ſigni*, & *beneplaciti*: quam quidem, cum Maignano [a] neſcimus, an inutilem magis, aut magis putare conveniat involutam, ſuos quæ inde aſſeclas in diverſiſſima conſcindat. Plauſibiliores interim illi apparent qui ſic ſe explicant, ut expreſſam velint, per voluntatem *beneplaciti*, æternam *volitionem* rei alicujus; perque aliam, non rei, ſed ſigni tantum ejuſdem. Cujuſmodi quippe eſſet, qui nolens concionator pro certa die verba facere; dum tamen pulſetur campana, *velit*; is voluntatem *ſigni* de concione habere diceretur. Quotieſcunque igitur in ſcripturis datum Abrahæ præceptum Dei ſeſe obtulerit de immolando filio, & ſimilia, eam eſſe voluntatem doceberis duntaxat *ſigni*, quum tota & unice de præcepto, non de indicta occiſione ſit.

[a] Cap. 12. propoſ. 17. num. 1.

368 Aliam apud Chryſoſtomum [b] & Damaſcenum [c] Patres animadvertunt, ut inter æternas *volitiones* detur prima & ſecunda; vertuntq. illas vulgariter in *antecedentem* & *conſequentem*. Quæ duæ ab invicem diligentiſſime diſcernendæ ſunt, dum a nonnullis promiſcue habitæ, cauſſam iis erroris attulerunt. *Antecedens* ea dicitur, quæ noſtros omnino præcedit actus, quatenus ad illos Deus in volendo non reſpicit, ut quod omnes homines ſalvi fiant. *Conſequens* ex oppoſito, quæ noſtrorum ſubſequitur actuum *prævifionem*, horumque intuitu provocatur Deus ad volendum, ut quando aliquos vult pœna plexos ex impiis.

[b] Homil. 1. in epiſt. ad Epheſ. pag. 766.

[c] Lib. 2. cap. 29.

369 Neque minus animadverſu ea digna eſt, quam quoque Patres ſufficiunt Theologiæ noſtræ perutilem, divinarum *volitionum* alia diviſio, ut ex *efficacibus* quædam *abſolutæ* dicantur, & quædam *conditionatæ*: nimirum iſtas, purificata conditione, impoſſibile eſt evacuari, non ſeçus quam ſimpliciter abſolutas; utriſque ipſis fruſtra

ſuum

Digitized by Google

ſuum adhibituram ſe noſceret voluntas noſtra conatum & *reſiſtentiam*. Quæ autem efficaciter Deus velle dicitur, ita ex iis eſſe quædam ſuadearis, ut per omne ſibi medium poſſibile patrare illa velit; quædamque alia, per ordinaria ſolum, & inter hæc, certa quædam: ut ita animadvertendi pluries infra dabitur tibi copia.

DE LIBERTATE VOLITIONIS DIVINÆ.

370 NAturam haud exploratam habet, cui non ſit in comperto, admittendam eſſe ſummam in Deo libertatem. Quid enim in tempeſtatibus opem Dei flagitamus, ſi venti & mare illi minime obediunt, ſuaque non eſt in manu, naturæ curſum infringere, ſummumque ipſius volendi arbitrium non ſpectet, ac facultatem? Quid in tantis periculis & anguſtiis, aut opprimi metuentes, aut ſperantes erui, adimus ipſum, qui quod facit, faciat neceſſum eſt, ut non ſit vera pœna, ſi puniat, nec ullus favor, ſi eripiat? Quid pro collatis interdiu beneficiis, ex neceſſitudine, non amore quæ proficiſcuntur, proque etiam ſua quiſque creatione, natura cogente impellitur, quo in officioſam erga Deum curam incumbat, ceu grati animi monumentum? Ni ergo quis prius naturam exuat, deſinatque eſſe, vel niſi ſaltem is ille ſit, cui ne putreſceret ſolum, animam ipſam pro ſale datam dici debeat ſtolidiſſimo homini, Deum liberum poteſtateque arbitrii, quoad omne opus extra ſe ipſum, fruentem, tantum ſi ſe cogitet, non inficiabitur. Porro naturæ qua quemq. Deus adloquitur, prophetiam adnectit, qua actus ſuos *Deum ultionum libere egiſſe*, ait David; [a] atq. Apoſtolus, [b] *dividere ſingulis prout vult*; aliæque paſſim ſcripturæ.

[a] Pſalm. 93. verſ. 1.
[b] 1. ad Corinth. cap. 12. verſ. 11.

De Errore Ethnicorum, & Wicleffiſtarum.

371 ARiſtotelem præ aliis apertiſſimi fere omnes erroris reum incuſant, ejuſque, ceu Ethnicus ut erat, hoc inter alia ex eo deprompta deliria extare primum, a quo uno, ut a radice, permulta alia ſuboriuntur: Deum videlicet *non libere velle*, quæcunque facit, ſed *ex neceſſitate* ſolius *naturæ* operari: ut hunc proinde aſpectabilem mundum ob oppoſitam rationem Deo ipſi coævum commentus ſit. In hunc errorem Wicleffiſtæ aliique hæretici junctis pedibus iverunt. Iis autem hæc fuiſſe errandi occaſio videtur; quod quemvis actum divinorum ex æterno eſſe neceſſum ſit, ſicque omnes, & ſemper eſſe oporteat, & neceſſarios exinde eſſe. Hujuſmodi quidem ſe res haberet, ni quod ſui æternitatem exigit, pluſquam

Digitized by Google

quam ex conditione ſola, quod eſſet, exigeret. Neque enim abſolute, remur, æternas quæ nec abſolute ſunt, divinas *volitiones*; ſolumque nempe, ſi Deus voluerit. Qui tamen hoc fiat, dum nullus volendi actus a Deo volente ſejungitur, cumque ipſo idem eſt, ſuum ſibi infra vindicat propriorem locum.

372 Interim quo nos tantum Philoſophum in hoc errore, quoad poſſumus, excuſemus, fas erit dicere, tanto illum acumine excelluiſſe, mentiſq. acie, ut divinum, fertiliſſimumq. inde, Principium, ſine aliquo ſuæ termino fœcunditatis conſiſtere neutiquam poſſe, deprehenderit. Quumque autem illi prorſus inhiberetur Sacramentum abſconditum a ſeculis, æternamque Verbi generationem adire animo; facile falli potuit, æterno Verbo æternique Patris Filio, mundum iſtum in illius neceſſarium terminum ſubrogando; quemadmodum Auguſtinus [a] univerſales ideas illas, in Platone ab Ariſtotele reprehenſas, ad æternum Dei filium qui rerum omnium perfectiſſima idea eſt & exemplar, acutiſſime refert, cui illas Plato veluti ſubrogaverit.

[a] De Civitate Dei.

De proprio conſtitutivo Libertatis Divinæ.

373 Difficultas præſens communis eſt cum voluntati divinæ quoad ſuos actus liberos, tum intellectui quoad ſuos contingentes; uterque quidem in illos adeo prorumpit, ut his æque carere poſſit: ſicque utrobique ænigma idem adinvenitur, arcanumque fere penitus inacceſſum. Enim vero ſemper difficilis viſa eſt vera via conciliandi ſummam Dei libertatem cum ejuſdem conſtantiſſima immutabilitate, quin aliquod durum aut difficile devoretur. Id quod in cauſſam veniſſe quibuſdam Scholaſticis viſum fuit, ut ſic loquerentur; non eſſe ullatenus in eo divinam indifferentiam conſtituendam, quod æternos actus *volitionum* reſpiciat, ſed rerum duntaxat creatarum temporaneam quod ſpectet productionem, [b] ſic ut non ad volendum, ſed ad producendum ſolum, Deum liberum autumarent. Qui tamen dicendi modus nedum clare abſonus eſt ſcripturæ ac Patrum autoritati, ubi Deum operari ſingula *juxta conſilium ſuæ voluntatis* ediſcimus; ſed neque amplius evincit ſibi fixum intentum. Nimirum qui quoque fiat, ut Deus libere creaturam producat, ejus tamen ipſius immutabilitate minimum impetita? Patres inde in id unum ſæpius convenientes, ut aſtruant, in Deo idem eſſe *facere*, *ac velle*, toti nonniſi ſunt, quam qui efficaciam divinæ voluntatis ponant ſub oculos, utpote impedimentum habentis nullum in exequendo, quod vult.

[b] *Ita Aureolus aliique poſt ipſum.*

374 Quæ porro modo floret in Scholis, ea integra eſt in aſtruenda

da virtute quadam intrinſecæ diſtinctionis, cujus hæc tota vis, ut actus Dei liber, ſeu *libera terminatio* ad obliquum *volitum*, eſto re ſane idem cum ſubſtantia divina, potuiſſet nihilominus ab ea deficere, illæſa ſemper ac ſalva divinæ ſubſtantiæ indeficientia: ſibique maxime ſuffragari putat exemplum *SSS. TRINITATIS*, in qua ob illam diſtinctionem (ut ajunt) communicatur Filio natura, quin *identificata* quoque *Paternitas* eidem communicetur. Verum prædictæ terminationis *defectibilitas*, vel ſeſe tenet penes aliquam *realitatem*, quo caſu, improbatum iri, perſpicuum ex eo eſt, dum aliquod quod eſt Deus, nempe mundi *volitionem* potuiſſe *realiter* eſſe nihilum, infert; & ex oppoſito aliquod quod nihil eſt, nempe alius mundi *nolitionem* potuiſſe *realiter* eſſe Deum. Vel eſt duntaxat penes ſolam volendi denominationem; ac tunc niſi hæc ipſa quoad ſolum obliquum, infra explicandum, contigerit, in idem redit prorſus, ac recidit.

De Sententia Card. CIENFUEGOS.

375 A Tot recenſitis, tantiſque anguſtiis liberare ſe putat, & ſecum ipſo Theologos omnes qui eum recte perpenderint, Ingenioſiſſimus juxta & Eruditiſſimus *ALBARUS* Cardinalis *CIENFUEGOS* ex Antiſtite Catanenſi, Archiepiſcopus Montis Regalis, Invictiſſimi Regis noſtri, Romanorumque Imperatoris CAROLI VI. Regnantis Legationem impræſentiarum Romæ agens ſpectabiliſſimam. Cui profecto laudes quas poſſumus, detractionis loco forent, ſi effunderemus, quippe qui omnes, & faſtigio tranſcendit, & magnanimitate aſpernatur. Noviſſime Vir iſte egregius in ſuo profundo *Theologico Ænigmate*, [a] (quo ſui cum ingenii, tum eruditionis periculum non leve facit) nihil eſſe loquitur inter voluntatem divinam, & creatam, prout ad præſens pertinet, quod interſit: ſed quemadmodum Peripateticis humana noſtra voluntas eſt principium quoddam potens producere vel non producere actum *volitionis*, aut hunc vel illum efficere, quem lubet, eoque ſe inde reddere volentem; ita & divina principium quoque eſt, æternæ *volitionis* actum effundens, & hanc vel illam ipſius *formalitatem* valens emittere, quam libuerit; perque eas ſe conſtituere hoc vel illud volentem. Quo quidem ſuo ſemel admiſſo ſyſtemate, erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.

[a] Tom. 2. diſputatione 11. ad 14. & ultimam.

376 Ne tamen eo devenias, ut putes, per hujuſcemodi productionem aliquid noviter in Deo aſſurgere, quod eo nolente abſuiſſet, ſicque mutationem in illo parere; advertit hanc ſuam eſſe mentem, ut divina *Volitio* quæ ſpiratur, & quæ generatur æque divina Intellectio, ſint

Digitized by Google

ſint inſimul prædicata Dei abſoluta & a ſe, perinde ac cetera *eſſentialia*, quæque vi æternæ productionis ab intellectu & voluntate divinis accipiunt ſtatum *eſſendi* relativum, atque originem a principio. Ex quo quidem, etſi Deus *volitionem* mundi produxerit, valiturus æque illa carere; non tamen ſubſtantia ejus, mutari neſcia, ſubitura fuiſſet tunc detrimentum ullum mutationis, quum ſecundum eſſe abſolutum tota quanta ea eſt, penes Deum remanſiſſet, ut adhuc remanet. Solum autem, producens tunc eam, ceu modo eſt, non foret: ſed quid propterea? mutatur fortaſſe Deus, ubi quotidie in tempore creaturas producit? aut (quod magis eſt) mutatus ne unquam ob *Incarnationem* is fuit, intrinſece terminando humanam naturam?

377 Porro pro *quidditate* peculiari earundem quæ derivantur, Perſonarum duarum, non aſtruit terminos *Intellectionis Volitioniſque*, ſed ipſaſmet *Volitionem Intellectionemque*, pro ut tamen *realiter* dimanantes. Quam ipſe ſuam opinionem apertis ſcripturarum locutionibus, Conciliorum ac Patrum veterum, potiſſimumq. Auguſtini, firmat & fulcit. Quo fit, permagni noſtra intereſſe (dum non aliuſmodi res ſe habeat) ambabus lacertis illam amplecti, quorum præcipue eſt, in hoc opere, antiquorum Patrum vias incedere, eorundemque uti lingua, inſtitutum. Sane Auguſtinus pluries, *Verbum*, docuit, [a] *ſapientiam* eſſe *genitam*, qua Pater eſt ſapiens, juxta illud Eccleſiaſtici: [b] *Ego Sapientia ex ore Altiſſimi prodivi primogenita.* Et Divus Anſelmus: *Si aliquando*, inquit, [c] *fuit Deus ſine Filio, fuit ſine virtute & ſapientia, ideſt, fuit infirmus & inſipiens*. Nec diſſimile ipſi nobis exhibent argumentum, quoad Perſonam Spiritus Sancti, quod ſit nimirum *Amor* ipſe *procedens*, quo ſe Pater & Filius invicem proſequuntur.

[a] Lib. 7. de Trinit. capp. 1. & 2. & lib. 15. cap. 7.
[b] cap. 24. verſ. 5.
[c] Ad verba Paulli 1. ad Corinth.

378 Hoc ergo poſito: quum *volitio* abſoluta, & a ſe, ſit forma omnium *volibilium*, omnique prorſus modo quo *volibilia* ſunt, atque adeo virtute ipſa, aut ratione noſtra ſit multiplex; conſequens eſt, quo licet productio ipſius quoad *formalitates* quæ circa Deum verſantur, ſit naturalis & neceſſaria, quoad illas vero quæ in objecta creata tendunt, libera ſit & contingens. Nec Deus per illam, ut abſolutam, *volitionem*, dici poterit libere quidquam volens, quia ſic inſpecta, eſt ſimul *volitio* utrius extremi, ſeu ſimul *volitio* eſt ac *nolitio*; eamque ob rem nonniſi tunc primum (ut ſuo etiam modo edifferunt *Connotatores* Scholaſtici) ipſarum aliquam eſt Deus denominationem ſortiturus, quum per *realem* proceſſionem una *formalitas* præ alia potius dimanat.

379 Mihi autem non latet, in promtu eſſe, ut ſuſpiceris, nil propterea Spiritum Sanctum fore libere voliturum, quum nulla ex eo dimanet *volitio*. Sed quid quæſo iſtud officit, quum ne dum, in ſubſtantia ſua, ea ille *volitione* præpolleat, ſed inſuper ipſiſſimum hoc *velle* ſit, quod dimanat; per quod & ultimo conſtituitur? Sed neque profecto

fecto

Digitized by Google

fecto tamen hic idem Spiritus Sanctus qui *volitio* eſt derivata cum neceſſariorum, tum contingentium, minores haberet *formalitates* in eventu quo nihil Deus voluiſſet *ad extra*; eo quod *formalitatem nolitionis* habuiſſet *volitioni* tunc ſubrogatam: ſitque, ut conſtitutus ille *eſſentialiter* per *formalitates* neceſſarias, ſolum expoſcat vage aliquam ex oppoſitis libere *producibilibus*.

380 Multa alia haberem hic tibi dicere, ſed non potes portare modo; ſuperſunt enim ad majorem intellectum hujuſce opinionis duo hæc, & difficultates reliquas expendere, & illius momenta rationum alia ponderare: id quod difficillime aſſequi ullus poterit, qui *Tractatus de SANCTISSIMA TRINITATE* nec limina ſalutavit. Iccirco audies me de hoc iterum, quod modo velut ſumma papavera carpens, tradidi ad ſuperficiem; meamque ultimam aperiam mentem, num revera *volitio* divina, & intellectio *eſſentiales*, per *reales* proceſſiones ultra dimanent; quique etiam id fieret, quum paritas intellectus noſtri, ad mentem Platonicorum & Patrum (uti nobis jam conſtituimus) conſiderati, longe huic videatur refragari.

381 Interim ſi a recenſito hoccе ſyſtemate diſcedere velis, majori ob id quam acies ſuppetat, fortaſſe perfuſus lumine quod perinde ſit ac ut caligo; vel potius te cum eo non implicare, aliudque tibi impræſentiarum edatur optes; nil aliud, credas, *volitio* Dei libera eſſe poteſt, quam ipſe amor Dei neceſſarius, *libere exigens* (ut *FARDELLÆ* principiis inſiſtamus) aut *non exigens* obliqui poſitionem, ſeu eſſe *volitum* in objecto. Atque id inter unam & aliam voluntatem, divinam humanamque intercedit; quod ubi noſtra (quod nuda in ſe ſit volendi potentia) ſi exigit, *interpretative* fit volens, divina e contra (quod actus purus & ſimpliciſſimus) reapſe, dum ſolum exigit, vult. Quam in ſententiam ex eo potiſſimum devenimus, quia (ſi forte actus Dei liber per *dimanationem* non producatur) nullus tibi alius modus inventu facilis aut excogitatu profecto ſupereſt, quo melius libertatem æternam, ſine aliquo de novo & diſtincto, ipſique Deo ſuperaddito, defendas una atque vindices.

382 Sed præſto eſſe jam ſcimus, ut quod multis in ſumma natat ſaliva, nunc reddant: ex quo nimirum præfata *exigentia* non eſt quid novum *entitative* in Deo, ſed ipſa duntaxat *volitio* indeficiens ac neceſſaria, nil prohibere videtur, quo nunc dicamus, adeſſe *conſtitutiva* in illo *exigentia* alterius mundi: quam inde ob rem, atque quorſum alterum mundum exigere, & ita velle non dicitur? [a] Quærunt, cur? quia non vult. [b] Hanc ſiquidem, ob ſuam qua pollent, infinitudinem, ſibi maximam vindicant perfectionem *conſtitutiva* divinæ *exigentiæ*, ut ſint libera quoque ad præſtandum inde laudatam exigentis denominationem. [c] Hinc eſto nullus hic dubitem, quin poſito, nil in

a Hoc ipſum ad exigentiam creatam liberam ſpectat, de qua ſupr. num. 343.; appoſiteque Maignanus imaginem Dei ac ſimilitudinē in homine ſecundum volendi dominium & indifferentiam explicat philoſ. ſacra tom. 1. cap. 13. num. 1.

b Nimirum quādo ita vult, non volitione, ſed voluntate, ſeu exigentia ipſa, vult: & ita pariter dic de volunt. creata.

c Ita de volitione Dei libera Scotiſtæ paſſim et alii apud Fraſſen.

Deo deeſſe, quo nunc exigere & ita velle dicatur, conſequens inde ſit, nil objecto deficere, ut æque *volitum* fiat; tamen nec unum, nec alterum dari modo, in cauſſa eſt, ut diximus, quia Deus non vult. Neque novam ulterioremque cauſſam inveſtigare tibi in animo ſedeat; ſtat enim hujus pro ratione voluntas. Cujuſce etiam rei, dum æternæ ipſemet actus voluntatis (ut dictum alibi fuit, quo te remitto) *volitio* in ſe uno ſit *nolitio*que, opportunam ingerit neceſſitatem, quam alias, quæ naturalia ſunt, atque ad unum limitata *conſtitutiva* non aſtruunt.

DE ÆTERNITATE ACTUUM Divinorum.

383 TAmetſi divinus AMOR non Dei *volitio*, [a] ſed hujus duntaxat terminus *ad intra*, & immanens diceretur; adhuc illa ex æterno fuiſſe debet, cujuſmodi ipſe eſt qui ſemper eam terminaſſet. Sed neque etiam *relate* ad externum objectum, & ſecundarium (quales creaturæ omnes) majeſtatem divinam, ut circa illud ſuſpenſa ſiſteret, adeo ut in alterutram, aut *volitionem*, *nolitionem*ve minime prodiret, decere credas: nullo enim Deus majori conſilio, maturiorique quo egeret, teneri potuit; ſingula ex æterno cognoſcibilia & perfectiſſime præſentiens. Nulli pariter decretum Dei ſemel habitum obnoxium putes viciſſitudini; nimirum ex æterno, & in æternum maneat, neceſſum eſt: id tamen non ex eo repetimus, quod ille intrinſecus mutaretur (eodem enim modo ſe haberet, ac per ſuam libertatem) ſed quod eſſet inconſtans, nulloque, in mutando, momento ductus, idque non minimam in Deo inferret imperfectionem, ſcripturas ac prophetias exponeret ludibrio, ſin minus, dubietati. Pro quo ſane cavendo malo docemur a Patribus & ſcripturis: quod *voluntas Dei maneat in æternum*. [b] Tam falſo inde, quam vulgo Auguſtino aſſeritur nota iſthæc ſententia: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*: niſi ex ea mutuaverint, longe alium habente intellectum: *Si non traheris, ora ut traharis*. [c]

[a] Juxta dicta ſuperius quum de ſententia Card. Cienfuegos, num. 377.

[b] Proverbior. cap. 19. verſ. 21.

[c] Tract. 26. in Johan.

384 Verum enim vero haud me latet, fore ut mihi ante conſpectum ſiſtas Petrum a Deo & nunc odio habitum, qua peccatorem, & qua deinceps juſtificatum, amore affectum prædilectumque. Hæc autem tota quanta tua eſt, reflexio evaneſcet omnino, ſi cum *FARDELLA* diſtinxeris, duo dari in Deo genera actuum; unum *diverſificantium*, quo Deus immutat objecta, quum puta dicitur velle, quia dat eſſe *volitum* mundo; aut nolle, quia *nolitum*: aliud *diverſificatorum*, quo objecta veluti immutant *denominative* Deum; ſic Petrus per

per culpam facit, quod actus Dei circa illum ſortiatur odii vocabulum, perque juſtitiam, amoris. Atque, ut hujus ſecundi generis actus tibi vivam ſuimet ipſorum imaginem exprimant, finge tibi non abſimiles eos eſſe, ſed veluti prorſus ac eoſdem cum actione Solis *invariata*, quæ in luto *induratio* dicitur, illa quippe eadem quæ in cera *mollificatio*. Quodammodo igitur, & improprie mutari non diffitemur conſtantiſſimum Numen, quoad actus ab objectis *diverſificatos*, ſecus quoad *diverſificantes* objecta. Et ratio diſcriminis ea videtur, quia licet neutrorum viciſſitudo in Deo veram diceret mutationem, nihilotamen minus, ubi defectio primorum non derivatur a Deo, ea tamen quam admitteres in ſecundis (ſi admitteres) non haberet aliam cauſſam, quam Deum; cujuſque conſtantiam tunc ſola impeteret.

De errore Calviniſtarum ex Vorſtio.

385 UBi Ariſtoteles, ob æternitatem actuum divinorum, eorundem libertatem dicitur inſecutus, ibi Calvinianus quidam Conradus Vorſtius [a] eorum ob libertatem, æternitatem ipſis ex oppoſito denegare auſus fuit. Nempe hoc ſibi proprium habent errores omnes, ut ex eadem radice quæ infidelitas eſt, oborti, in varios inde ſurculos abeant, quibus invicem adverſentur. Porro hic ne videretur divinum quidpiam quod in re Deus eſſet, temporaneum impudentiſſime comminiſci, prolapſus eſt de profundo in profundum, decreta Dei aſſerens accidentia quædam eſſe ab ipſius ſubſtantia longe diverſa. Qua quidem blaſphemia rationem in Deo puriſſimi actus evertit, aſtruitque illum *perfectibilem* (quo nihil impium magis, neque ſtolidius) per creatas quaſdam perfectiones, ſuapte hinc defectivas conditione ac natura.

[a] In tractat. de Attributis pag. 207.

386 Quanquam igitur ea ſit operationis liberæ creaturarum conditio, ut tempore præſupponat in intellectu deliberationem quandam (veluti ac qui decernit, ſi libere quidquam facere decernit, prius deliberet, oportet, quam decernat) nil tamen prohibet, quin Deus infinitus & perfectiſſimus, quem ea propter ſimul velle & intelligere profitemur, potuerit eodem prorſus inſtanti & ex æterno deliberare una & decernere. Quid quippe Patres & Scripturæ iterum ac ſæpius nos docent, quam plura Deum liberrime juxta & æternum voluiſſe? Verum hic virum impium ſuarum blaſphemiarum ſtudium tranſverſum agit, quum alibi, ex alio etiam blaſphemandi nomine, oppoſitum profeſſus fuerit inquiens: [b] *Certum eſt, decretum Dei de bonis efficiendis, malis autem permittendis jam inde ab æterno factum eſſe.*

[b] Pag. 66.

Digitized by Google

DE VOLUNTATE DEI SALVANDI OMNES.

De modo intelligendæ hujuſmodi voluntatis.

387 PAullus Apoſtolus ad Timotheum quum verba faceret, æternam nobis, quæ conferatur, ſalutem ominaturus, multo in id propenſiſſimam, multiſque actam amoribus voluntatem Dei reſeravit: *Qui vult*, inquit, [a] *omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Quia tamen non omnes actu ſalutem adipiſcuntur, nec veritatis ſeu fidei perfuſam habent ſplendoribus mentem ſuam, in cauſſa ipſum eſt, quod in ea voluntate interpretanda Theologi non ſibi conſtent. Quampluribus [b] id animo affixum hæret, ut non admittant, hujuſmodi benigniſſimam voluntatem intellectum iri pro ſingulis, ſed una quadam exponendam eſſe ex tribus ab Auguſtino datis interpretationibus. Siquidem hic primo illam accipit *per diſtributionem accommodam*, ut omnes ſcilicet, qui ſalvi fiunt, a Deo volente ſalventur. [c] Secundo *pro generibus* duntaxat *ſingulorum* ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. [d] Tertio, quia vult ipſe Deus & præcipit, ut cupiamus omnes ſalutem, ſuaſque partes quiſque agat, quo ſalvus fiat. [e]

[a] Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 4.

[b] Scotiſtis, ac nominalibus cum Paſqualigo.

[c] De Prædeſt. SS. cap. 8.

[d] Enchir. 103.

[e] De Corrept. & Gratia cap. 15.

388 Verum id nobis maxime optatum foret, ut pluribus delectis, objectiſque Auguſtini textibus, minime diſſimularetur, eum etiam in locis aliis, & præcipue *de ſpiritu & litera* [f] docuiſſe, Apoſtolum recenſitum de omnibus omnino hominibus, infidelibus quoq. ac pereuntibus, abſolute & ſine aliqua intelligendum reſtrictione. Te inde velim cum Angelico [g] admonitum, Divum Auguſtinum, ubi oppoſitum docuit, intellexiſſe ſolum de voluntate *abſoluta & conſequenti*. Porro Divus Ambroſius hoc etiam modo interpretatur ſententiam illam, ut inibi ſermo ſit de quibuslibet omnino hominibus: *Si Deus*, ait, [h] *qui Omnipotens dicitur, omnes homines ſalvos vult fieri, quomodo non impletur ejus voluntas?* & ſubdit, *quia vult ſalvari, ſi ipſi velint*. Idem habetur apud Johannem Damaſcenum, Clementem Alexandrinum, & alios Patres; ut inde conſtans eorum judicium, quid nobis ſentiendum ſit, rem demonſtratam faciat.

[f] Cap. 33.

[g] In 1. diſt. 45. q. 1. art. 1.

[h] Ad ea verba Paulli.

389 Et ſane, ni res ita ſe haberet, jam Catholicis firmum non eſſet, oppetiiſſe Chriſtum pro omnibus & quibuslibet; quæ una eſt ex propoſitionibus illis, quas Innocentius X, & Alexander VII. proſcripſere contra Janſenium. Apoſtolus enim in eo maxime fundat velle

Deum

Deum omnium ſalutem, quia pro omnibus Chriſtus Dominus ſuum Sanguinem fuderat. Neque alias ullus tunc ſuis auſis excideret, qui præſumeret a ſe comprobatum: præcepta ipſa; ut omnes puta bene operentur, nec peccent; nullatenus extenſum iri ad quoſcunque homines, ſicque ſceleſtorum nullum Spiritui Sancto reſiſtere, divinæq. in ſuis operibus reluctari tunc voluntati.

390 Tametſi vero hæc Dei voluntas generalis ſalvandi omnes, quæ ab illa ſua erga nos benevolentia proficiſcitur, quæque voluntas *beneplaciti* eſt, & *antecedens*, non in omnibus, quoad effectum, ſit ipſa efficax, *dum ſe* plures *fraudant* ſceleſti homines *magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant*, ut loquitur Auguſtinus; [a] fore tamen ſuadearis, quoad ipſum Deum, *efficacem conditionatam*, non quidem per omne medium poſſibile Deo volenti, ſed per ea ſæpiſſime, quæ naturæ curſum non impetunt, legemque ordinariam; licet aliquibus beneficientior, illis eos mediis ſalvet. Totum interim tibi periculum ablatum eſt, quo in id prorumpas: ſæpe nempe evenire minus, quod Deus velit, quoniam plurimi ſuo malo damnantur, quos ſalvos vellet: *Omnia* nimirum voluntas Dei, vinci neſcia, *quæcunque voluit, fecit*, [b] ſed quo profecto voluit modo, qua quid ſibi conditione faciendum propoſuit. Nec infideles qui contra Dei voluntatem Evangelio non credunt, eam vincunt, ait Auguſtinus; [c] *experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus; vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemtoribus faceret.*

391 Videtur tamen hoc ipſo, quod ita plures divinæ gratiæ ſceleſtiſſimi non famulantur (id quod Deus in ſuæ adimplendæ voluntatis conditionem propoſuit) ex vero is animi motu cordiſq. ſinceritate ſalutem omnium non exquirere: ſecus enim, qui omnia novit, facile daret media queis certiſſime quiſque vellet, ac ſalus obtineretur. Verum utrunq. iſtud, & unum & alterum horum habet benigniſſimus Dominus, & voluntatem ſalvandi omnes, & adhibendi apta media, per quæ ſalutem adipiſcantur. Quod autem non omnia media ſequatur ſalus, in cauſſa eſt, quia illis iniqui plures reſiſtunt. Cujus ſane rei præſcientia (ut infra [d] uberius doceberis) quum non præcedat, ſed ejuſmodi ſubſequatur voluntatem dandi ſingulis apta media, non impedit, quominus ipſa ſincera ſit, & quantum de ſe ſatis efficax, reſpectu etiam ſingulorum.

392 Atque hæc eſt cauſſa, cur Deus ante peccati præſenſionem voluntatem *conditionatam* habens perdendi ſingulos in eo deceſſuros (quam & Adæ ab initio reſeravit, minatus ei mortem, ſi de ligno vetito manducaret) non inde tamen voluntatem *antecedentem* habere dicatur, ut omnes pereant. Nimirum non ſicuti mori in gratia, ita & in culpa, vel a Deo provenit, vel ad illud is excitat, quin multifariam

retra-

[a] Loc. proxime laud.

[b] Pſalm. 113. verſ. 11.

[c] Ibidem.

[d] In de Prædeſtinat., quæ *de ordine ſignorum in Prædeſtinando*.

Digitized by Google

retrahit. Ex quo igitur ipſe cupiat, ut omnes ſalutem adipiſcantur vitentque mortem, perapta media per quæ ſinguli hominum excitentur, ad id muneris tribuat; quidni nonniſi recte dicimus cum Divo Paullo, [a] *velle omnes homines ſalvos fieri*, cumque Divo Petro, [b] *neminem velle perire*?

a 1. ad Tim. loc. laud.
b 2. Petri cap. 3. verſ. 9.

De Chriſti Morte pro omnibus.

393 FUndata prædicta hac beneficentiſſima Dei voluntate in eo qui morte ſua vitam protulit Servator noſter, ſi non pro omnibus hic mortuus eſt, nec omnes vivificandos, eiſque nec ſalutem comparandam voluit. Magnum inde nobis in præſentia rerum Hetherodoxos a nobis eliminandi motivum conſurgit. Hi volunt, electos unos fuiſſe a Crucifixo Domino inſpectos, quum moreretur, utque ſolos in cæleſtem hæreditatem cooptaret, ſuam hunc Patri animam & ſanguinem, ceu pretium quo illam eis emeret, tradidiſſe atque effudiſſe. Quocirca extremum alium a Semi-pelagianorum errore, quo ita Chriſtus pro ſingulis æque immolatus proponebatur, ut non majus electis quam reprobis beneficium contulerit, profeſſum habent. Non tamen illis modo nobiſcum controverſiæ momentum facit, num Chriſti paſſio & ſanguis ſufficiens pretium in ſe fuerit, quo ſinguli redimerentur, infideles quoque, vel reprobi, quin & dæmones damnatique: nullum enim eo dementiæ deveniſſe, ut id negaret, compertum nunc uſque eſt. Sed ſolum, an ſe Chriſtus defacto pro omnibus quibuſque hominibus propitiationem redemtionemque dederit, quod ſupra illud, aliud adjungit: intentione videlicet morientis, neceſſarium *pretium* pro illis *oblatum ſolutum*que *eſſe*.

394 At enim quid aliud Apoſtolus originalem maculam omnibus omnino adhæreſcentem propugnaturus, evincit, quam pro omnibus Chriſtum Dominum fuiſſe mortuum? ſic enim habet: [c] *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Futurum autem fuiſſet, ut inepte hoc Divus Paullus deduceret, ſi pro ſolis prædeſtinatis mortuum vellet. Quid aliud ex Conciliis, dum Tridentinum: *Ille pro omnibus*, inquit, [d] *mortuus eſt: non omnes tamen beneficium mortis ejus recipiunt*: ſicque ſupponit etiam pro reprobis divini Sanguinis pretium oblatum eſſe? Quidque tandem ex Patribus, ubi Auguſtinus: [e] *Omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus*? ubi Ambroſius: [f] *Omnibus Chriſtus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit, & hoc divinæ miſericordiæ deputatur, qui pluit ſuper juſtos, & injuſtos*? ubi Chryſoſtomus:

c 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 14.
d Seſs. 6. cap. 3.
e Lib. 20. de Civit. Dei cap. 6.
f In Pſalm. 118. cap. 8.

Digitized by Google

mus : [a] *Pro omnibus guſtavit mortem, non pro fidelibus tantum, ſed pro mundo univerſo?* ubi ceteri quotquot evolveris, in idem redeunt ac recidunt? Neque animo tibi inſideat, fuiſſe id forte Patres locutos in ordine *ad ſolam pretii ſufficientiam*; dum æque tunc illis & pro dæmonibus oppetiiſſe ac reſurrexiſſe dicendum propugnandumque erat.

[a] Hom. 4. in cap.2.ad Hebr.

395 Chriſtus igitur quoad *affectum* cordis ipſius *dedit ſe Patri REDEMTIONEM pro omnibus*, ut Paullus ad Timotheum : [b] *Et PROPITIATIO eſt pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, ut quoq. Divus Johannes. [c] Factum eſt tamen, ut quum neminem a ſua ipſe pietate excluderet, ab ea ſe plures, fato peſſimo, quoad *effectum* excluſerint; quin tamen egiſſe unquam potuerint, quo minus ad eos redimendos vere *pretium* obtuliſſe ac ſolviſſe diceretur. Eaque id ratione, qua reproborum qui vitam degunt, degebantque a Chriſti morte, vere omnes, & abſolute cæleſtem patriam ingrediendo, ſi velint, ſunt, atque erant, quin Chriſtus denuo moriatur, & crucem ſubeat. Ceterum pientiſſimo Domino haud aliter accidit, quam pio cuidam Principi eveniret forte, ſi dato, ut Chriſtianos Tyrannus ſibi mancipia manumitteret, ſufficienti pretio, mallent aliqui libertatem qua erant donandi, reſpuere.

[b] 1. cap. 2. verſ.6.

[c] 1. cap. 2. verſ. 11.

396 Nihilo tamen ſecius inficias non ibimus, permagnæ hic nobis moleſtiæ eſſe Dominicam quandam Orationem : [d] *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi*. Qui quanquam piiſſimus omnium Redemtor, quem modo mundum excludit, infra etiam inſpexerit : [e] *Ut credat mundus, quia tu me miſiſti*; alium tamen ex Auguſtino videtur habere intellectum, quam qui hanc rem noſtram ſuadeat. Duos apud illum [f] apparet animadvertiſſe Servatorem hunc mundos; unum *reproborum*, de quo legimus : [g] *Ne cum hoc mundo damnemur*: alterum *infidelium*, & ſane illorum qui in eum credituri erant, deque eo ſic dicitur : [h] *Venit Filius hominis, ut ſalvetur mundus per ipſum* : atque hunc unum in ſequenti tum oratione ſpectatum commendaſſe. Quaſi quod, quum jam noverit, quo quiſque illorum ex æterno prædeſtinatus erat, decretumque hujuſmodi neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſe ipſum velle mutare, incaſſum, & contra ſuam etiam voluntatem fudiſſet tunc ipſe preces, ſi fudiſſet. *Si enim de aliquibus*, ait Auguſtinus : [i] *Eccleſia certa eſſet, quod ſint prædeſtinati in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis NON ORARET, quam nec pro ipſo*.

[d] Johan. cap. 17. verſ. 9.

[e] Ibid. verſ. 21.

[f] Tract. 110. in Johan.

[g] 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 32.

[h] Johan.cap. 3. verſ. 17.

[i] Lib. 21. de Civit.Dei cap. 24.

397 Verum, quæ implicarent nos tot ambages, quæque brevius ad capita duo referuntur, & ad impiorum omnimodam præſcientiam, & ad eorundem, ob id, a Chriſti precibus excluſionem interdictumque; ab his jam longe factos, ne dum explicitos vindicant, quæ non mediocria ſequerentur abſona auditu, ſi quam illæ in nos vim habe-

rent.

Digitized by Google

rent. Qui enim tunc fiet, ut collatas impiorum quampluribus Chriſti gratias profiteremur, queis videlicet ad agnitionem veritatis non pauci accederent, a malo ſæpe liberarentur, & a peccato pluries reſurgerent, ſi ſua pro impiis ora tenuit, optandas preces non fudit? Quique etiam potuit Chriſtus Dominus orare Patrem, ut *a ſe calix tranſiret*, quippe qui jam ſciebat, fore ut ab eo non eſſet tranſiturus? Duplex igitur orandi genus in Chriſto; ita ut oratio *ſpecialis* & *conſeſequens* ad unos pertineat prædeſtinatos; *generalis* autem, & *antecedens* omnes omnino homines complectatur. Neque Auguſtinus poſtremo loco aſſertum noſtrum, atque alibi ſuum verbis illis evertit. Inibi nanque diſputat contra hæreticos Origeniſtas, [a] effutientes, damnatos omnes ac dæmones iri tandem oratione Eccleſiæ poſt judicium ultimum liberatum.

[a] In ipſo enim capitis fronte ait idem Auguſt. propter eos diſputare, *qui in judicio Dei omnib. reis propter Sáctorum preces putant eſſe parcédum.*

398 Contineat igitur Eccleſia cor ſuum, incaſſum alias oratura, dum eo ſuas animo, ne decretum damnationis quorumpiam, abſolute latum, ſuaque haud commutandum natura, executioni mandetur, preces funderet. Solum ſiquidem orare poterit, ne ponatur illud; nec revera aliter orat. Quo ſane quidem haud diſſimili modo omnes oramus, quando nobis (uti ſæpius ac ſemper) neceſſitudines occurrunt, diverſiq. undique motus animi ac deſideria nos urgent. Et quanquam decreta Dei ſint ex æterno jam poſita, eorum tamen non pauca *relate* ſolum ad futuras noſtras ponuntur orationes, Deo ipſi ab æternitate præſentes. Hoc ergo modo *conditionate efficaciter* oravit Chriſtus, ut a ſe calix tranſiret, eodemque oraſſe volumus pro cunctis quibuſque reprobis, conditionate quidem, ſi Pater, ſique homines velint.

399 Et ſane id potiſſimum; quod iccirco improbi reprobantur, quia Chriſti Domini orationis, & mortis abuſum contemtumque fecerint. Prius inde decretum videt generaliſſimæ ſuæ orationis, ac mortis pro omnibus, quam gehennæ plurimos addicendos; ſolum autem vetare potuit ea præcognitio, ne *ſpeciales* alias, & *conſequentes* pro reprobis preces funderet; ad quas ex oppoſito pro electis ob oppoſitam rationem deſcendit. Id quod ſi videtur etiam egiſſe, ut neque ſanguinem ſuum in pretium redemtionis impiorum unquam obtulerit, quo in filios, quantum ex Chriſto eſſet, adoptarentur; hoc tamen non egit, & ut quæ ſua erant, Servator poneret, & ut verum ſit, in plena omnium poteſtate eſſe, quo in cæleſtem ſuſcipiantur patriam: dum pretium redemtionis debitæ ſit pro ſingulis jam ſolutum.

400 Eam ob rem, ni volueris, effectum fructumq. paſſionis ſuæ reſpexiſſe, dum ait moriturus Dominus, *pro multis* ſanguinem ſuum *effundendum*; [b] ibi *multos* valere idem, dicas, ac *omnes*, ſi e contra amorem ſuum intenſiſſimum, intentionemque morientis. Phraſis hæc in ſcripturis haud nova eſt: ſic *multa peccata* [c] remitti dicuntur Magdalenæ,

[b] Marci cap. 14. verſ. 24.
[c] Lucæ cap. 7. verſ. 47.

Digitized by Google

næ, dum parcitur omnibus quæ multa ſunt; ac *per unius hominis inobedientiam* infectis ſingulis, *peccatores*, tamen dicitur, quod *multi ſunt conſtituti*. [a] Sed & totam etiam dubitationem aufert, ſi dum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, præſentem Judam habebat, [b] ad quem tum ſane, tametſi reprobum præſcitumque, hanc una & ad reliquos: *Sanguis meus pro vobis ſundetur*: [c] ſententiam direxiſſet.

401 Ubi igitur Concilium Valentinum III. [d] Chriſti Sanguinem pro eis docuit effuſum; de quibus ipſe Dominus dixerat: [e] *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit, per ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*; nil aliud damnatum voluit, quam quod plurimi Origeniſmum ſapientes docuerant: Chriſtum nimirum adeo pro omnibus oppetiiſſe, ut ad ſibi etiam in infidelitate præmortuos [f] ſuam ipſe mortem direxerit; atque iccirco ex inferni pœna eripiendos tandem, putaverant. Id quod ex damnatione ipſorum ſit palam, qui præmittuntur effutiiſſe, Sanguinem Chriſti Domini *pro illis etiam, qui a mundi exordio uſque ad paſſionem ejus in ſua impietate mortui, & æterna damnatione puniti ſunt, effuſum eſſe*. Ceterum exemplum adducti Serpentis, quid forte credis? nos juvat. Hunc enim propterea exaltavit Moyſes, ut non pro quibuſdam ſolum, ſed pro omnibus & ſingulis qui percuſſi fuerant (eſto tamen hi ſoli ſanati ſint, qui in eum aſpexerunt) extulerit, exaltarit. Ita & Chriſtus pro omnibus in Cruce fuit exaltatus omnino hominibus, ac mortuus; ſed illi tantum qui, ut habet Paullus, [g] *aſpiciunt ad autorem fidei, & conſummatorem Jeſum*, ob eundem ſalutem adipiſcentur & ſalvabuntur.

a Ad Roman. cap. 5. verſ. 19.
b *De hoc contraria eſt ſentent. in Conſtitutionib. vulgo Apoſt. lib. 5. cap. 13, & apud Dionyſiũ, Hilariũ, alioſq.*
c Lucæ cap. 22. verſ. 20.
d Canone 4.
e Johan. cap. 3. verſ. 14.
f Opportune ſane Auguſtin. lib. 1. de adulterin. cõjugiis: *omnis qui redemtus eſt, homo eſt; non omnis qui homo eſt, redemtus eſt*.
g Ad Hebr. cap. 12. verſ. 2.

De quinta propoſitione Janſenii, deque hiſtoria Janſeniſmi.

402 Optares in ipſo exordio tibi datam hiſtoriam Janſeniſmi, progreſſuſque ejus; ratumque tuum ſane votum efficimus; niſi quod unam modo propoſitionem illius, quæ ad rem ſola facit, expendimus, eamque hic quam rectius conſtituimus. De aliis quatuor, quod alibi ſuum ſibi locum vindicant propriorem, nunc nobis ſilentium indicitur; facturoſque tamen tibi opus pollicemur, quum de *Libertate humana*, & *divina Gratia* tractatus ſe offeret. [h] Inibi etiam, quæ fuerint duo illius aberrandi fundamenta principaliora, queis ſuper conſtruxit, ſuperque impoſuit totam molem nomen quinque omnium famoſarum propoſitionum, doceberis. Quapropter ut ego dem manus, incipiam.

h In noſtra ſecunda operis parte.

403 Cornelius iſte Janſenius natione Belga Epiſcopatum Iprenſem in Galliis nactus eſt, qui dudum lauream in Lovanienſi Univerſitate,

Digitized by Google

tate. In ea tantum profecit, quo brevi *Commentaria* in Pentateuchum & quatuor Evangelia condens, ſibi celebre nomen adeptus eſt, multorumque animos in ſui admirationem traxit. Conſcripſerat propterea magnæ molis volumen de *Gratia Chriſti*; quod fatis ultimis, quibus obviam ſæpe ibat, dum pie chriſtianeque lue morbidis inſerviret & adſiſteret, devictus tandem, fractuſque anno 38. ſeculi XVII, publicum facere nequivit. Iſtud ſequenti mox anno Henricus Calenus una & Libertus Firmondus, id muneris aggreſſi præſtiterunt, feceruntque operi nomen: *Auguſtinus Cornelii Janſenii*: quod hic ſibi adularetur, ac ut Auguſtini puram putamq. de *divina Gratia* doctrinam in eo codice explicaret & exhiberet, quam antehac fere ſinguli neſcivere. Qua porro Autor novitate ipſe timens, ne non fortaſſis ad veritatem accederet catholicumque intellectum, ſubjectionem propterea ſuam judicio correctionique Romanorum Pontificum aperte in fronte operis inſeruit, cujuſque etiam rei memoriam in teſtamento tradidit declaratam.

404 Vulgato opere, quum in contraria ſtudia ſcinderentur qui legerant; factum eſt, ut dum aliqui e cælo delapſum Auguſtinum in eo venditarent, atque alii plures id ipſum opus, ceu pſeudo-Auguſtininum, erroribuſq. infartum reprehenderent, Urbanus Papa VIII. libri hujus lectionem omnibus interdixerit: [a] id quod Janſenii cultores *ſubreptitie* factum dolebant, conquerebantur; eſtque una ex propoſitionibus ab Alexandro VIII. proſcriptis. Interim per ſacram Facultatem Pariſienſem Academiæ Sorbonicæ quinque ex eo excerptis hinc inde quæ male olebant propoſitionibus, inſtiterunt Epiſcopi Gallicani ad numerum pluſquam octoginta, ut ſuo Innocentius X. examini ac judicio illas ſupponens, de iiſdem ſententiam ferret ultimam, atque cauſſam finiret. Amplexatus opus, quod ſua intereſſet, Pontifex, maturaque præmiſſa diſcuſſione, ſingulis cenſuras ſingulas inuſſit. Cui propterea, morem ipſi gerentes laudati Antiſtites, datis literis [b] extemplo gratulati ſunt.

[a] Conſtitutione ſua quæ incipit: *In eminenti.* 1641.

[b] Sub die 15. Julii 1653.

405 Contemtum autem egere Janſeniani, quaſi, *inauditi*, damnati eſſent; ac relicto eo, quod ſat impervium incedere conabantur iter: Auguſtinum nimirum peti ac percelli per Janſenium confixum, ac doctrinam inde Catholicorum inverſum iri; aliud propterea tametſi minus ſpinoſum, non minus tamen ſeptum, & clauſum aggreſſi ſunt. Proteſtati quidem laudatis propoſitionibus ſuam ſe tandem admoturos manum, qua proprium quiſq. nomen in earum reprobationem ſubſcriberet; has nihilominus, ut Janſenianas, nolle cognoſcere, ac ſi fortaſſe in eo illæ quodammodo reperirentur, alium penes propugnantem Janſenium habuiſſe intellectum, quam apud Pontificem proſcribentem: qua quidem *in facti quæſtione* nullo Judice opus eſſe, ſed

ſanis

ſanis oculis. Effugium hoc Conſtitutione ſua [a] præcluſit Alexander VII, decrevitque, Innocentianam amplius conteſtatus, nullum Janſenio fuiſſe illatum gravamen, dum ex ejus opere fideliter excerptæ quinque illæ enunciationes, *in ſenſu ab eodem intento*, quia falſæ, damnatæ ſunt. Exinde (quod adhuc ſerperet error) *Formularium* quoddam inſtituit, [b] cui omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, etiam Moniales ſubſcriberent, jureque jurando faterentur, ſe damnaturos, devotoſque diris quinque illas *in ſenſu a Janſenio intento, & a Sede Apoſtolica reprobato*. Id quod Regia cogente tandem Autoritate Janſeniani quoque etiam præſtitere.

[a] Quæ incipit *Ad Sanctā* 1656.

[b] 15. Calend. Martii 1664.

406 Sed nova fraude vim juramenti eludere conati ſunt: quippe qui proteſtantes, quoad *facti controverſiam*, continere ſe intra limites *externæ* duntaxat *obedientiæ* & religioſi ſilentii; ceterum penes ipſos pro comperto haberi, inquiebant, laudatas illas propoſitiones nec reperiri in libro Janſenii, nec fuiſſe in ejuſdem ſenſu Autoris proſcriptas. Huic novæ peſti graſſanti & certiſſimam perniciem adlaturæ obſtitit Conſtitutione ſua [c] Clemens Papa XI, definivitque, ad ſubſcriptionem *Formularii Alexandrini* requiri nedum externam, ſed *internam* quoque *obedientiam*, cordiſque ac mentis firmiſſimam adhæſionem, ceu illam, ſine qua externa ſpecies obedientiæ nonniſi vera ſimulatio foret, illuſio, hypocriſis, ac mendacium ſacrilegum adverſus Spiritum Sanctum.

[c] Quæ incip. *Vineā Domini Sabaoth* 1705.

407 Quæ quum ita ſint; nullus ſane jam dubitabis, quo reapſe minus in famoſo Janſenii libro famoſiores illas adinveniri enunciationes, tibi facile ſuadeatur, atq. *in ſenſu intento ab eodem*, ut Alex. VII. declaravit, ſeu *in ſenſu obvio quem verba præſeferunt*, ut Innocentius XII, fuiſſe omnes damnatas ac profligatas. Cui porro rei, ni quempiam ſuæ ſtudium cauſſe tranſverſum agat, nemo unus contraire illorum audebit, qui oculos ad præfatum opus ſemel intenderit. Compertam heic modo nos ſolam ultimam dabimus, quæ loci hujus eſt, ſicque habetur: *Semi-pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Quam an tradiderit, & quonam profecto ſenſu Janſenius, is nobis ipſe declaret. Nempe poſtquam Semi-pelagianorum ſententiam propoſuit verbis in illis, [d] *Tanquam firmiſſimam baſim errori ſuo collocarunt* (Maſſilienſes) *quædam ſcripturæ verba, quibus dicitur omnes velle ſalvos fieri, & eſſe Redemtorem omnium*; ſubdidit poſt alia; *Non enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino paſſus, aut mortuus eſt, quum hoc potius tanquam errorem a Fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum*: juxta quod alibi, quum de Hæreſi Pelagiana, abſolute habet, [e] *Chriſtus non pro totius mundi redemtione crucifixus, & mortuus eſt, ſed tantum pro his qui ſalvantur*. Ut proinde oleum & operam perdidiſſe noveris *Paullum Aurelium* Theologum Timaletenſem, qui *in Panegyri* quadam *Janſenia-*

[d] Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 20. §. *Reſpondeo* p. 162.

[e] Ibid. lib. 8. cap. 26.

na hujuſce cauſſam ſuſceperat. Ea quidem quæ illius loca adfert ex capite 21. libri tertii, [a] alio tendunt quam venditat; ſolamque pretii in ſe ſufficientiam aſtruunt, non voluntatis. *Non nego*, ait, *pretium iſtud infinitum, eſſe ſufficiens ad redemtionem omnium . . . ſed nego Chriſtum PRO OMNIBUS nullo excepto ſe dediſſe REDEMTIONEM.*

408 Attamen quo Janſenii mentem bene habeas cognitam, tu velim ſcias, non ita reprobos divina beneficentia deſtitutos hunc autumaſſe vel crediſſe, ut nullum omnino influxum recepturos fore putaret. *Pro his enim*, inquit ille, [b] *mortuus etiam eſt Chriſtus, & propitiatio peccatorum eſt, & pro illis rogavit Patrem, ſed in quantum temporalibus quibuſdam divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt.* Et vere ob Chriſti meritum non ſemel reprobis dantur gratiæ, ut quandoque a peccato reſurgant, diaboli ſuggeſtionibus non ſuccumbant, & ut vere ſint ad tempus juſtificati. Atque hoc non ſolum illis, qui poſt Chriſti mortem damnantur, verum & qui Chriſti paſſioni præmortui ſunt; qui quidem omnes ob infinita merita ſanguinis illius hujuſmodi gratiis condecorantur. Voluiſſe tamen, ut non pro ſingulis ea intentione Chriſtus ſit mortuus, ut omnes cæleſti patria æternaque gloria donarentur; ſicque in pretium redemtionis proque fundando jure ad beatam mercedem ac regnum, ſanguinem ſuum non fuderit pro reprobis paſſionem ſuam ſubſequentibus, uti nec pro iis qui anteceſſerunt: dum ſi damnatos hos viderat, illos præviderat.

409 Id tamen non mihi ex animo effluit, difficilem quendam, Janſenio ſpecie tenus faventem, ex *Eccleſia Lugdunenſi* petitum extare locum, Nimirum S. *Remigius* Epiſcopus ex communi illius ſuffragio *Gotheſcalchi* cauſſam (ut infra) proſecutus, ubi hunc divini Sanguinis pretio injurium traducunt *Hincmarus* & *Rabanus*, in hæc ab iis illum vindicaturus conviciis deſcendit: [c] quod nempe, *pro iis TANTUM qui credere voluerunt datum eſſe* Dominicum Sanguinem, *manifeſtum ſit beatorum Patrum ſententia: etſi inventi ſint alii æque Patres, qui illud pretium pro nunquam crediturıs datum eſſe non abnuant.* Concluditque poſt pauca: *illud manifeſte DIVINA autoritate FIRMATUM eſt, & iſtud ſi pie ſentitur non eſt abnuendum.* Certe alium quam præ ſe verba ferunt, is iſte locus implicat intellectum. Et quidem mihi ego videre videor ſinceriſſimum illius ſenſum: *efficaciorem* nempe plus æquo putaſſe quoſdam qui carpuntur iis verbis, potentiſſimum Chriſti ſanguinem; ita ut etiam reprobis *jam præſcitis* profuturum tandem crediderint antiquumq. *Origeniſmum* redoluerint. [d] Secus enim quei fiat aut factum eſt, ut *pro OMNIBUS in ſua etiam IMPIETATE morituris Chriſtum mortuum fuiſſe*; alibi [e] Lugdunenſis idem conventus & ipſe profiteatur, & aliis omnino profitendum prædicet? Siccine ergo quod *divina* nuper *autoritate firmatum* monet, humana mox ſua totum conterit, ſuiq. immemor quod in aliis reprehendit, in ſe uno imitandum exhibet?

a *Nempe intellexiſſe Janſenium*, Chriſtum eſſe paſſū pro omnibus plus dicere, (*quæ ſunt Janſenii-met verba, quæ inter citata interſunt*) quam nude pretium ſufficiens obtuliſſe: *ut eum proinde putet Aurelius admiſiſſe Chriſti mortē pro omnibus quoad ſufficientiam.*

b Ibidē poſt pauca.

c Lib. de tribus epiſt. c. 24. ut in Bibl. PP.

d *Hincmarus enim nunc petitur, quippe* de Origeniſmo *ſuſpectus* (*ut inf. num. 455.*) *Dominicū ſanguinē dānatis efficacē ac profuturū volens. Quod ſi pie* ſentitur, *ſeu ſi per impoſſibile pœniteret illos ſincere ac uti oportet*, nō eſſe abnuendū, *dicitur*, *Vel etiā* pie ſentiri *poteſt; quatenus ob merita Chriſti ſanguinis plectuntur citra condignum in inferno dānati, quibus propterea ille proficit.*

e Ibid. c. 28.

DE

DE PROVIDENTIA DEI.

DE TEMPORALI PROVIDENTIA SVPER TERRAM.

410 TOt ſuæ Deus *Providentiæ* ineffabilis habet teſtes, quot creaturas; non intelligentes modo, non animantes, ſed & quoq. *inſenſatas*. Sua volucribus grana non deſunt, ornamenta floribus, ſtatiſque tandem temporibus ſua etiam terræ pluvia. Recta igitur de ea in Evangelio verba facturus erudiendos homines confirmandoſq. ad creaturas illas Redemtor noſter potuit remittere, utque eas ii perſcrutarentur, jubere. Conſideremus, inquit, [a] *volatilia cæli & lilia agri*, quæ quum non congregent in horrea neque neant, uniceque Deo providente abunde paſcantur, ac non aliter atque olim ſplendidiſſimus *Salomon*, niſi ſplendide magis, veſtiantur; abundantius rei noſtræ nobis argumenta ſufficiunt, modicamq. etiam fidem exprobrant iis hominibus, qui quum magis pluris ſint ipſis, ſeſe tamen minus habitos minuſque proviſos ineptiſſime conqueruntur. Neque etiam quandoque minus effutiunt, ac ille *Eliphas Themanites*, [b] cui curæ fuit, ſed incaſſum, patientiam Job errore quodam turpiſſimo ſubvertere: Deum nimirum ſuper cæli cardines ambulantem nec tantillum noſtra conſiderare. Quod quidem ni falſum penitus; ſuam Deus jam exuat divinitatem neceſſum foret: neque enim plane aliunde, niſi Dionyſius nos fallat, derivatum novimus *nomen Dei*, quam *quod proſpiciat cuncta Providentia*. Porro hanc ad omnes omnino homines ſeſe extendere, eorumque nullum excipiendum, dum ſingulorum eſt Deus, ſententia eſt Patrum conſtantiſſima penes Ambroſium, [c] Auguſtinum, Theodoritum, alioſque plures.

[a] Matth. c. 6. verſ. 26. & 28.

[b] Job. c. 22. verſ. 14.

[c] Lib. 2. definition. c. 13.

411 Nullum inde tibi negotium faceſſat, quod ſcias aut videas exaltatos non raro impios, depreſſos juſtos, his illos faciliter feliciterque inſultantes; ſpretaque ſæpius ratione ac virtute obtinentem primos recubitus audaciam & præpotentiam. Diſpliceret ſiquidem mihi tunc, quod Chriſtianum ego hominem conſolidaturus, ad *Ethnicum* Senecam qui hac de re deque hoc argumento librum edidit pagano viro altiorem, digniorem, penitus aureum; cum rubore cogerer edocendum remittere. Sinit porro Deus, ut ſæpe juſti opprimantur (quin & juſtorum teſſera perſecutio injuſta eſt) eorundemq. vota irrita quandoq. facit, quod fortaſſis perverterentur ſub feliciori fortuna (ſic profecto ut Providentiæ in hac parte res ſit, ſubtrahere providentiam) ut-

que

Digitized by Google

que inſuper ac ferme ſæpius majorem, patiendo, in cælis gloriam adipiſcerentur. Impios vero elevari, eo referas, quia quum æternum cruciandi ſint fere ſinguli; habeant, pium eſt, in hac vita mercedem quandam operum bonorum, quæ forte egerint: ſin minus; ideo factum Auguſtinus te docet, *aut ut corrigantur, aut per ipſos bonus exerceatur.* [a]

[a] In Pſal. 54. ad 1. verſ.

De errore Ethnicorum & Lutheranorum.

412 INcertò quodcunque fluitare caſu, nulloq. agi Dei numine ac moderatione quod noſtra omnium in terris intereſt; fuit id, quod Ethnicorum quondam pleriſq. poſt *Democritum* & *Epicurum* in profundiſſimum ſomnium altiſſimumq. delirium venit. Nec minoris levioriſq. cæcitatis incuſarunt multi *Ariſtotelem* in impetenda quæ humanis noſtriſq. rebus invigilet homineſque procuret, divina hac *Providentia*; ut Patres olim devoventes diris maledictiſque inceſſentes Philoſophiam ejus, ut qui etiam ex eo-met ſonte de *animæ immortalitate* non minus male audiens deprehenderetur, uni illi *Platonis* de ambobus utriſque dogmatis dignius apertiuſque philoſophantis dederint manus longoque uſu ſacrarint. Interim divinam in terris providentiam datis operibus vindicarunt, impugnatoreſque invictiſſime obtuderunt.

413 Ethnicis adhærere impius *Lutherus* non dubitavit; tantoque id perverſius, quanto clarius expreſſiuſque doceretur eam veritatem, obteſtantibus Patribus & ſcripturis: qui proinde, quod profligando ipſi *Beatiſſimum* Deus CAJETANUM fundatamque ab eo *Congregationem* provide objecerit, effutientem linguam ſuam compeſcere ac prohibere debuiſſet. Suis ſe jam auſis defraudatum vidit, quibus *Providentiam Dei ſuper terram* inficiari conatus eſt; dum hujuſce in Patriarcha illo, & dictis animadvertit propugnatorem acerrimum, & factis mirabilem oſtenſorem. Eo tantum nos non referimus, quod quemadmodum Eccleſiæ Chriſti agitatæ ſæpius, diverſos diverſis temporibus illuſtres viros, ut *Athanaſium* ætate Arii, *Auguſtinum* Pelagii, *Cyrillum* Neſtorii, Waldenſium *Dominicum*, alioſque id genus multos qui doctrina juvarent illam ac ſolidarent, ita & Lutheri tempore CAJETANUM qui & *facto*, Deus providerit: ſed illuc inſuper, quod quum temporalem impius Providentiam inficiaretur, longe opportuniſſime CAJETANUS Congregationem fundarit ſuam ſub cæleſti *abſolutiſſima*que Dei *Providentia*; vivo ſui argumento Eccleſiæ hoſtem prorſus omninoque profligaturus. Ut inde nil ſane mirum, ſi ſtatim primo ac audivit inceptum id Romæ opus haud expectatum, latrarit, ululaverit dolore actus, conceptamque cordis triſtitiam his verbis ad ſuos expreſſerit; *Magnum nobis Romæ oritur bellum.* [b]

[b] *Ita pleriq. noſtræ Congreg. hiſtorici: proditq. nuperrime* Domnus Cajetanus Magenis *eruditione ac pietate inter noſtrates celebris, in vita SS. Patriarchæ p. 1. l. 2. c. 1. n. 187. Lutherum maximis illis actú angoribus, quod timeret, ne magnú ſibi gregalibuſque ſuis negotium faceſſeret eximia* CAJETANI *Sanctitas, quem ipſe-met tum quum Romæ anno 1510. verſaretur, facile cognoviſſe potuit.*

414 Sed & quanquam ſi recte perpendiſſet, in aliorum ordinum inſtitutis exhibita quodammodo divinæ Providentiæ monumenta viſurus

ſurus fuiſſet; non parum inibi humanis induſtriæ ac labori ſuum vindicantibus locum deferre potuit. Id igitur maximum inter alios noſtrumque Patriarcham intereſt, quod Auguſtino [a] inter Evangeliſtas notatu dignum occurrit: hi licet omnes Chriſti Domini narrationem profunde exaraverint; multo tamen altius aliis tribus Johannes, qui ut Aquila proceſſiſſe fertur. Quod nimirum, dum ceteri ab humanitate Chriſtum exordiuntur omnibus nota, a ſuo ipſum fonte Johannes, nonniſi divinitus reſerato ac ſublimiſſimo, qui ſinus Patris; *in Principio*, inquiens, *erat Verbum*. Sic ubi pii reliqui Inſtitutores Providentiam divinam, aut in redditibus pietate Fidelium obtentis, aut in eorundem commiſeratione, quam ſubinde quæritando excitarent, moverent, collocavere; a ſuo ipſam CAJETANUS repetiit fonte, qui Deus eſt: quippe qui *nec redditus poſſidere, nec vitæ ſubſidia a Fidelibus petere, ſed ſolis eleemoſynis ſponte oblatis vivere* [b] ſibi ac ſuis propoſuit; nullaque tergiverſatione eludendum ſeſe objecit Luthero, atque ſuos. Quid miraris interim, ſi quem ſingularem effecit Deus hac in re, dum nec primum ſimilem eſt viſus, nec habere ſequentem, DIVINÆ ejus effecerit PROVIDENTIÆ MINISTRUM MAXIMUM Fideliumq. votis in dies perquam probatum?

[a] Tractatu in Johannem cap. 36.

[b] Ex Breviar. Roman. die 7. Auguſti.

DE SPIRITUALI PROVIDENTIA quoad auxilium ſufficiens datum cuique.

415 Quid quidem prodeſſet homini, ſi corruptibile hoc tot providentiis juvaretur, modo non æque, ut incorruptionem induat, ſuppetitiæ ei conferantur? An non autem, qui vitæ noſtræ hujus mortalis ſic ſolicitam gerit curam;& quoq. illius, cui mortalis ſubordinatur, futuræ vitæ, perennis vitæ ac beatæ totam omnem aſſumet,impendetq. nihilq. ſane quod eam concernat,omittet? Quid clarius, ea ipſa in re, quam velle Deum *omnes homines ſalvos fieri*; ut exploratum jam ſit, nulli hominum denegare auxilia ſufficientia ad æternæ ſalutis conſecutionem? Neque enim eo ſe ille inſipientiæ perduxit, ut efficaciter velit ſingulos immortalem gloriam adipiſci, quin ab eodem fonte ejuſmet bonitatis procifiſcatur, ut & quibuslibet ad id operis, ceu finis, proportionata & apta media conferantur.

416 Verum enim vero ſub lite eſt apud Catholicos, an auxilium iſtuc ſufficiens, quod Deus ſe omnibus ex Chriſti meritis conferre paratus eſt, defacto ſingulis conferatur, an autem quibuſdam non ſit magis ille beneficus, quam in promtu exiſtens, ut conferat. Quidam

a Plures de ſchola D.Thomæ apud Gonet, & alii.

dam nempe opinantur, a hujuſcemodi auxilio carere ac deſtitui, ne dum eos infideles quibus Evangelica veritas non illuxit, ſed præterea fideles illos, qui tot ſceleribus obdurati & excæcati, tanto muneri ſeſe impares reddidere. Quidam autem, etſi adultorum neminem, infantium tamen aliquos atque plurimos, eos præſertim qui maternis in uteris ante omnem baptiſmi poſſibilitatem decedunt, eo ſalutari auxilio fore deſtituendos.

417 Pie vero magis de divina Bonitate ſentiunt, Patribuſque proprius accedunt & Chriſti crucem fœcundant, qui nec ſectam nec ſtatum nec ætatem a tanto opere pietatis ac providentiæ longe faciunt vel removent, omnibuſque ſingulisq. volunt parari nedum ſed & conferri indiſcriminatim auxilium quo ſalventur, ſufficiens. Etenim ad infideles quod attinet, ſuaſum eſt, internis quibuſdam illuſtrationibus eorum mentes ſic Deum perfundere,ut ad naturæ legibus obtemperandum inclinent; id quod ſi præſtiterint, ad fidem quoque (ut Centurioni accidit feliciſſime b) fore eos vocaturum. Impiorum etiam cauſſam induratorumq. ſuſcipit Auguſtinus,dum *nullam eſſe*, ait, c *animam quantumvis perverſam*, *quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt*, *in cujus conſcientia non loquatur Deus*. Et Concilium Colonienſe, d *Deus adeo vult*, inquit, *omnes homines ſalvos fieri*, *ut nemini quantumlibet ſcelerato gratiam ſuam ſubtrahat*.

b Actor. cap. 10.
c De ſermone Dñi in monte cap. 15.
d In Enchirid. de Pœnitentia cap. 16.

418 Sed tamen cauſſa parvulorum magnam nobis animi ingerit anguſtiam, quum horum pluribus, inibi oppetere, ubi naſci, ſæpe contingit, quin vel eos luſtralis aqua ullatenus mundare valeat. Nihilo tamen minus hæc de ipſis habet Autor libri de *Vocatione Gentium*, e ſive hic fuerit Proſper, ſive Ambroſius,ſive Leo Magnus, vel alius quiſpiam: eos nimirum *ad illam pertinere gratiæ partem*, *quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus*, *qua ſi bene uterentur eorum Parentes*, *etiam ipſi per eoſdem juvarentur*. Porro ſatis apte ab Autore gratiæ ſaluti puerorum conſulitur, opportunum præbendo auxilium genitoribus ſuis: quemadmodum ab Autore naturæ ſanitati eorundem; quod matri ſolum, dum in utero quiſquis languet, medicamina præbeantur: quæ quidem ſi illa reſpuat; ut de ea queri debet puer qui moritur, non de Dei Providentia, ita etiam de ſuis tantum, ſi non ſalvatur, quod acceptæ gratiæ abuſum fecerint. Verum quoniam illorum non omnes per quodvis ſibi medium poſſibile vult Deus ſalvos fieri; plerunque inde accidit, ut feſtinantibus parentibus ac miniſtris, omnibuſque in promtu jam, quo baptiſmus infanti detur, *Deo tamen nolente non detur*, ait Auguſtinus: f dum nimirum non vult naturæ curſum invertere, ſicque *parvulum in hac vita non tenuit*, *ut daretur*.

e Cap. 32.
f De bono Perſeverantiæ cap. 12.

419 Et ſane quæ miſericordia Dei nunquam excidit, ſeu purget, ſeu

ſeu puniat, ſeu impios apud inferos Deus ulciſcatur (qui quidem *non continebit in ira miſericordias ſuas*) [a] credes inde, viatorum hanc quorumpiam oblituram fortaſſis, quibus nimirum omnibus in manu eſt, Deo fatente, ſalutem, modo velint, hæreditatemque æternam adipiſci? Noluit igitur Eſau ſalutem ſuam, [b] qui *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. Noluit etiam Rex Antiochus, [c] dum *orabat ſceleſtus Dominum, a quo non erat miſericordiam conſecuturus*: noluerunt & alii id genus multi, qui non ſalutares fuderunt lacrymas, dolentes contra gratiæ conatum, non de eo quod peccaverant, ſed de eo, juxta Angelicum, [d] (ut damnatos pœnitet in inferno) quod miſerrimi amiſerant. Hos quidem ſolos & unos converti neſcios *impœnitentiæ*que damnatos, inſpectos vult Auguſtinus a Redemtore noſtro, dum habuit: [e] *Eſt peccatum ad mortem* uſque, *non pro illo dico, ut roget quis*. Quandoquidem de flagitio hocce ita loquitur: [f] *Ego autem dico id eſſe peccatum, fidevi quæ per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem*. Pro hac certe *impœnitentia* finali (quum nulla inferno ſperanda ſalus) non permittitur, ut roget quis. Quod vero alibi dicitur de peccato viatoribus *irremiſſibili*, & quod Deus poſt multa ſcelera impium non convertet, [g] intelligendum, quod difficile iſte convertitur, & illi parcitur. *Quæ quidem peccata*, inquit THOMASIUS, [h] *irremiſſibilia dicuntur; quia iis qui in profundum iſtuc malorum veniunt, raro ſolet Deus pœnitentiæ remedia conferre: qua pœnitentia remota, peccatori remitti peccata non poſſunt*.

420 Nos tamen non fugiunt ſcripturæ multæ, ac ſolennes, in quibus [i] fertur Deus *indurare corda* hominum, *ne convertantur*, *eoſque obcæcare*, *ne videant*: interdictis illis in pœnam in eo ſtatu omnino ſanctis piiſque operationibus, atque id culpabiliter. Verum aut verba hæc minas non excedunt, aut hæc obcæcatio copia luminis eſt, & exceſſus, beneficiorumque affluentia, quibus Deus perinde dicitur obcæcare, ac pater filio male inclinato, ignoſcendo nimis, cauſſa exiſtens cur minimum reſipiſcat, in hujus obſtinationem manus dediſſe dicitur. Id quod profecto fit palam in Pharaone qui quum Deus ad ſingulas preces Moyſi tolleret plagas, indurabatur impius, ne populum dimitteret, ut inde conqueſtus Dominus dicere potuerit: [k] *Ego* ignoſcendo *induravi cor Pharaonis*. Ceterum dare manus bono non poſſe hoſce impios quos *excæcavit malitia eorum*; [l] id ſibi vitio vertant, non gratiæ; quod auxilio propellendæ obdurationis, ſeſeque expergiſcendi reſiſtunt, quo utrunque, unum per aliud ſibi facile factu eſſet. Non ſecus ac in peccatum tandem ruant, neceſſum erit, qui gratiam fugiendi illud in quo verſantur, periculum, atque proximam occaſionem contemnunt. Qui quidem ut omni gratia & auxilio non deſtituuntur, ſic neque illi, eſto aliqua utrique. Hanc porro ſolam, nec

[a] Pſalm. 76. verſ. 10.

[b] Ad Hebr. cap. 12. verſ. 17.

[c] 2. Machab. cap. 9. verſ. 13.

[d] Lect. 3. in eum Paul. locum ad Hebr.

[e] 1. Johan. cap. 3. verſ. 15.

[f] de Correpț. & Gratia cap. 12.

[g] Juxta illud: *Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non convertá eos*. Amos cap. 2. verſ. 1.

[h] To. 2. Theolog. antiq. PP. ad num. 28. teſtimoniorum S. Cypriani.

[i] Iſa. cap. 6. verſ. 10.

[k] Exod. cap. 10. verſ. 1.

[l] Sap. cap. 2. verſ. 21.

ulteriorem excludere, Auguſtino curæ fuiſſe, dum Manichæos impetiturus, laudatam obcæcationem in ſubtractionem gratiæ refundit, id modo plurimum ſuadet, & quod ſuperius enunciavit, [a] & quod Deus aliter nedum non daret gratiam obcæcatis, verum & non daret, ut obcæcaret.

[a] De Sermone Dñi in mõte cap. 15. qui laudatur ſupra, numero 417.

421 Hujus autem rei quo juſtam mente ideam concipias, animadvertas oportet, nomine auxilii ſufficientis unicuique collati, non ſemper intelligi internam vocationem, ſed quandoque extrinſeca media, ſeu ordinis naturalis, ſeu ſuper-naturalis, ut maxime in pueris & amentibus, quibus inde, ſeu quorum bono uſui majora auxilia ſuccedunt, & gratia finalis. Neque Deus ſingulis quoque momentis credendus eſt cuique id operari, ſed quum neceſſitas & opportunitas ſeſe primum obtulerint. Siquidem quum ſæpe ad alia diſtrahimur, quum ſomno tradimur, divina gratia expergiſci nunquam, aut fere nunquam animadvertimus. Hinc fit, quod qui poſt fornicationem quieſcit, ac interim mortem oppetit, ea caret tunc ſufficienti gratia quam contemſit. Ceterum nulli deficit; quum præceptum inſtat confeſſionis, quum illud communionis, quumque aliud ſeſe offert implendum opus.

De efficacia hujuſmodi auxiliorum.

422 NUnquam inducere animum potui, efficaciſſimæ ſalvandorum hominum Dei voluntatis qualecunq. inſtrumentum quod gratia dicitur & auxilium, ob finem hunc a Deo electum atque aſſumtum, de ſe inefficax reputare. Nimirum duo hæc ſimul pugnant, & eſſe inſtrumentum voluntatis Dei efficacis, & ſimul eſſe inſtrumentum non efficax, ſeu non idoneum atque inutile: adeo ut de ſe quanquam fortaſſe gratiarum aliquot id non haberent, quod eſt inſtrumentum eſſe idoneum & efficax; ab ipſa ſola unius divinæ voluntatis cui ſubſunt, efficacitate rem & denominationem efficacium nanciſcerentur: ab eadem nempe elevandæ tunc atque impellendæ forent, ut id poſſint, quod per eas Deus ipſis utens procurat fieri. Quove etiam id modo fiet, ut *inefficaciæ* tunc gratiarum, iis nolle homines aſſentiri, culpæ non vertas? Plane quidem impoſſibile alioqui videretur, quod nemo unus ſeu hominum ſeu Angelorum innumerabilis fere turbæ, & qui fuere & qui extant quique etiam futuri ſunt, Beatiſſima quoque Virgo, totius vaſtiſſimi generis inefficacium gratiarum alicui ſoli vel ſemel ſalutarem præbeat aſſenſum, omneſque omnibus ac ſemper reſiſtant.

423 Verum ubi iſta non urgent; caveas diligentiſſime, ne ſeverum Deum auſterumque turpiter efficias cogitatione hacce tua, quippe

Digitized by Google

pe ita *tollentem quod non poſuit, & metentem quod non ſeminavit*. [a] Reproborum ſiquidem in judicio Dei ſcimus neminem, cui de non præſtitis cibo & potu [b] eſurienti ſitientique Domino exprobratio futura haud ſupererit. At quid ſi collatum illis miſerrimis ſupernum auxilium ſatis virium non habuit & efficaciam, qua *fieret* expetendum opus, hujuſcemodi ac rectiſſime exprobrabuntur? *Gratiam*, neſcio quam, *unice ſufficientem*, quaque præſtare potuiſſent (neutiquam ac nunquam præſtituri, niſi per aliam qua carent, longe diverſam) expoſtulatum cibum & potum, in iiſdem ut ſatis audio conſtituis: ipſi autem non quod profecto *haud potuerint*, ſed quod *non dederint*, damnationem ſubibunt, eamque ſine excuſatione. En ecce ſi præjudicium quodvis partiumque ſtudium ſeponas, *non ſeminantem* Deum opus, qui non ad *agere* ſed ad ſolum *poſſe* gratiam ſeminavit, & opus *metentem*, *tollentem*que hoc, quod *non poſuit*. Vide igitur quid tibi modo opus dicto judices?

[a] Lucæ cap. 19. verſ. 21.

[b] Matth. cap. 25. verſ. 35.

424 Quocirca genuinam Patrum hac in re, ſcripturarumque ſententiam perveſtigantes, atque *Fardellianam*, ut opus fuerit, *de divinis auxiliis* huc arceſſentes doctrinam, inhærenteſque jam dictis; [c] omnem omnino gratiam divinumque auxilium, quæ ab illa erga nos efficaciſſima Dei benevolentia proficiſcuntur, ſua quoad ſe efficacitate pollentia fatebimur. *Reſtitiſſe* docemur [d] *Spiritui Sancto dura* illos *cervice, & incircumciſis cordibus* homines. Sed quei reſtiterunt, quum non ad efficiendum opus, ſed ad complendam ſolam potentiam, eam velis gratiam, quam & *pure* dicis *ſufficientem*, datam fuiſſe? effecere forſan, ut ipſa in illis procurante *faciendi potentiam* ac plenitudinem, hanc ipſimet minus reciperent, propellerentve receptam? nullo igitur modo (dum exuendo impediendoque illam non erant) vel paullulum reſtitere. Solum autem ſi ſic, velimuſq; adfirmanti Stephano obſequi; quod intentum ab illa opus impedientes, irritum effecere conatum ejus, procaciſſimi reſtiterunt. Sed neque etiam *ſufficientem* [e] rite dixeris illam, quam non recte cuipiam actui ſatis eſſe velis, *ſolam*que agere neges actum, pro quo, ut fiat, alterius ponderis aliam requiris. Tibi ne ſat eſſe pedes reputabas ad iter illud, quod ſi forte aggreſſus fuiſti, equo vel curru aliquo abſolute utendum fuit, ac ſemper fuiſſet?

[c] Quum de Sapientia Dei & ſent. Fardellæ.

[d] Actor. cap. 7. verſ. 51.

[e] *Neque enim alia debet eſſe ſufficiẽtia grãmaticalis, alia Theologica.*

425 Puto igitur magnum hac in parte difficultatis pondus augeri ex his vocibus, *efficax* & *ſufficiens*, quas tu quidem ſi Scripturas, ſi Concilia, ſi Patres perlegeris, minime invenies, ſolumque apud Scholaſticos unos ortum ſuum nactas eſſe. Quare tibi modo aliam cum *FARDELLA* edamus præſtabit gratiarum diviſionem: nempe ut ex omnibus omnino ex ſeſe, & non *ab eventu* tantum aut *noſtra cooperatione*, recognitis efficacibus (nullaque pure, ut ais, quoad ſe ac ſimpliciter ſufficiente, ſolamque agendi quæ aſtruat facultatem, neu-

Digitized by Google

tiquam ac nunquam cum operationibus ſeſe immiſtura) quædam earum *efficientes* ſint, & quædam *inefficientes* . [a] Neque enim interea quod ſuo pleræque effectu, impediente hunc voluntate, quandoque careant ac ſæpius, minus recte efficaces dictas exiſtimes. Ea te nempe hujuſce tui præjudicii admonitum redderet, quam tu cum aliis efficacem gratiam forte vocitas, ac hujuſcemodi venditas ſolam: creata hæc eſt, liberæque voluntati tradita, ut inde efficacitate ſua impetita minimum [b] ſeu non ablata, & a Deo, & ab humano die impediri poſſit, ne agat, utriſque illi ſuum denegantibus concurſum. Claris etiam exemplis, ſi audire lubet, clariorem rem faciam: videlicet lethale vulnus dum ab eo exquiſita quadam medicina evadis, non propterea, quo tibi mortem ingereret, efficax non fuit: neque quod anchoram nauta projecerit, ex eoque navis haud mota ſit, ventus alias vehemens, efficax minus extitit, qui illam moveret: vel clauſa valvis feneſtra, minimeque inde illuminata aula efficaciæ ſolaris luminis vel tantillum detrahere poſſunt.

a Quæ diviſio deinceps Sfondrato arriſit in Nod. Prædeſt. quin & antea Maignano in Phil. ſacr. pro quo tamen vide num. 348.

b Neq. enim gratia quæ antecedit opus, poteſt Deum ad ipſum neceſſitare.

426 Quæ duo adducta poſtrema exempla ſcripturæ ipſæ quum de Spiritu Sancto, ſeu divina gratia loquuntur, opportunius nobis ſufficiunt: liceatque interim in hæc deſcendere: non eſſe homini auxilium divinum, velut navi cuidam remorum ſuorum armamentum, aut cubiculario calibis inſtrumenta ſiliciſque, quibus (modo velint, quin ad hæc neuter impellatur vel excitetur) moveatur illa, atque hic igne excuſſo aulam illuminet: ſed *tanquam* impetum *advenientis ſpiritus vehementis*, [c] atque *ignem*, *vibrante lumine*, [d] qui niſi projicias anchoram, aut vela complices, clauda ſque feneſtram, moveat navim, illuminetq. aulam; ſeu niſi gratiæ conatum impedias & *illuminativam* actionem, ſua te luce perfundat, & propulſet ad bonum neceſſe eſt.

c Act. cap. 2. verſ. 2.

d Eccleſ. in hymn. Spir.S.

427 Hac porro doctrina poſita; quatuor quæ innuunt inculcantq. Patres, quam belle quadrare noveris? *Primum* ſiquidem & gratiæ viribus inſcribendum eſſe voluntatis conſenſum, ſeu quod illa actu efficiat; & vitio noſtro, quod humana renuat voluntas, atque minime efficiat illa met. Ita quidem divina eloquia paſſim teſtantur, dum volunt, bonum a Deo eſſe (*non enim ego ſed gratia Dei mecum* [e]) & malum a nobis; dumque ille de obſtinatis hominibus, quod per eum, quo minus converterentur, non ſteterit, palam conqueritur: *Perditio tua*, inquiens, [f] *ex te Iſreaël, tantum in me auxilium tuum*: atque alibi: [g] *Mundare te volui, & non es mundata*. Hoc ipſum exempla noſtra viviſſime exhibent atq. evincunt ineluctabiliter. Si enim movetur navis, & aula illuminatur, quis neſciat illuminationem & motum a vento provenire atque Sole, ipſoſque cauſſam eſſe motus & luminis? Si vero non; utrorunque illorum *carentiam* non Soli, non vento, ſed anchoram projicientibus, claudentibuſque feneſtram, aſciſcendam nemo non novit. *Secundum* quod a primo ortum ducit: neminem ultra illas gra-

e 1. ad Cor. cap. 15. verſ. 10.

f Oſeæ cap. 13. verſ. 9.

g Ezech. cap. 24. verſ. 13.

Digitized by Google

gratiæ a qua elevatur, vires operari poſſe, bene tamen infra vel citra illam. Quandoquidem ultra vires *motivas* venti, aut Solis *illuminativas* clarum eſt, nec moveri unquam navim, nec illuminari aulam poſſe; bene infra tamen, ſi minus vela expandantur, aut feneſtra aperiatur. *Tertium*: facillime ac ſæpius contingere, ut æquali donatis gratia duobus, horum unus operetur, & alter non: [a] quin & illum non raro, qui majorem ſortitus fuit intenſioremque, totum ipſi obſequium ſubtrahere, vel operari minus; quique minorem; omnem ei morem gerere, aut magis agere. Quum enim creata libertas impediendo illam ſit, jam vel ne agat prorſus, vel quam vires ſuppetant, remiſſius, efficere poteſt: liquetque hoc in animadverſis vento & Sole atque aliis exemplis. *Quartum*: quo major eſt gratia, eo minorem eſſe ſolere in voluntate vim cohibendi illam; quo vero minor, multo majorem. In hoc videlicet, quam ſit efficax qualique in gradu gratia divina, cognoſcent omnes, qui & efficaciam venti vel Solis majorem minoremve a ſimili dimetiuntur. Hinc tam vehemens gratia dari poteſt, & efficax, ut valde difficilis ſit impeditu; atque adeo tenuis, ut facilis: præſertim ſi quæ voluntas vehementem habet, inveniatur ad opus bonum pronior, quæque tenuem; ad malum.

[a] *Aug*u*ſtinus enī duor. æque affectorũ, propoſita utriſque eadẽ pulchritudine, unum aſsẽtirī novit, alterum non. lib.12.de Civit. Dei cap. 6.*

428 Ut autem gratiarum harum diſpenſationem & uſum bene perpendas, firmiuſq. huicce parti adhæreſcas, alio [b] te mente revoces oportebit: eadem nempe quæ divinam ſcientiam; & gratiarum prædeſtinationem cauſſa tenet; utraque hæc *exigentiam* voluntatis *liberam* ſpectat. Quocirca quum ex dictis *de Sapientia Dei* duplex habeat voluntas noſtra libertatis exercitium, *exigitivum* & *effectivum*, res ita tota ſe habet. *Primo* ſiquidem beneficentiſſimus Dominus quibuslibet de æterna eorum ſalute providere dignatus, ſuam cuique efficacem gratiam qua intentum ab ipſo opus bonum, ſi velit, *præexigat*, elargitur impertiturque. Et hæc porro eſt, quæ ſimul *excitans*, *præveniens*, *vocationis*, *&* *operans* appellitatur; cujus profecto hæc natura & conditio; ut ex ſeſe quantumvis efficax, *impedibilis* tamen ab unaquaque ſit, modo libera, voluntate. Enim vero adhuc ea in hominibus ſuperſtite, liberum cuique erit, vel illud non exigere, ad quod eſt excitatio, opus bonum; vel exigere illud a quo retractio, malum opus. [c] *Mox* autem Deus ut ſuam videt excitantem gratiam, quod a nonnullis obſequentiſſime habita, *exigentiam* in iis ad opus bonum motu ſuo operata eſt; decernit concurrere, concurſumq. ponit: evadit exinde gratia illa de *excitanti*, ut erat, mox *adjuvans* voluntatem, cumque eo ſimul abſolute effectum *cooperatur*. Quandoquidem decreto hocce poſito, impoſſibile eſt, ut actus bonus lucem non ſpectet, neceſſitatemque, tametſi duntaxat conſequentem, inducere cogitur. Nova igitur ſeu clarior emergit gratiarum diviſio: ut alia ſit *efficax conditionate*, hoc eſt, ſi non impediatur; & alia (ſive eadem conſide-

[b] Ad num. 338. & infra.

[c] Interim expectat Deus ut miſereatur noſtri (Iſa. 30. 18.) *ſi forte tandem humana poteſtas excitata ſolum, non læſa ſinat ſe allici: alio igitur a Maſſilienſiũ qui opus naturale ceu meritũ primæ gratiæ expectandum comminiſcebátur, expectationis genere longe diverſo.*

ſiderata modo diverſo) ſit *efficax abſolute*; quod nulli amplius obnoxia impedimento.

429 Eam ob rem pleniſſime planiſſimeque ſuo fœdere, ſummo videlicet, ſociantur diverſæ ac ſpecie tenus contrariæ Scripturarum, Conciliorum, D. Auguſtini aliorumque Patrum ſententiæ & locutiones. Sicubi ergo docent, reliquiſſe Deum in manu hominis bonum & malum; [a] atque alibi, Deum eſſe illum qui facit facere, futurumq. certiſſime, quod Deus vult, ac dari gratiam, quæ facit facere, [b] & ſimilia: priores ſcito autoritates ad illam prorſus quæ noſtræ voluntatis *exigentiam* præcedit, pertinere gratiæ partem; quemadmodum & poſteriores ad illam; quæ *exigentiam* conſequenti decreto unitur. Huc etiam notiſſima gratiarum Auguſtiniana diviſio collineat, quam affert in adjutorium *ſine quo* non, & in adjutorium *quo*: [c] prima enim eſt gratia excitans, *exigentiam* præcedens, ſine qua non poteſt homo bene operari, ut oportet; vocaturque gratia *efficax conditionata*; ſecunda eſt illa eadem, ut tamen adjuvans decretumque involvens, & dicitur *efficax abſolute*.

430 Caveſis interim, ne quod nos divinæ gratiæ deferimus, detrahas eidem; humanam libertatem quaſi ex jactis modo principiis extollens: quia nimirum poſito æquali auxilio in Petro puta & in Juda, a voluntate Petri eſt, quod exigat præ illo, faciatque ſibi debitum concurſum divinum ad opus bonum; ſicque voluntati, non gratiæ acceptum hic referat, quod a communi maſſa perditionis *diſcernatur*. [d] An non tamen advertis ſalutarem hanc *exigentiam* quam allegas, a gratia primitus excitatam fuiſſe, ab eaque collatam Petro ſufficientem facultatem, & adjutorium ad opus, ut propterea totam ſuperno auxilio profitearis illius *diſcretionem*? Tantoq. magis quod, qua parte ab homine eſt *exigentia* prædicta, nihil per ſe influit in ſalutem, ne quidem *initiative*, ſed qua parte ſolum ab accepta gratia dimanat. Quid diceres, ſi non Deo excitante Petrus exigeret? an non idem ac, ſi nullo flante vento aliqua navis vela ſua aëri expanderet atque ſolveret a litore? hæc tunc ipſa a reliquis quæ in portu ſiſtunt, non perinde diſcerneretur: ſic neque ille ab iis, qui in maſſa corruptionis infeliciſſimi detinentur. [e] Aliud quippe eſt diſcerni Petrum a Juda, aliud Judam a Petro: hunc per auxilium Servatoris noſtri Dei, illum per ſe ſuamque obſtinationem, quod excitante divina gratia, ad intentum opus concurſum Dei non exegerit nec meruerit. Sicuti ſi flante vento aliqua navis moveatur, & altera non: iſta potius, quod forte vela contraxerit, aut projecerit anchoram, ſeſe facit differentem ab illa; illa vero fit differens a vento.

431 Sed quum audis, æquali donatos fortaſſe gratia Petrum atque Judam; timeo, ſuſpicio ne te ſubeat æqualitatis in utriſque beneficiorum. Scito ergo Patres adverſus Pelagianos docuiſſe, Chriſtum ele-

[a] Ex Eccli. cap. 15. verſ. 14. 17 & 18.

[b] Ex Ezech. cap. 11. verſ. 19.

[c] de Corrept. & Grat. capp. 11. & 12.

[d] *Juxta illud* 1. *ad Cor. cap.* 4. *verſ.* 7. Quis te deſcernit?

[e] *Tametſi igitur exigentia a volũtate eſt, non tamen eſt illud magnum in quo exigens præ non exigente gloriari poteſt.*

Digitized by Google

electis, quam reprobis beneficentiorem, majuſque illos, quam hos mortis ejus beneficium accepiſſe. [a] Quare qui gratiæ aſſentitur, operaturque cum ea, magis illi fautum eſt, quod ultra gratiam excitantem, adjuvantem habuit divinumque concurſum ad opus bonum, quem Deus adhuc in voluntate permanente *exigentia*, ſeu quod gratiam non impedierit, abſolute poterat denegare. Tunc enim majorem gratiam hicce ſortitur, quia ſi operatio amor Dei eſt vel contritio, acquirit vitam gratiæ ſanctificantis; vel ſi jam juſtus fuerat, facitque opus bonum, illiuſmet adipiſcitur augmentum. Hinc ſi Petro minorem fortaſſe gratiam Deus contulit, & Judæ majorem, operatuſque ille fuit, hicce non; diverſimode unus dicitur habuiſſe majorem gratiam altero: nam Judas majorem habuit excitantem & prævenientem; Petrus vero maximam; quia ſimul mox adjuvantem cooperantemque. [b]

432 Neque demum tibi veniat in mentem, fore ut ita Deus effunderet gratias cæco modo, neſcius nimirum quem illæ effectum habituræ ſint; aut non ſemper ac vellet, peccatores convertendo eſſet. Quandoquidem nonniſi ineptiſſime cæcus diceretur, quod objectum, nondum in illo ſigno collationis, ſeu definitionis gratiarum determinate verum & *cognoſcibile*, minime attingeret. [c] Peccatorem vero poſſet convertere, vel replicando ſuas gratias, vel dando unam ex intenſiſſimis, quibus moraliter neceſſe eſt reſpondere. Exemplum primi deprehendito in Pharaone de quo ſcriptum eſt: [d] *Si non crediderit ad ſignum primum, credet ad ſecundum*; exemplum ſecundi in tot ſceleſtibus in inſtanti de toto in totum mutatis, ut in D. Paullo aliiſque.

[a] Ut D. Proſper *in carmine de ingratis* cap. 8.

[b] *Ultimo tandem beneficiū habent electi præ reprobis, quod donū perſeverātiæ accipiant.*

[c] *Nec fortunæ ſua dona committeret, quippe ex ſe & non fortuito valentia fructum afferre.*

[d] Exod. cap. 4. verſs. 8. & 9. *Ceterū omnes urget, dum per ōnes cuiq. gratiæ poteſt homo diſſentiri.*

De Providentia baptiſmi ad infantes in uteris ſe extendente.

433 N*Unquid parvuli homines non ſunt* (inquiebat [e] quum de ſalutari erga nos Dei voluntate Auguſtinus) *ut ad eos non pertineat: omnes homines?* Nunquid & ipſimet (dicam etiam) de numero gentium non ſunt, ut non pertineat ad eos; *omnes gentes*, quas omnium Proviſor Chriſtus Dominus ſacro fonte mundari juſſit? Plus enim tunc abundaturum fuiſſet peccatum quam gratia, ſi nonniſi natis hæc parvulis jure ordinario prodeſſe poſſet; illud vero ſimpliciter conceptis. Quid nobis ergo Apoſtolus venditat, [f] *ſuper-abundaſſe* ſcilicet *gratiam, ubi abundavit peccatum?* quid; ſuper veterem Adam profecto novum ſeſe extuliſſe, atque extendiſſe magis? parvulos infecit ille, quibus hic ſacramento ſuo expiari vetat; non impedimenta quidem, ſed ipſe, qui tanto muneri, tametſi ablui poſſint, impares, ut ais, declaravit. Eorundem, quin Chriſti Sanguinis cauſſam eximio opere illo, cui fecit nomen: *Baptiſ-*

[e] Lib. 4. contra Julian. cap. 8.

[f] Ad Rom. cap. 5. verſ. 20.

ma

ma infantium in uteris exiſtentium, [a] aggreſſus eſt ex noſtratibus *Gabriel Gualdo*: in eo tam dilucide materiam tractat, tamque copioſe, ut ſaniori judicio putari res tota comperta debeat.

434 Sed illa infantes hos noſtros ſors olim tenuit, quæ plane novi orbis antipodas: qui quum fabuloſi vulgariter, maximeq. ob Auguſtini ſententiam, [b] in Eccleſia exciperentur; nullos hæc ad eos quindecim ſeculorum tractu miniſtros delegavit, per quos ſalutari lavacro regenerarentur. Gentile quidem prius erat, nullam vel minimam patere aquæ inſtrumentoque viam ad infantes in utero ſeu *matrice* degentes, perveniendi: ut proinde Auguſtinus aliique poſt ipſum [c] abſolute fuerint effati: *Qui non eſt natus, non poteſt renaſci*: ex hoc videlicet, ut fidiſſimus illius interpres Doctor Angelicus, [d] quod alioquin *non ſubjiciatur humanæ operationi*. At ſi eodem illo Doctore teſte, [e] *Concilia Generalia ſæpe emendantur, quum EXPERIMENTO aliquo aperitur, quod clauſum erat*; quidni ſuum deinde animum continuiſſet, ne in doctrinam diverſam deſcenderet, modo ipſi, quod nobis, demonſtraſſet *experimentum* fore ut facile (*quod prius clauſum erat*) ad uterum uſque aqua perveniat? Magnam pro hac parte egregiorum Medicorum catervam agglomerat *Gualdus* laudatus; manuſque in uterum intromiſſionem facilem ac perventum ex Hippocrate, de extractione extincti fœtus, expreſſius demonſtrat. *Manu cerato*, ait ille, [f] *maxime lubrico illita & in uterum incluſa humeros a cervice divido*. Obſtetrices coram ſe etiam examinari juſſit Eminentiſs. Urbis Vicarius, [g] deprehenditq. ex quibuſdam, ſatis præfatos pueros ablutioni eſſe obnoxios. Quid plura?

435 Hinc quum Theologo calamus perinde ſit ac Soli radius, qui lutum quandoque pertranſire debens, immaculatus percurrit; naturam nos quoque uteri, ac ſecretiores receſſus, quod valde rem juvat, inoffenſo pudore delineabimus: ubi enim quis arboris radicum conditionem detexerit, facile intendet modum, quo ad illius fructus humor deveniat. Porro ex Medicis & Anatomicis [h] quidpiam mutuantes, repoſitum uterum in imo ventre mulierum, ceu amphoram quandam cum collo animo figuramus; ita tamen ut cavitas ſuperne ſit, inferne collum. Hoc (quod ad 9. uſque digitorum longitudinem multi protrahunt) in tres partes pro captu noſtro dividi liceat: nempe in orificium exterius, quod oculis ſubeſt; in interius aliud, quod cum uteri cavitate proxime conjungitur, ac facta conceptione ita arcte obſeratur, ut ex Hippocrate [i] nec cuſpidem acus admittat (aperitur autem inſtante partu, aut muliere ſuper-fœtante) tertia eſt tota colli longitudo inter unum & alterum orificium. In cavitate ſtat fœtus duabus vel tribus membranis, inter quas humores quidam, circumdatus & obv olutus. Quum partus inſtat; ſuis ipſe

puer

[a] Quod tertio edidit Venetiis 1723. ſub ficto nomine Angeli Cupetioli.

[b] De Civitate Dei lib.16.cap. 9.

[c] *Quouſq. labente ſec. XV. Gabriel Biel dubitare cœpit*: ut in 4. diſt.4. q.4. art.3.dub. 2.

[d] In 3.diſt.3. q.1.art.1.quæſtiunc.3.ad 1.

[e] Lib. 2. de Baptiſm.cap.3.

[f] Sect. 3. de ſuper-fœtatione.

[g] Ex Jacobo Pignatelli tom. 1.Conſult.153.

[h] Penes Gualdum laud. op. cap. 3. a num, 38.

[i] De natura puer, numm. 37. & 39.

Digitized by Google

puer pedibus ac manibus involucra abrumpit, orificium uteri interius aperit, ac inde humores præfati, aliique, quo viam exituro infanti accommodent aptiorem, vi ſua profluunt atque excidunt. Hinc partus infelix (ex quo tantum neceſſitas baptizandi) ex eo ſæpe ac potiſſimum contingere ſolet: aut quod longe antea humores defluxerint, ut inde collum ſeu *vagina* uteri prope arida facta ſit, minuſque dilapſuro puero accommoda; aut quod adhuc in hujus fundo detineantur, dum fortaſſe pars quædam pueri in orificio interiori ſiſtens (quod puta obtorta, vel ab utero nondum ſatis ſoluta & divulſa) egreſſum defendit. Nullum utroq. in eventu tunc ſane dubium, quin interpoſita digitis obſtetricis ſpongia quadam vel tela imbuta aquis, pura hæc ad infantulum deferatur; vel ſi quidpiam humoris in vagina adhuc ſuperſit, adveniatve; aut non obſtet, aut facile abſterſu ſit. [a]

436 Vulgaris autem hæc extat Theologica difficultas: videlicet, ex quo ſacramentum ablutionis dicatur in Evangelio *renativitas*, [b] præ-exigere debere in puero veram *externam*que nativitatem. Et quamvis hujuſmodi nomenclaturam ſortiatur inibi quoque *pura conceptio* (quandoquidem in Virgine conceptus Chriſtus, *in ea* vere *natus* [c] pronunciatur) aliam tamen (opinative quidem, non aſſertive) Auguſtinus nativitatem, quæ nempe fiat *matre parturiente*, abſolutiſſimis literis præ-requirit. [d] Verum eam Chriſtum Dominum non exegiſſe, ob id clarum fit; quod locuturus ad Scripturarum phraſim ſive Angeli vocem quæ ſua fuit, ipſique, per quam duplex hominum nativitas & *in matre*, & *ex matre* [e] depromitur, rationem habiturus, neutiquam renaſci *denuo* per baptiſmum, pronunciaſſet, ſed & quidem profecto *tertio*, ſi *ex matre* aliam computaſſet nativitatem, multoque magis, ſi præ-requiſiſſet. In idem igitur ac *regeneratio*, [f] noſtra hæc *renativitas* ibi redit: eamque ob cauſſam in ea deſcendiſſe Auguſtinus credendus eſt (ut nuper ex Divo Thoma [g] fuimus edocti) quod externam nativitatem baptiſmo neceſſariam *cauſſaliter*, ut ajunt, non *formaliter*, noverit: quia nempe, nondum eſſe puerum ex matre natum, *in cauſſa* autumabat, cur ablui minime poſſet, humanæque ſubjici operationi. Sane quidem ſi fidelibus perinde foret baptiſmus, ac hebræis nonniſi pro externe natis inſtituta *circumciſio*; jam & ille ſimiliter remedium juris naturæ pro decedentibus in utero puerulis non abſtuliſſet, quemadmodum ex Divo Gregorio [h] iſta non abſtulit. Eandem iccirco interpretationem [i] hi duo textus nanciſcerentur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*, [k] ac antiquus ille alter: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima ejus* [l] (ſeu æternum peribit ex Auguſtino ipſomet [m]) ſi nempe ab octavo nativitatis die, quum primum id fieri poterat, non circumcidetur. Quin neq. partus cæſareus in quo nulla nativitas *matre* par-

[a] *Tunc autem nullá fieri iliacorum (quidquid ſit, ſi hanc partus requirat) oſſium vel pubis disjunctioné, ingreſſuræ manui nõ obſtat; ſicut nec fœtum mortuũ extracturæ, ex Hippocr. laud. loc.*

[b] Juxta illud: *niſi quis renatus fuerit* &c.

[c] Juxta illud: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.*

[d] De baptiſ. parv. l. 2. c. 27.

[e] Juxta illa duo loca: *quod in ea natũ eſt* &c. & : *natus eſt vobis hodie* &c.

[f] Quemadm. alibi & in Cõcil. Trid. ſeſs. 5. can. 4. *nativitas vero ex uter. nõ eſt vera generatio, ſed ex uno in alium ſtatum translatio.*

[g] Loc. laud.

[h] Lib. 4. Mor. cap. 2.

[i] *Quam tamẽ ex lib. Cardin. Cajetani deleri juſſit S. Pius V.*

[k] Johan. cap. 3. verſ. 5.

[l] Gen. cap. 17. verſ. 14.

[m] Lib. 2. de nuptiis & cõcupiſcent. cap. 11.

Digitized by Google

parturiente, baptiſmum valide ſuſciperet; ac exinde Divum Raymundum *Nonnatum* alioſq. fortaſſe plures inutiliter ſacra lympha madefeciſſet. Quin neq.quidem Eccleſiæ obſequendum foret, dum ex ejus ritu docemur [a] una & jubemur, infantis partem [b] ex utero demiſſam baptizare; porro quum in collo ſaltem & vagina ejus totus reliquus conſiſteret, nemo tunc *ex matre* natum ac progenitum puerum, recte dixerit.

437 Ceterum ulteriori curæ haud nobis videtur eſſe, alia quædam diluere, quorum fortaſſe tu in tot innumerabilium infantium præjudicium congerendorum animum habes. Quid times, quidve tuam quæſo mentem exagitat aut propulſat? Non eſſe, ais, hujuſcemodi puerulos Eccleſiæ notos, nobiſcum vitam non degere. Quid? forſne putas iiſdem profecto ſignis (quæ vi ſua in ſignificati cognitionem ducunt) innoteſcere minus poſſe, quibus ſaltem obſtetrix mulierem prægnantem intelligit, attingit mox fœtum, & quaquaverſum evolvit? [c] Putaſne etiam eam vitam quam nobiſcum puer non degit, hanc poſtea degere, quum ex utero partem ſolam ac minimam quam baptizes, emittit? Sed quei nobiſcum vitam non vivit, qui in matre cum matre vivit, parſque illius recenſetur? Profecto & Jonam *in ventre ceti* obſeratum, ſic adeo a nobis extorrem factum putaſſes, ac nobiſcum amplius haud vitam degentem, quo (ſi nunc foret) ex ſeſe atque intrinſecus baptiſmo ineptum comminiſcereris. Eſt & alius, optime ſcimus, qui te ſcrupulus angit, noſtræq. huic ſententiæ manus victas dare non finit. Nimirum nemini conſtare poſſe: quid in utero plane jaceat, vel quomodo; homo nempe vel monſtrum; vivum vel mortuum. Quorſum hæc? fiat profecto tunc, quod & quando genitrice ſe exonerante partu neutrumlibet illorum ſcimus: omnino tum fors baptiſmum omitteres? impius eſſes. Nonne ſatis ex cap. *de quibus* [d] ſub conditione conferre inſtrueris ac juberis? nonne etiam ex ritu Eccleſiæ, emiſſa ex utero infantis manu vel pede, in iis tantum, quoad potes, periclitanti illi ſalutari lavacro conſulis? Puto quidem tibi novum non fieri, quandoque mulieres edidiſſe monſtra, humanis pedibus incedentia, vel ſimilibus palpantia manibus. Hæc autem quum ita ſint, omnino peccati vinculo obſtrictos crediderim, qui quibus ſufficiens rei probabilitatis lumen affulſit, miſerrimos hos infantes juvare negligunt, inque iis Chriſti crucem evacuant. Ac ſi quempiam de oppoſito conſcium & inſtructum, ſacramenti fruſtrationis pius timor poſſideat; adhibeat baptizaturus conditionem; [e] ſicque illi & puero & ſibi providere non dubitabit.

a In Rituali Romano.

b *Quæ necquid.extra vagin.eſſe deb. dũ ex Rit. laud. extra eá part. exigitur, in qua clauditur, quæ ſola uteri cavitas.*

c *Pueros in utero ſat innoteſcere, ſuad. Gen.38.27.ubi de filiis Thamar:* Inſtante partu apparuerunt gemini in utero: *ſubditq. Toſtat.q 5.* hoc ſẽſit obſtetrix per motũ ipſorũ, interius applicando manum ad uterũ; quia ſentiebat quendam accedere ad oſtium ventris, & eod. recedente, aliũ permanere.

d De Bapt.

e *Sicuti ob neceſs. aqua roſacea baptizas. Nec te antiqui teneant, qnũ de bapt. abſolute conferendo, vel in utero omnino clauſo (ut* in Rit.Rom. & *cap. qui in maternis* de Conſecr.) *explicari quoque poſſint.*

DE

DE FINALI PROVIDENTIA, SEU PRÆDESTINATIONE.

De motivo proximo prædeſtinandi ad Gloriam.

438 MOtivum non remotum, ſed proximum, quo feliciſſimi, quotquot ſunt homines qui in cæleſtem hæreditatem cooptabuntur, ad tantum ex æterno faſtigium electi ſunt, exploramus. Nimirum in confeſſo eſt apud nos, atque omnes, ex illa erga ſingulos benevolentia remote ac primitus profectam eſſe divinam voluntatem ſalvandi, quos ipſa ſalvat. Alium igitur, animadvertendum tibi eſt, ſibi vindicare has duas enunciationes ſenſum & intellectum: & *GRATIS VELLE Deum ſalvare homines*, & *velle SALVARE homines GRATIS*: primamq.quidem, nullum in Deo præter Deum anteceſſiſſe motivum, evincere, ſeu cauſſam nullam, qua ille induxerit animum velle noſtram ſalutem; quidquid de cetero ſit, an extra ipſum in nobis quidpiam fuerit intuitus, ob quod cæleſtem gloriam conferre abſolute deſignaverit: ſecundam autem exigere quid amplius, & nullam *volendi* habuiſſe Deum cauſſam, & nullam *dandi* ſeu deſignandi; utrunque iſtud ex una ſua beneficentiſſima pietate ac miſericordia derivaſſe, noſtrorum meritis inſpectis omnino nullis.

439 Quo vero modo res geſta fuerit, quis unquam certam ſtatuet ſententiam? an nimirum noſtra ille prius merita inſpexerit, ſive non, qui *neminem perire volens*, [a] quoſdam ſolos de maſſa perditionis diſcrevit, æternæque hos libro vitæ inſcribendos duxit fortunatiſſimos viros, miſerrimis aliis ac multo pluribus in æternum ignem ire cum diabolo prædeſtinatis? Abyſſum profecto hocce foret divinorum judiciorum plane incomprehenſibilium temerario auſu velle ſcrutari, inconceſſoſque obtutus illuc dirigere. Hoc nempe uno contentus eſſe quiſque deberet, quod opportuna nos Fides docet: neminem damnatum iri niſi volentem, & unumquempiam, ſi voluerit, ſalvandum eſſe, inque illam æternam beatitudinem cum ſanctis Angelis aſciſcendum. Caute interim procedamus neceſſum eſt, ſpe ſimul ac timore ducamur hoc in negotio; nam ſi *ante merita* prædeſtinatos dicas electos; quantum nobis ſpei de divina miſericordia? ſi *poſt merita*; quantum timoris de noſtra fragilitate?

[a] 2. Petri cap. 3. verſ. 9.

440 Ceterum quo res penitus non ignoretur; id quod a longe conjicere licuit Theologiæ noſtræ, te nunc latere non patimur, dum

Digitized by Google

etiam multo magis ipſum efflagitas. *Inſpice* igitur, *&* *fac* ſententiam tuam *ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt.*[a] An neſcis, quod prædeſtinationis tuæ typum in ſe Chriſtus geſſit ſpectabiliſſimum, eumque imitandum omnino ſibi Pater propoſuit? quei ergo congruit, & quæ ad exemplatum ulla vel levis aſſimilatio exemplaris, dum nonniſi iſtuc, *per naturam Filius* præviſus, eligitur; ceteri vero quin præſentiantur *per adoptionem Filii*, eligerentur? Volumus etiam ſummam Virginem (non inficiamur) inſpecto ſolius auguſtiſſimo charactere maternitatis, uti ob illum a macula præſervatam, ſic ad regnum præelectam (tenerrima quidem juxta ac religioſiſſima nos monet erga tantam Dominam pietas) ſed quid propterea? Efficiamur ſinguli aut Chriſti Domini fratres per adoptionem filiorum Dei, aut mater ejuſdem; quod ubi tales divinis obtutibus objiceremur, etiam eligeremur. *Sed quæ mater mea*, inquit Veritas,[b] *quique fratres? Qui facit voluntatem Patris mei, hic frater meus, & mater eſt.*

a Exodi cap. 25. verſ. 40.

b Marc. cap. 3. verſſ. 33. & 34.

441 Firmiſſime inde teneas atque credas, non prius futuram noſtram quam incedemus, ſemitam Deum prænoviſſe, albove inde vel nigro ſignaſſe quempiam lapillo, quam quales e corpore mortis hujus profecturi ſimus, filii nempe an rebelles; ſcientia & cognitione ſua divina præviderit. *In deficiendo* (inquiebat Regius Vates[c]) *ex me ſpiritum meum, tu cognoviſti ſemitas meas.* Legas interim quæ de communi prædeſtinationis cauſſa verba faciens Sanctus Franciſcus Saleſius exaravit: *Sententia illa*, ſic ait,[d] *ſuavitate, antiquitate, ac ſcripturarum nativa autoritate nobiliſſima de Prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita ſane mihi gratiſſima fuit, quia nimirum eam ſemper, ut Dei miſericordiæ ac gratiæ magis conſentaneam veritatem & amabiliorem exiſtimavi.* Ille igitur Deus qui gratis & ex ſua duntaxat liberalitate ac miſericordia motus eſt, ut voluerit ad æterna gaudia elevare homines; nemini tamen vult gratis dare ſeu definire, ac niſi illi, quem plene immunem a ſordibus peccatorum deceſſurum præſenſerit.

c Pſalm. 141. verſ. 4.

d In epiſt. ad Leonard. Leſſium, & apud Sfondratum in fronte Nodi *Prædeſtinationis.*

442 Enim vero niſi hoc pacto ſe res haberet; quomodonam Deus *ſuavitatem* ſuam in omnes homines effudiſſet; ſeu quomodo voluit, & etiamnum vult[e] ſingulos ſalvos fieri; ac pro omnibus ſincere mortuus eſt, & redemtionem dedit, dum ubi pauci ex ſola illius voluntate ad ſempiternam gloriam regnumque ejus capeſſendum prædeſtinantur, ab eo valde plures, hoc ipſo, infeliciſſimi homines excluduntur & extorres fiunt? Sed & porro quei fiet, ut ex tot tantiſque iſtis hominibus fere innumeris nemo unus divinæ excitanti gratiæ morem geſſerit oppetiturus, & aſſenſerit? ſane id, ni quempiam ſuæ ſtudium cauſſæ tranſverſum ageret, moraliter impoſſibile quiſq. confitetur. Sed quid eo tunc? fortaſſis, Deo non eligente, ſalvabitur? an ſic res tota componetur: quod videlicet, ne iſte capiat non prædeſti-

e *Hanc quidẽ volũtatem adhuc habet poſt Adæ lapſum, dum eam fundat Apoſtolus in Chriſto Redemtore.*

natam

natam vitam, nec mortem haud promeritam, baptiſmo ac rationi præmoriatur; ſicque Deus naturæ everſor ex naturæ autore tunc fieret, futuraque ob merita vitam tolleret, ac puniret?

443 *Antiquitatem* inde nil mirum ſi hæc noſtra de Prædeſtinatione ſententia ſit promerita, eamque omnes Patres produxerint. Profecto illos ſi quis attente perpenderit, aut laudatam inveniet expreſſiſſe luculentius; aut alio collineaſſe, ſicubi quidam ad ſpeciem videntur adverſari. Scilicet eorum tunc ſcopus fuit de neceſſitate ac Prædeſtinatione ad *ſolam gratiam* diſſerere contra Pelagianos, aut de prædeſtinatione ad gloriam, ſed *adæquata*, ad hanc & gratiam ſimul, ut Divus Thomas inſinuat [a] in hæc verba: *Quidam dicunt, quod præſcientia meritorum malorum vel bonorum eſt ratio prædeſtinationis, & hoc rationabiliter diceretur, ſi prædeſtinatio SOLUM reſpiceret vitam æternam*. Siquidem apertiſſima ſunt, quorum plurima exhibentur a Cardinali Sfondrato, antiquorum monumenta: motum fuiſſe Deum, ut ſignaret in libro vitæ Electorum nomina, quod hos in ejus oſculo clauſuros ultimum diem præcognoverit. Sufficiat unum & alterum heic exhibere ex Ambroſio & Auguſtino, dum ille, *Non ante*, inquit, [b] *prædeſtinavit, quam præſcivit, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit*: atque alter hujuſmodi: [c] *Qui vere filii ſunt præſciti, & prædeſtinati ſunt*; ſicque ſimilia non ſemel. Verum hac in re ambiguum habent Auguſtinum hujuſce etiam ſententiæ aſſertores; quin & aliqui, [d] licet omnibus retro veteribus ex adverſo, omniumque primum, oppoſitam docuiſſe.

444 Sed quid egemus præconibus? en ipſe, quæ & qualis futura ſit, ſententiam ſuam, longe ante, Judex pronunciat, qualemque habuerit in eligendo, exhibet rationem omnibus indagandam: *Venite*, inquit, [e] *benedicti Patris mei, percipite Regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*. Ille idem nimirum, qui niſi merita in hominibus repererit, [f] ſe miſſurum omnes in ſtagnum ignis vel abſolutiſſime proteſtatur. Quei ergo fiet, ut eligendo non intendens Deus merita, dein nonniſi ob merita, quod intenderat, exequatur? Sane nemo non videt, abſolute electos, inque libro vitæ conſcriptos independenter a perpetrandis operibus, nullo etiam ad hæc habito intuitu, fore in re coronandos, intentamque gloriam eadem liberalitate adepturos. Ceterum dum ſecus res iſta ſe habet, unum ſit ex his duobus neceſſum erit: aut æternam alteram voluntatem, *executive* dandi gloriam ob merita, pure *exequentem* non eſſe; aut priorem illam, eligendi abſque meritis, non fuiſſe abſolutam. Congruentius propterea effaberis, *nativam*que *ſcripturarum* aſſequeris *autoritatem*, ubi conferendam dixeris gloriam diligentibus Deum, quia hic eam nonniſi *diligentibus illum præparavit*: [g] atq. ſic finem volens ob certa media, prius

[a] In epiſtolam ad Rom. cap. 8. *unde ex Angelico quando excluduntur merita in Prædeſt. intelligitur de prædeſt. ad gratiam ſimul.*

[b] Lib. 5. de fide cap. 3.

[c] de Corrept. & Gratia cap. 9. *qui tamen ubi oppoſitum docere videtur, ſolum contra Pelagium excludebat opera ſine gratia facta, a negotio Prædeſtinationis.*

[d] Petavius Theol. dogm. tom. 1. lib. 10.

[e] Matth. cap. 25. verſ. 34.

[f] Apoc. cap. 20. verſ. 15.

[g] 1. ad Cor. cap. 2. verſ. 9.

ille (ordinatiſſime operatus decreta ſua) media voluit quam finem.

445 Ex eo inde fit palam, alio tetendiſſe, quam ut putatur, Paullum Apoſtolum, ubi totus eſt in exponendo vulgarem illam doctrinam *duorum fratrum* eodem tempore ac ſtatu progenitorum, alterutro ad dilectionem & odium, *antequam quidquam boni vel mali egiſſent*, [a] aſſumto; ubi & exemplum *figuli* exhibet, e cujus ſolo venit arbitrio, dum ex eadem luti maſſa [b] quædam eliguntur *vaſa in honorem*, & quædam *in contumeliam*; [c] ubi & divinorum judiciorum quoad nos *incomprehenſibilitatem* commemorat, *inveſtigabilitatem*que *viarum*. [d] Neque enim aliud Præco clamat, aliud Judex pronunciat. Sed quem ſibi fixit ille tunc ſcopum, non alium, Veteribus [e] obſecutus, dijudicabis, quam occultam eam rationem æque ac gratioſam prædeſtinandi quoſdam ſolos *ad fidem*, dum tamen omnibus vult ſalutem. Firmius vero datæ textui interpretationi adhæreſces, quum ſi de gloria inibi ſermo eſſet, non *intenſive* ſolum, ut ajunt, ſed & *executive* inſuper ex divino hæc nutu, atque ſolo proficiſceretur, neque vero duntaxat gloria, ſed & pœna gehennalis; dum recenſitus figulus intendit ſimul & *facit* vaſa in contumeliam; [f] neque prædefinitur inibi ſolum infelix Eſau, ſed & *privatur* primogenituræ honeſtate.

446 Aptiſſima hinc nobis viſa eſt ſcripturarum illa collatio, quam nuper vir doctiſſimus ac pientiſſimus Sfondratus exhibuit: [g] Nimirum ſi quis tibi dixerit: *Non eſt currentis neque volentis*; reſpondebis: *ſi volueris ſervare mandata, conſervabunt te*; ſi dixerit: *Eſau odio habui*; reſpondebis: *nihil odiſti eorum quæ feciſti*; ſi dixerit: *cujus vult miſeretur*; reſpondebis: *miſerere omnium Domine, quia omnia potes*; ſi dixerit: *quem vult, indurat*; reſpondebis: *ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*; ſi dixerit: *excæcavit Pharaonem, ut oſtenderet potentiam ſuam*; reſpondebis: *noli dicere, ille me implantavit, non enim ſunt neceſſarii ei homines impii*; ſi dixerit: *nunquid non habet figulus poteſtatem*; reſpondebis: *nunquid voluntati ejus eſt mors impii, & non potius, ut convertatur & vivat*. &c. Ad veritatem igitur accedere quam maxime, quæ ex Apoſtolo excerpuntur ſententiæ, nemo eſt qui neſciat, ſi cum aliis ſcripturæ locis comparentur: excedere vero longiſſime, quæ ex Apoſtolo conſequi ſibi plerique perſuadent: dum externæ duntaxat verborum ſignificationis habent rationem.

447 Abſit autem, ne eo propterea perducaris ſimplicitatis, ut amoris opus non putes æternam quæ ab operibus faciendis pendet, tuam atque noſtram electionem. Enim vero ipſa merita quibus præviſis Deus prædeſtinat ad gloriam, nihil influunt in ipſam prædeſtinationem, qua parte ab homine ſunt; ſed qua ſunt tantum a gratia quæ omnino gratis citraque debitum datur. Nec ſecus hoc in negotio agit Deus, quam amantiſſimus Princeps, qui dum alicui vult feudum vende-

a Fere in tota Epiſt. ad Rom.

b *Maſſa hæc infidelitatem adumbrare videtur rectius.*

c Ibid. cap. 9. verſ. 21.

d Ibid. cap. 11. verſ. 33.

e Hieronym., Theodoritus, Origen., aliiq. *quam porro judiciorum incõprehenſ. non pertinere ad prędeſtinationẽ is ipſe Chriſtus qui rationẽ hujus, ut n. 444, patefecit, ſuadet.*

f *Quæ contumel. licet a figulo ſit tantum deſignata, & primum ab utente inferatur vaſi; æque tamen Deum dedecet, ut ante demerita ad pænam poſitive deſignet.*

g In nodo Prædeſt. part. 1. §. 1. num. 20.

Digitized by Google

vendere, iſipſe dat illi nummos queis emat. [a] Huc profecto collineat Valentinum Concilium, quo ipſum loco docet: [b] *In electione ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum noſtrum*, eam nimirum; qua volens omnes homines ſalvos fieri, accommodiſſimas unicuique gratias confert, quibus ſalutem adipiſcendo ſint, ex eoque etiam fonte perſeverantiam finalem fortunatiſſimis pluribus elargitur, quæ quamvis opus quoque noſtrum ſit, ac vertendum vitio obſtinatis, quod ſic remaneant; ſibi tamen uni reſervavit Deus, ac ſecretiori ſua poſuit in poteſtate *donum* illud optatiſſimum *perſeverandi* nullis retroactis meritis debitum vel promiſſum, licet nobis omnibus ſperandum, omnibus efflagitandum.

a Juxta illud Pſalm. *Gratiã & Gloriã dabit Dominus.*

b Cap. 3.

448 Cujus ſane amoris piiſſimi Liberator idem teſtem ſe præbuit, qui *propter electos breviaturum ſe* ait *dies illos* [c] judicium ultimum præceſſuros. Niſi enim præmaturum finem acciperet perſecutio, *non ſalva eſſet omnis caro*; [d] nec forent, qui eligerentur; fruſtraque corona gloriæ incitamento eſſet pugnantibus & reſiſtentibus. Cui porro amori, & qui ſuccumbunt, tenentur etiam; iis nempe quoque breviantur dies, & quanto imbecillioribus, tanto conſultius. Ceu Princeps qui præ longitudine itineris defecturos omnes currentes novit, adque terminum ſtatutum neminem perventurum; curſum breviat, ut ſit, qui bravium accipiat, & ita ſingulis provideat.

c Matth. cap. 24. verſ. 22.

d Ibidem.

449 Hæc autem, qua finalis perſeverantiæ ſpecies, interrupta tentatio ac ſuppreſſa nullum tibi valeat negotium faceſſere; quaſi quod, quum ſublimiſſimum illud perſeverandi auxilium, & ſine meritis conferatur, & gloriam mox trahat; intentam eam ipſam quoque ob puram putamque divinam liberalitatem perſuadeat. Enim vero perſeverantia iſthæc finalis, nonniſi, qua gloriæ meritum, huicce adnectitur, quam trahat irrefragabiliter: ſic propterea, ut quemadmodum *executivam* donationem mercedis non dixeris in re gratuitam donationem ſui meriti; ita & hujus liberalis *volitio* & intentio talem non reddit *intenſivam* mercedis ſeu gloriæ *volitionem*. Quanquam igitur *non ſit volentis neque currentis* habere, queis ipſe currat, vires & gratias; *currentis* tamen eſt (ait Apoſtolus [e]) æternum ſibi *gloriæ bravium* comprehendere.

e 1. ad Corinth. cap. 9. verſ. 24.

De

De Prædeſtinatione Semi-Pelagiana & Calviniſtica.

450 QUod errorem Pelagianorum commorantes Maſſiliæ quidam Presbyteri mitigaverint, non abjecerint; *Semi-Pelagiani* dicti ſunt ac *Maſſilienſes*. Utrunque hoc genus homines peculiarem ſibi vindicant in altera parte hujus operis locum, [a] quo te nobis remittere viſum eſt. Interim quod huc pertinet, Maſſilienſium delirium oſtendimus in eo ita ſitum, ut parvulorum omnium diſcretionis uſui præmortuorum hæc habenda ſit ratio & ſententia, quod ex operibus quæ feciſſent, bonis vel malis, pares vel impares baptiſmo autumati, aut eligantur felices, aut miſeri reprobentur. *Tales*, inquiunt, [b] *perdi taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad adultam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit*. Objectum inde ab Auguſtino cujus illi tempore viguere, *ſapientiæ* locum; (*raptum fuiſſe juſtum, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ſicque homines non judicandos pro meritis quæ habituri eſſent, ſi viverent) apocryphis amandarunt, quod in Hebraico cenſu liber ille non eſſet, nec a Laodicena Synodo quæ tunc ſola ſacros codices exhibebat, canonicus haberetur.

a In Tract. de Gratia.

b In epiſt. Proſperi ad Auguſtinum.

451 Verum non minoris in futile Maſſilienſium iſtuc commentum ponderis videtur eſſe, quod præſcita Sidoniorum pœnitentia viſis Chriſti miraculis, illis ipſis patrocinio non fuerit, quo minus æternis gehennæ cruciatibus addicerentur. Ut proinde neſciat Auguſtinus & ſtupeat, [c] *unde hoc opinari potuerint homines quorum ingenia non ſunt contemtibilia*. Et ſane etiam quæcunque patraret homo, & non patrat; ſeu morte ſeu quovis alio præveniretur impedimento; ſiſtenda forent judicio Numinis æterni, ipſius ſententiam minimum declinatura (niſi ſtultitiæ id eſſet proprium & palmare, ut in ſuis principiis ſtultum reddens incoſtantem, id ipſum inficiari faciat, quod ex probato alio bene conſequitur) quæ igitur utilitas, aut quomodo lucratus eſt animam fratris ſui, [d] quem aliquis correctione præventum a culpis arcet, dum etiam punitionem ſuam expectat eorum, quæ faceret peccata, niſi corriperetur?

c De Prædeſtinatione SS. cap. 14.

d Matth. cap. 18. verſ. 15.

452 Atrocioribus ſternit viam Calvinus; quippe qui a Diabolo in autorem ſuum blaſphemare ſolito edoctus & laureatus, iccirco malos devoveri voluit æterno exitio, quod hos Deus fatali neceſſitate, odio præeunte, ad culpam adigat. Inceſſere propterea ipſi curæ fuit acceptiſſimam Catholicorum doctrinam: non jubere Deum neque velle, *cujus voluntatis non eſt mors impii*, [e] ſed permittere vel invitum

e Ezech. cap. 18. verſ. 23.

impro-

Digitized by Google

improborum quantulaslibet ſcelerítates. *Tergiverſando*, inquit, *a* *effugiunt, Dei tantum permiſſu, non voluntate hoc fieri: ipſe vero Deus palam ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat*. Verum quod *exigentibus* nobis adverſus gratiæ conatum, futurum ille malum prædeſtinat; nonniſi dementiſſime Deo, non nobis imputatur: *Servire me feciſti*, ait ille, *b* *in iniquitatibus tuis*: ut porro neminem lateat, & *libera* nos *exigentia* jubere Deo quodammodo, ut malum opus præfiniat, & eum invitum decernere, ut quaſi ſerviat.

a Lib. 1. Inſtit. cap. 18.

b Iſa. cap. 43. verſ. 24.

453 Atrox hoc dogma, quod in Manichæis & Priſcillianiſtis natales ſuos nactum creditur, *c* atque in illis proſcriptum, adeo veritati diſſonum viſum eſt Luthero ac Melanthoni ejus diſcipulo, ut ebibitum antea toto pectore, mox evomuerint deſeruerintque; quem tamen ſibi deglutiendum vomitum dedere Calviniani, ex hinc ad recenſitum ſyſtema elaborandum mentem atque animum convertentes. Hoc profecto quod a Prodromo traditum eſt, novis pigmentis obductum ita Zanchius Calviniſta produxit: *d* *Parem facimus electionem & reprobationem in ipſarum cauſſa; nam ſicut Deus prædeſtinavit Jacob, non ex operibus, ſed ex prædeſtinantis gratia; ita reprobavit Eſau, non ex operibus, ſed ex libera odii proſequentis & reprobantis voluntate*. Quibus porro Sectariis opponendum ducimus illud Lactantii contra Idololatras: *Præſtaret nullos habere Deos, quam habere tam crudeles*. Siquidem juxta Auguſtinum: *e* *Tetriore ſacrilegio ſeſe obſtringunt, quam ſi nullum putarent Deum*.

c *Qui nempe ſomniabāt impelli homines a Deo ad mendacium, blaſph. & cetera mala.*

d Lib. 5. de Natura Dei cap. 5.

e De Civitate Dei lib. 7. cap. 9.

454 A præfato loquendi ſtylo non longe abeſſe crederes pleroſq. de ſchola Theologos, qui longe maximam mortalium partem, quin eorum futura *demerita* præſentiantur, æternis cruciatibus devotam volunt: niſi quod, ubi impius ille Calvinus damnari homines ante ullum eorum meritum malum ſive propria ſive aliena voluntate contractum comminiſcitur; iſti originariam labem in infelicibus illis, ceu cauſſam, ſupponunt. Sed & quanquam in eodem eſſe diſcrimine ante-prædeſtinantes reliquos pleniſſime animadvertamus, juxta illud: *f* *Qui non fuerit ſcriptus in libro vitæ, mittetur in ſtagnum ignis*: caſtigatiores tamen procedunt, ut velint, nondum præmiſſo operum ſcrutinio, reprobari quidem quoſdam, ſed *negative*, ſeu ad regnum non eligi, quin etiam ab illo excludi; deſcribi autem in libro mortis, *poſitive*que reprobari, nonniſi viſa & præcognita eorundem obſtinatione.

f Apoc. cap. 20. verſ. 15.

455 Laudatorum porro cauſſam non juvat, nec Deum a crudelitate eximit, quod non prius conſilium ſuum exequatur, quam a regno interdicti illi, ac gehennæ deſignati, in propria culpa dies claudant. Nimirum nota odii ac ſævitiæ foret in judice, qui ſibi abſolute conſtitueret, damnare aliquem capitis, licet non antea animo ſuo

faciat

Digitized by Google

impietate ſua; & interim ponit illos in circumſtantiis, in quibus jam viderat, pœnitentiam nullatenus acturos eſſe? nonne hiſtrionis more alienam perſonam ageret, & quod intus non habet, deſiderium, & preces foris comminiſceretur? [a] Carptam olim a Patribus in Semi-pelagianis ſententiam hanc multi volunt; occaſione præcipue quorundam verborum *Fauſti Regienſis*, quæ ſi illam minime produnt, difficile ab ea ſecernuntur: nimirum habent: *Niſi ſcientia exploraverit, prædeſtinatio* (ad gratiam) *nil decernit*. [b]

458 Quæ quidem quum ita ſint; aliam nobis ſignorum ſeriem quam modo edimus, cogimur ſtatuere. Nempe ipſe Deus, dum pius mortales omnes, doleret, labe parentis a facie ſua perpetuum eliminandos, noſtros tandem miſeratus errores; de Mediatore piiſſimo in quo poneret peccata omnium noſtrum, ſoluturo in ſe uno pœnam, ſicque omnes nos ipſi Patri conciliaturo cogitavit. Ut proinde voluerit, *hocce in ſigno*, quoſcunque homines ſalvatum iri & in cæleſtia gaudia intromiſſum, ſincera efficacique voluntate, quoad ſe, conditionata tamen, hac lege ut ea ſinguli mererentur. Et hæc eſt illa voluntas quæ dicitur *antecedens*, in qua nullus agnus vel hædus, electus nullus vel reprobus; quanquam per eam omnes agni & electi qui fierent, concupiti. Ex hac *deinde* profectum eſt, ut quæ nobis Mediator benigniſſimus (qui totius gratiæ fons eſt & origo) apta media ad meritorum poſitionem comparavit, hæc nobis voluerit Pater deſignare, ſuo tempore largiturus; dividendo illa ſecundum conſilium ſapientiæ & voluntatis ſuæ. Neque heic diſcretio ulla electorum a reprobis, licet differentia quædam inceperit in diviſione gratiarum. *Mox* quoſdam vidit, ſuadente divina gratia, exacturos libere (ac præcipue dum fatis ultimis cederent) *præfinitionem* aliam divinam ad bonum opus, & obtenturos: quoſdam vero non; irritumque *excitantis* gratiæ facturos conatum: ut inde ſua heic diſcretio interceſſerit inter habentes ac non habentes meritum vitæ æternæ. Sicque *tandem* dum albo feliciſſimi illi, ſignantur nigro iſti lapillo; paratur his gehenna, illis regnum, ceu in filiorum divinorum hæreditatem aſſumendis. Et hæc eſt illa voluntas quæ dicitur *conſequens*, qua primum habita eſt diſcretio electorum a reprobis, atque ab hædis agni ſecreti ſunt.

459 Verum quum ſupra tibi audiendum dederimus, æternæ præcognitioni obnoxium quoque fore, num creata voluntas, ſub offerenda ipſi gratia, decretum amoremque exigeret, aut non; jam forte quoque videbitur hujuſmodi *ſcientiam conditionatam* qua uti poſſit ac dirigi, præfiniturus Dominus habere prius, eo momento quo quum ſit hæc neceſſaria, definitiones liberas præcedat in confeſſo eſt. Meminiſſe tamen oportet, duo nobis, & ipſi rei implicare *exigentiam conditionatam*: unum de *neceſſario*, ſeu ſibi intrinſecam poſſibilitatem, alte-

a Sed eſt id ipſum pati videatur ſequens noſtra doctrina, quum Deus priuſquá gratiam confert in tempore, jam viderit voluntatis diſſenſum: eam tamen cófert, quod antecedenter cóferendá decrevit immutabiliter: & quamvis novam dare (ut non raro) poſſet; poteſt etiam ob eam repulſam punire.

b In Bibl. PP.

alterum de *contingenti*, quæ eſt nimirum non exiſtentia ejuſdem defectu conditionis. Videt primum cognitione & ſcientia *intelligentiæ*, ſecundum altera *viſionis*. Eam ob rem notitia conditionalium ob hanc unam eorundem neceſſariam poſſibilitatem (id quod intentum noſtrum non inficit) actus divinos liberos quod præcedat unice noveris, & præcurrat. Poſtquam videlicet, ſua ipſe intelligentiæ notitia, poſſibilia cuncta Deus proſpexit, inter quæ *exigentias liberas* poſſibiles; quum inde habuerit decreta plurima, & plurima omiſerit; jam in eodem ſigno, & exiſtentiam plurium contingentem vidit, & ſimul contingentem non exiſtentiam aliorum, partim ex conditionis defectu, partim ex motivo alio, quodcunq. fuerit; utrunque iſtud viſionis una notitia, & ſcientia.

460 Piam hanc ſtratam ſignorum ſeriem fovent Patres, non impetunt: cavendumque eſt, ne hallucineris, teque riſui ſaniorum ſubjicias autumantem; exploratricem ſcientiam conditionatam uſui fuiſſe cuiquam veterum in negotio prædeſtinationis: eam immo eliminaſſe omnes totis viribus a ſana Theologia, fecimus jam compertum. Ut propterea, *Deum vocare hominem ad pœnitentiam* (ex Auguſtino [a]) *quando ſcit ei congruere*: in idem redit, quam Deum illam præfinire, ubi homo abſolute prænoſcitur eam exacturus, facturuſque adeo ſibi congruam efficacem vocationem. Enim vero ſi circumſtantias loci, temporis &c. per ſcientiam conditionatam inſpectas ea Auguſtiniana *congruentia* redoleat; quum jam in collectione gratiarum ſint aliquæ plures quæ in quibuſvis circumſtantiis congruunt, ſeu ipſis homines aſſentiuntur (neque enim aliter poſſet Deus ſalvare hominem, ſemper ac vellet) non eſt, cur miſeraturus Dominus determinatas circumſtantias id genus debeat attendere. [b]

[a] Libro primo ad Simplicium quæſt. 2. circa medium.

[b] *Circa quam doctrin. vid. ſupra quum de* effic. auxil. *præſertim numm.* 430, 31, & 32.

DE HÆRESI PRÆDESTINATIANA.

461 Qua ſummopere Calviniani homines *Prædeſtinatianorum* modo hæreſi inſaniunt (ſic dicta quod vi ſolius prædeſtinationis & gratiæ humani arbitrii facultatem ita deprimi velit ac ut extinguat) eam natales ſuos longe antea fuiſſe nactam, ac ſub initium ſeculi V. Magno Auguſtino coævam, primi omnium, quod fore ſibi e re maxima arbitrarentur, Semi-pelagiani quidam commenti ſunt: ſuaque id *ſola fide* teſtatum poſteris reliquere. Tales non nos effingimus eos, quos alioquin eorundemmet exarata opera & fides ſeu ſuperſtitio ſatius loquuntur. Nimirum in confeſſo eſt, hos nobis, atque ſolos pertexuiſſe prætenſæ ſectæ narrationem, ac divulgaſſe,

Digitized by Google

gaſſe, *Gennadium* & *Fauſtum* Semi-pelagianorum notiſſimos Principes, *Tyronem-Proſperum*, *Ennodium* Ticinenſem, atque *Arnobium* juniorem: quem ultimum & edidiſſe hacce in re *Prædeſtinatum* librum, conjecit, qui hunc Sirmondus, ceteroquin nobis adverſus, publico lumini conſignavit: at Proſperum illum a Pelagianis non longe facit (ſin minus, eorum tinctum fuligine) Prædeſtinatianam hanc hæreſim Auguſtino inverecunde adſeruiſſe: Ennodium vero & Arnobium *epiſtola* illius 19. [a] atque hujus *Commentarius in* 50. pſalmum, [b] dum accuratiori mentis aculeo quis in illa proſpiciens, male illum de Gratia Chriſti, atq. hunc de originaria communi labe ratiocinatos repererit.

462 Magnæ interim oculatioribus Criticis atque maximæ conjecturæ eſt, a puro putoque Maſſilienſium commento (quo errori proprio faverent) *Prædeſtinatorum* ad nos hæreſim profectam eſſe; eoq. vocabulo nonniſi Auguſtini fideliores ſequaces, quin & Magiſtrum eum ipſum ſupernæ divinæque gratiæ acerrimum propugnatorem calumnioſe ab illis inſimulatos, traductos, proclamatos. Quum enim a Divo Proſpero ceteriſque Sancti Doctoris diſcipulis *Pelagianorum reliquiæ* ignominiæ cauſſa & contemtus nuncuparentur; fieri quid potuit commodius atq. planius, quam ut hos illi, quo parem vicem rependerent, & *Prædeſtinatos*, quaſi olentes *Manichæiſmum*, appellitarent? An non ſatis intelliges, & ſæpe olim & etiamnum familiare pleriſque eſſe *reconventionis* hoc genus, monumenta hiſtoriæ tantum ſi evolveris? Nonne *Eutychiani* Orthodoxos duas in Chriſto naturas diſtinguentes, ut *Neſtorianos* [c] horrebant? Nonne & *Neſtoriani* Cyrillum unitatis perſonæ Chriſti propugnatorem maximum, ceu *Apollinariſtam* [d] deteſtabantur? Atque in ſubjecta materia, ſi lubeat, jam ſcimus omnes, inſimulatis olim *Molinæ tempore*, ac impugnatis per Dominicanos Jeſuitis, tanquam *Pelagianorum reliquiis*; ab iis illos, ceu novi *Prædeſtinatianiſmi* ex adverſo fuiſſe illico redargutos. [e]

463 Et ſane nedum huic noſtræ ſuſpicioni pondus adauget, ac impulſum, *Reliquiarum Pelagianorum TESSERAM eſſe*, oppoſitos ſibi in doctrina, errorumque ſuorum criminatores novo mox falſo crimine carpere, calumniari, traducere, *ineptiſſimarum blaſphemiarum* (ut ipſe ait Divus Proſper [f]) *prodigioſa mendacia* in eos effutire; verum & quædam aliæ non contemnendæ animadverſiones. Enim vero quæ unquam cauſſa, cur omnes in libris ſuis recordatus hæreſes diligentiſſime Auguſtinus, de hac ſola poſtmodum parum ſollicitus ora tenuit? aut quis illam ubique Semi-pelagianis divulgantibus, eidem ne penitus audiret, utraque manu aures occluſit? quis id quoque Hilario præſtitit audaciſſimus, quis Proſpero, aut Fulgentio ceteriſque Orthodoxis omnibus, quæſo, quis? Solos igitur depoſitum

[a] Lib. 2. epiſt. in Bibl. Patrũ Lugd. t. 9. *in qua nec reapſe Prædeſtinatianam hæreſim, ubi arbitrio plus æquo favens, ajentem quendam, in una tantũ parte quæ deterior eſt, eligẽdi datam eſſe licentiam, inſectatur; ſed ſuã potius Pelagian. prodit, juxta Arauſ.* 2. *can.* 22.

[b] In Bibl. laudata t. 8. hiſce verb. *Qui naſcitur, ſententiam Adæ habet, peccatum non habet.*

[c] *Qui duas perſonas.*

[d] *Qui unam in Chriſto natur. aſſereb.*

[e] *Seu Calviniſmi in eo errore.* Ex Joh. a S. Th. p. 1. d. 20. q. 14. art. 7. n. 4.

[f] In proœm. ad object. Vincentian.

 iſtuc

Digitized by Google

iſtuc Maſſilienſes (ſuſpectiſſimæ in hoc datæ fidei juxta regulam alibi [a] traditam) cuſtodientes, quid aliud dixeris quam deceptores? atque a ſolis illis poſt quædam ſecula narrationem hanc quam transcriberent, Hincmarum, Sigebertum alioſque hos ſecutos maxime paucos, decerpentes, quid aliud, quam deceptos? Tanta hæc ſunt, ut ego omnino ac prorſus ſilerem, ni ipſiſſima Prædeſtinatianis objecta dogmata pleno ore loquerentur, argumentoque meo ſuas quoque vires apponerent. Non alia iſta ſunt, quam quæ in Auguſtini doctrinam a Maſſilienſibus *per conſectaria* prius intorta, [b] ab ea Divus Proſper [c] quam longiſſime eliminavit: propterea fit, ut dum ex illis Prædeſtinatianam hæreſim coaleſcere venditabant, jam non ſit amplius ambiguum, quo minus Prædeſtinatorum hoc nomine Auguſtinianos (ſaltim & inſimul) rerentur ac nuncuparent, quos & illorum dogmatum promotores.

464 Quod ſi fortaſſe dubitationi locus adhuc ſuperſit, qua dictis his noſtris ex toto non hæreas; en Autor libri *Prædeſtinati*, velis nolis, ſuum nobis pondus adjungit, quo tuum animi motum ac fluctum, imprudentem alias, expellat omnem, & longe exulare cogat. Is enim communem hominum maculam ab uno primo ad reliquos poſteros dilapſam inficiaturus, eo impudentiæ devenit, ut illam *Prædeſtinatorum* fuiſſe *inventum* [d] obloqueretur; non ne iſtud, affricuiſſe Auguſtino hæreſim illam, ejuſq. aſſeclis, qui contra Pelagium traductam in poſteros Adami culpam, acerrime tuiti ſunt, perquam apertiſſime palam facit? Eamque ob rem interpretationem benignam quam Sirmondus [e] ſibi procudit, omnino ſuſcipit nullam, dum eam ab Auguſtino ſectam Tyro. Proſper deducit, ac derivatam habet; quaſi ab eo nonniſi male intellecto, ceu a ſacris Bibliis hæreticorum deceptiones, profectam deſignaverit.

465 Eadem quæ Maſſilienſes, poſt ſecula III. Hincmarum cauſſa tenuit, quum Gotheſcalco diſtrictius convicians, de hac præfata hæreſi pluries memoriam habet; præcipue tamen *in epiſtola ad Nicolaum Pontificem*, quem ſic de eo adfatus eſt: *Si veſtra Sapientia Catholica ſcire velit, quæ ex VETERI PRÆDESTINATORUM hæreſi (quæ primum in Africa impugnata fuit, & mox in Francia revicta) dicere videatur; de multis pauca vobis ſignificamus*. Hæc autem aſſerendæ veteribus prædeſtinatianæ hæreſis Hincmaro cura fuit; quod quum ipſe ac factio ejus diſſiterentur in Deo æternam reproborum *prædeſtinationem ad mortem*, viſi ſunt Prudentio aliiſque Patribus Eccleſiæ Lugdunenſis, potiſſimum *Origeniſtis* [f] in eo errore favere, quod tandem dæmones ac damnati ab inferni cruciatibus exſolventur. Quo factum eſt, ut hos illi, par pari ſtatim redderituri, [g] ceu Prædeſtinatianos alios (utcunque de ſecta hac ſparſum olim rumorem, ſibi ita

conſa-

[a] Supra de Hiſt. Eccl. nu. 163.

[b] Quod nimir. *nõ omnes Deus creavit, ut ſalvarētur, ſed ut ornetur mundus*; quod *non õnes a Deo vocentur, ut vocē ejus ſequātur*; quod *non omnes vocati & reſpondētes accipiāt in bono exequendo perſeverantiā*; quod *Deus ad malum impios, uti ad bonum juſtos prædeſt. &c.*

[c] In reſp. ad capitula Gallor. & object. Vincentianas.

[d] Tom. 27. Bibl. PP. Lugd. f. 544.

[e] *Sigeberto adhærens in Chron.: ob quē & textū Tyr. Proſperi quidam dein immutarunt.*

[f] *Ut in not. ad* Tractatoriam *S. Prudētii to. 15. Bibliothecæ PP. Lugd. fol. 598. de quo ſupra num. 409.*

[g] *Ut habet Ant. Pagi in Critica, ad ann. 490. num. 11.*

conſulendo, recipientes) ſive ſaltim, qua eorundemmet fautores redarguerint. Auditum vocabulum ſic extemplo qua incognitum confictumque objurgati Patres carpſerunt, ut ab eis deinceps admiratione magis, mox riſu, quam ratione ulla pugnatum ſit. Hæc Divus Prudentius: [a] *Tertiam vero hæreſim qua ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus; & neſcio quem denotari volueris niſi AVGVSTINI veros SEQVACES*. Hæc Sanctus Remigius ſive Florus Magiſter in Eccleſia Lugdunenſi: [b] *Quæ eſt iſta hæreſis tam incognita, tam inaudita?.... non poteſt inveniri toto tempore quod fuit inter Auguſtinum & nos, aliquam TALEM HÆRESIM in Eccleſia EXTITISSE; niſi quod vel IPSVM vel nos qui eum ſectamur, iſtius erroris accuſat*. Quæ quidem omnia & menti noſtræ validiſſimo patrocinio ſunt, & Hincmaro ceu fabellæ architecto, Semi-pelagianorum falſo commentis aſſentationeque ſua (nulla prorſus hinc fide digno) turpiſſimæ objurgationi. Quocirca illum nonniſi fruſtra & futiliter Sigebertus Monachus Gemblacenſis Schiſmaticus ſeculo XII. ſecutus eſt. [c]

a In Biblioth. PP. Lugd. tom. 15. de Eccleſ. Lugd. cap. 4.

b Ut ſupra.

c In Chronico ad an. 415. ut in tom. 7. Bibl. PP. edit. Pariſ.

466 Nos autem non fugit Monachos quoſdam, a certo in Africa Monaſterio *Adrumetinos* dictos, aberrandi pluribus copiam feciſſe: dum falſo ab eis ad Auguſtinum perlato rumore, ita hic literis eorum Patrem *Valentinum* deceptus illuſuſque adloquitur: [d] *Turbatum* nempe *ſe audiviſſe Monaſterium, eo quod quidam in illo ſic gratiam Dei prædicent, ut NEGENT hominis LIBERVM ARBITRIVM*. Cujus profecto rei quoque meminit in libris *de gratia & libero arbitrio*, ac *de correptione & gratia* ad eundem directis. Verum ut ab ovo rem docearis, audire lubeat. Adrumetinorum illorum unus, *Florus* vocatus, epiſtolam quandam [e] auream Magni Auguſtini de *gratia victrici* ad fratres ſuos detulerat: qua perlecta turbatum eſt diviſumque Monaſterium in partes duas, volentibus eorum quinque, arbitrii humani facultatem omnino dicto ſyſtemate convulſam reddi, ac penitus aboleri; ejuſque erroris Florum ipſum & aſſeclas qui ex adverſo Auguſtinianum dogma tuebantur, inſimulantibus. Interim *Creſconius* & *Felix*, ambo ex quinque illis, Auguſtinum profecti adeunt; eique Florum & alios ita laudatam epiſtolam de *gratia victrici* male interpretari ſignificant, ut humanam prorſus inficientur arbitrii poteſtatem. Hoc Sanctus Doctor audito ſimulque credito, extemplo per eas literas diſtrictiſſime Monachos adhortatur, *ut neque ipſi Dei gratiam ſine arbitrio, neque arbitrium ſine gratia tueantur*. [f] Sed quidpiam interea ſuſpicatus doli aut ignorantiæ, Florum illum quem dixerant *turbatorem*, arceſſiri jubet: *aut enim*, ait, *non intelligit librum meum, aut forte non intelligitur*. Eo tamen adhuc diſſidio ſuperſtite, librum edidit de *gratia & libero arbitrio*, quem inſimul Valentino mittit. Acceſſit

d In Epiſt. ad Valent. 46.

e Ad Sixtum Romanſi, 105.

f In epiſt. laudata ad Valentin.

Digitized by Google

Florus : cujus ubi innocentiam Auguſtinus reſcivit , cum ex epiſtola [a] Valentini in hæc verba : *Servi tui Flori hæc fides eſt Pater* (ea nimirum quam S. Doctor miſſis libris expreſſerat) *non ſicut fratres illi locuti ſunt* : tum ex ejuſdem Flori confeſſione ; magnificum de eo reddidit teſtimonium: *Hanc fidem*, inquit, [b] *quæ Apoſtolica fides eſt*, *etiam in fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudio* : *unde potius corrigendi ſunt* , *qui eum non intellexerunt* .

467 Eam ob rem opus illud egregium *de correptione & gratia* non Prædeſtinatos ullos , ſed Pelagianos iterum compeſcendi animo , exaravit : porro qui ex ſyſtemate gratiæ ſuæ victricis ac triumphantis vanam eſſe correptionem , delerique funditus arbitrium noſtrum , facultatemque totam everti , per *conſectaria* & *abſurda* , perperam derivabant . En Sanctus Doctor , qui libros omnes laudatos [c] propter eos ſe ſcripſiſſe , ait : [d] *Qui quum defenditur Dei gratia* , *putantes negari liberum arbitrium* , *ſic ipſi defendunt liberum arbitrium* , *ut negent Dei gratiam* .

468 Huc totus etiam collineat, qui epiſtola ſua nonnullos Gallicanos presbyteros (ubi eos a Proſpero & Hilario *indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium* audit) Cæleſtinus Papa inſectatur : *Deſinat*, inquit , [e] *inceſſere novitas vetuſtatem* , *deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare* . Sane quidem his ipſis ille vocabulis non fictos ullos *Prædeſtinatos* , ſed veros Semi-pelagianos compeſci jubet , quod inter hos nefandum exiiſſet murmur in Auguſtinum , quaſi *ſuæ* prædeſtinatione *gratiæ victricis* humani totius arbitrii interitum induxiſſet. Quo factum eſt , ut recte riteque turbones illi *quieſcentium fratrum memoriam* (Auguſtini videlicet jam demortui) *diſſipare* dicerentur . Aſt ſi quiſpiam ſuum de oppoſito dubium nondum excuſſerit ; en ecce Proſper met ipſe illi præſto erit , qui *novitatem eam* & *indiſciplinatas quæſtiones* , quæ unquam ipſæ fuerint , palam faciat , ſuaque interpretatione obtrudendæ alii novæ aditum claudat . [f] *Per hunc virum Cæleſtinum* *intra Gallias iſtis ipſis qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt* , *maleloquentiæ eſt adempta libertas* .... *evidenter pronuncians quantum ſibi iſtius præſumtionis NOVITAS diſpliceret* , *quæ auderent quidam adverſus magiſtrum inſolenter inſurgere*, *& INDISCIPLINATA calumnia prædicationi veritatis obſtrepere* . [g] Neque enim Prædeſtinatiani Auguſtini ſcripta *reprehendere* , nec *inſurgere* adverſus magiſtrum , & illius gratiæ prædicationi *obſtrepere* poterant , ſi illi , ut apud Sirmondum etiam ſatisacceptum eſt , Autorem ſibi Auguſtinum & vulgo jactabant , & confictis libris mentiebantur .

469 Verum quum *indiſciplinatiores* adhuc Maſſilienſes Auguſtinianam ſententiam blaſphemiis laceſſerent & calumniis ; incitamento id fuit Arauſicanæ Valentinæque Synodis , quo inſimulationem

tan-

[a] Inter Auguſtinianas 256.

[b] Cap. 1. de Corrept. & Gratia.

[c] *De Gratia & lib. arbitr.*, *& de Corrept. & Gratia.*

[d] Lib. 2. Retract. cap. ult. *Quocirca ſapiētes ſolos reſpexit, qui ſine lib. de Corrept. & Grat. ſat intellectum eſſe Auguſt., ait in lib.* Elucidat. Auguſtinianæ *Leſcii Crödermi* (ſub quo latitat vir unus Societ. Jeſu) *Autor Prolegomenorum num.8. ſeu vir clariſs. Ludov. Muratore , ut ex epiſt. ſua 15. Febr. 1730. ad clariſs. Andr. Lucchesi Nob. Meſſan.* , *didicimus* .

[e] In Epiſt. ad Epiſc. Galliar.

[f] De Grat. & lib. arb. contra Caſs. cap. 42.

[g] *Hos tamen quod aberrandi viam ſternerent* , *jure Photius* incentores hæreſis *appellavit* in Bibl. cap. 54.

tantam, inibi Patres coacti, magnoque Auguſtino devoti & mancipati a ſe amolirentur. Obmurmurabant enim ipſis & illi, quod *ad malum* ob ſanctiſſimam quam ſectabantur, illius doctrinam, fatali quadam neceſſitate reproborum ſingulos prædeſtinari atque adigi inducerent. Sicque Patres quin *Prædeſtinatianos* ullos confodiant aut profligent, in majorem tantum uberioremq. animi declarationem, arctiſſime ſe ſibi, quos tanti ſceleris immunes fatentur, conſtituere etiam ajunt, ut ſi forte in aliis reperiant, hoc genus dogma impiiſſimum deteſtentur, atque anathematiſmis percellant. *Aliquos vero*, ita habent, [a] *ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam SI QUI SUNT qui tantum malum credere velint, cum deteſtatione illis anathema dicimus.*

[a] In Arauſ. II. can. 25. & in Valent. III. ut infra.

De Conciliis Arelatenſi ac Lugdunenſi in cauſſa Lucidi.

469 Callidiſſimus ille Fauſtus quem rite *verſipellem vulpeculam* vocat Baronius, [b] ac Iſidorus [c] *profundæ calliditatis virum*, ut apud Britannos ſuos autoritatem ſuis libris conciliaret; Prædeſtinatorum hanc hæreſim per duo Concilia *Arelatenſe* unum, & alterum *Lugdunenſe* proſcriptā fuiſſe, atque ab iis doctrinam ſuam approbatam, comminiſci minime erubuit. Quocirca quendam Presbyterum *Lucidum* nuncupatum, paratam ſibi ſcenam conſcendere cogens, modo deficientis perſonam, tum reſipiſcentis induere jubet. Refert enim [d] illum ab orthodoxa religione profugum ac ſemotum ad recenſitam hæreſim prolapſum eſſe, atque ab ipſo cui demandarat Arelatenſe provinciam, evocatum & expergefactum; erroris ſui deteſtationem ad Lugdunenſe [e] per epiſtolam mox miſiſſe. Mirum autem non eſt, potiſſimum ſibi mendaciis conſulere Maſſilienſes, apud quos licitum eſſe mentiri, ſalubriterque id fieri pluries, quin & Deum ipſum pio aliquando uti mendacio, communis doctrina fuit. Quare conficta olim Prædeſtinatorum hæreſi, ut Auguſtino ejuſq. diſcipulis, quaſi Manichæiſmum olentibus, invidiam concitarent; dein factum eſt, ut veris ac genuinis quibus illi opprimebantur, Synodis pſeudo-alias opponerent; fictiſque jam quos ipſi ferirent, hoſtibus, ita queis munirentur & clypeos fingerent.

[b] In Annal. Eccl.

[c] De Vir. illuſtr. cap. 14.

[d] *Ut in ipſo Arelat. Concil.*

[e] *Ex Binii animadverſione.*

470 Quandoquidem tanta eſt pro illarum ſuppoſitione argumentorum copia, ut ſi omnino rem non evincunt, quam maxime ac potiſſimum illam ſuadeant. Secus enim totius oſcitantiæ, non modo id temporis degentes ſcriptores catholicos, ſed & alios ſuppares, qui quum omnium Conciliorum actorumque eorundem ſeriem pertexuiſſent,

Digitized by Google

ſent, hæc duo nobis profundo ſilentio ſepelierunt, effectos reos quiſque admirabitur. Immo ſi unum Fauſtum excipias, neminem alium ejuſdem furfuris eas ipſas Synodos [a] exhibuiſſe profecto diſcimus. At quid? credendum ſoli illi quem ſuæ ſtudium cauſſæ tenere potuit, levi tu corde fortaſſe crederes & æſtimares? Sed quid inde diceres, dum ejurata ſex illa dogmata a Lucido ipſiſſima paradoxa ſunt, quibus Auguſtinianam gratiam Maſſilienſes criminabantur? [b] Quid, quum trecentorum Epiſcoporum Concilium eo, ex ore Fauſti, [c] habeamus ſine collectum, ut Prædeſtinatos confoderent; neminem tamen alium deprehenderint atque carpſerint, quam *ſolum* Lucidum nullius ſeductorem, non contumacem, non admonitum, ita ut illud imprudenter cogi debuerit? quid, quum errores offenderes manifeſtiſſimos contra fidem catholicam, cum in præfata epiſtola Lucidi, tum in opere quodam *de libero arbitrio*, [d] horum Conciliorum, ut Fauſtus loquitur, ordinatione edito & approbato? [e] Quid, quum incredibilis inconſtantiæ Chronologiam [f] prædictis Synodis conſignent, quæ ſane mira magis, minuſque tolerabilis eſt, quam altera circa hujus hæreſeos auſpicium; quoniam facilius Conciliorum notitiam haurire poſſumus ac debemus, utpote quæ palam, perque tempus non breve, & ex publicis perſonis celebrari ſolita?

471 Neque tamen quod ita ſit, ſeu non clam, nec brevi fiant Concilia vel abſolvantur, impedimento Fauſto eſſe potuit, quo ipſe minus tantorum mendaciorum architectum ſeſe efficere dubitaverit. Novum plane non eſt, falſa ſibi, ubi conducit, Concilia commentari hæreticos, qui cum Donatiſtis Marcellini lapſum, & in eo *Synodum Sinueſſanam*, ex Auguſtino, [g] compoſuere. Ceterum non apud Gallos, ſive in confiniis illarum urbium in quibus Concilia confinxit, atque ubi de mendacio facillime poterat deprehendi, calliditatem hancce ſuam Fauſtus exercuit; ſed apud Britannos unos, quibus ea venditavit, ac forte longe poſt tempus, ut ſibi exaratorum operum fidem, indebitam alias, promereretur. Qui quidem dum ſuam epiſtolam ad Lucidum ceu *Synodicam* plurium Epiſcoporum [h] manu obſignatam produxit, novi mendacii reum impræſentiarum ſiſtitur: ipſe nanque unus a quo ſolo hæ literæ proficiſcebantur, admovere dexteram debuit, ac nomen ſupponere: & quando id quoque Patribus aliis animo inſediſſet; certe Leontius totius Præſes conſeſſus, quiq. adornandæ epiſtolæ præcipua dediſſe fertur incitamenta, hoc patraſſet etiam, ac primus.

472 Verum quidem vero quin dictis his noſtris deroges; quodammodo indulgendi Fauſto, & parcendi, inque Cardinalium de Aguirre ac Noriſii denique concedendi ſententiam, totam tibi copiam, ſi exoptas, ſuppeditamus: eas nimirum eo forte tempore coa-

ctas

[a] *Saltim Lugdunenſem, ut in Conciliorum collect. Regia edit. Pariſ. to. 9. in fine.*

[b] Ex Card. Noris in Hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 15.

[c] In ipſo Cōcilii Arelat. titulo.

[d] *Quod Papa Gelaſius* in can. S. Romana diſt. 15. *exinde apocryphis amandavit.*

[e] Ait enim ipſe Fauſt. de ſuo opere nuper cit. *In quo quidē opuſculo poſt Arelat. Cōcilii ſubſcriptionem, novis erroribus deprehenſis, adjici aliqua, Synod. Lugdunenſis exegit.*

[f] Hincm. an. 433., Fauſt. 475., Baron. & Bail 490., Binius 524., Habertus 545.

[g] Lib. de unico Baptiſm. ut ſupra n. 194.

[h] *Ad num. 11; qui tamen a Codice Hincmariano abſūt.*

ctas fuiſſe Synodos; atque in præfatos errores fortaſſe Lucidum incidiſſe. Quum enim *ex epiſtola*[a] *Hilarii* Papæ quotannis Leontio celebranda eſſent Concilia; facile fieri potuit, ut hæc ipſe (cauſſa tamen alia, quam ullos extirpandi ergo Prædeſtinatos) Arelate primum, dein Lugduni coëgerit: quumque a Maſſilienſibus traducta eſſet Auguſtini doctrina, quaſi ex ea tot paradoxa & abſurda defluerent, evenire etiam adverſo fato tum potuit, ut quæ a Proſpero aliiſque eximiis viris confutabantur, iis Lucidus, ut erat pingui minerva[b] (quod & *Monimo* aliiſque accidiſſe Fulgentius refert[c]) tam faciliter quam infeliciter ſuccubuerit: atq. id primum laudata Synodus quum acceperit, potuit utique Fauſto noſtro, evocandi Lucidum, revocandique ad meliorem frugem, continuo ſolicitudinem delegare. Interim verum eſſe neceſſe eſt, in eo illum munere ſubeundo mandati limites infauſte exceſſiſſe; dum ultra fines præſcriptos exploſo jaculo, non Lucidi modo errores, verum & Auguſtinianam gratiam obtrectandi obruendique totam ſibi poteſtatem accepta occaſione fecit, ſemi-pelagianoque inde viro ſuos libros aſperſit.

473 Cum iis autem ſummo fœdere ſociantur, & Concilia præfata non in id collineaſſe, quo Prædeſtinatianam hæreſim extorrem mitterent ac penitus profligarent; & hujuſce nullos profeſſores defenſoreſque, ni totum loquendi rigorem laxes, extitiſſe: ſed ſi qui de eadem fuere hactenus proclamati, vel hi ſunt Auguſtini fideliores diſcipuli, apoſtolicæque doctrinæ vindices ac præcones; vel forte de infima plebe nonnulli pauci, qui per inſcitiam & ſimplicitatem conſectaria Maſſilienſium falſo putantes ab Auguſtini dogmatis dimanantia, tam avide, quam incaute devorabant. Hi vero utpote nunquam contumaces, nunquam damnati, condendæ ſectæ perinde impares extitere, ac Chriſtianorum paganorum nullus, ſi quidpiam in re falſum univerſam profiteri Eccleſiam impius Parochus propalaret, ſectam aliquam ob illius profeſſionem conſtituere diceretur.

De Conciliis Moguntino & Cariſiaco in cauſſa Gotheſcalci.

474 PRobaturis ab Orco iterum emerſiſſe Prædeſtinatorum hæreſim, poſtquam trecentos & amplius annos, ut inquiunt, conticuerat, præſidium nonnulli in *Moguntina* & *Cariſiaca* Synodis ſibi ſtatuunt. In illa ſiquidem animadvertunt, anno 48. ſeculi IX. a *Rabano* Moguntiæ Archi-Epiſcopo in Gotheſcalcum[d] monachum latam fuiſſe ſententiam, quod inter alia *prędeſtinari reprobos ad interitum* profiteretur: exinde ſuo Remorumq.

Anti-

[a] Ad Epiſcop. Provinc. Vienneſ., Lugd. & Narbonenſ.

[b] *Quem tamen ita facile in pingues illos errores lapſum, magni nominis Presbyterum facile vocat Longo* in ſumma Cõcil. *ad Arelat.* 3.

[c] Lib. 1. ad Monim. & 2. de Veritate Prædeſtinationis.

[d] *Quod nomẽ,* ſervum Dei, *interpretátur*.

Antiſtiti *Hincmaro*, utpote in ejus Parochia ſeu Diœceſi ad Sacerdotium evectum, puniendum, fuiſſe miſſum: punitionemque denique ſuam, iterato judicio, annis ſequentibus in *Cariſiaco* ſubjiſſe. At quanquam Conciliis hiſce in prædictis, ſeu potius *Regiis Conventibus*, Gotheſcalcus noſter qua *Prædeſtinatianus* hæreticus fuerit renunciatus ac judicatus; hoc tamen *obreptioni* omnino omni, nimioque abreptis zelo Patribus adjudicandum. Nimirum id modo maxime ſatis acceptum reddunt, quæ poſthac Concilia duo (de quibus infra) *Valentinum* & *Lingonenſe*, pluresque alii fidei digni ſciptores, ſanctitateque conſpicui apertiſſimis de illo literis demandarunt. Nihil iccirco prohibet, quo ipſe minus cum Eccleſia Lugdunenſi, [a] *in eo non Gotheſcalcum, ſed Eccleſiaſticam veritatem fuiſſe damnatam*; *nec jam illum ſed Auguſtinum potius fuiſſe hæreticum judicatum*, dolendi noveris tibi copiam ſuffectam.

[a] Lib. de tenenda Verit. Script. in Bibl. laud.

475 Quo vero iſthæc damnatio ab imis radicibus avulſa areſcat, ex eoque noſtram potius perſuaſam habeas intelligentiam; nonnihil de Gotheſcalcana hiſtoria prælibandum remur. Fuit quippe ille natione Belga vel Gallus, [b] atque ut habent Annales *Bertiniani* aliique etiam, Monaſterii Orbacenſis, Sueſſionicæ Paræciæ monachus. Sanctis Patribus perlegendis maxime dictus erat, Auguſtino tamen dictiſſimus, cujus ſententias teſte Hincmaro [c] totas dies memoriter decurrebat. Sacris deinde altaribus proxime miniſtraturus, a Rigboldo Remorum Chorepiſcopo quadragenarius ſacerdotio initiatur. Mox in Italiam profectus, Romam viſendi limina Apoſtolorum cauſſa ſe contulit: quumque reverteretur, Veronæ vel Brixiæ apud Comitem Eberardum quem in ſui deſiderium traxerat, hoſpitatus eſt. Illic repetita habuit cum Nothingo loci alterutrius Epiſcopo de *gemina Prædeſtinatione* tam electorum *ad vitam*, quam reproborum *ad mortem*, ad Auguſtini mentem colloquia & diſſertationes. Improbavit Gotheſcalcum Nothingus; & quaſi in eo quidpiam, quod & in fictis illis Prædeſtinatianis, offenderet, eum apud *Rabanum Maurum* accuſavit. Hic id ubi accepit, continuo miſit literas Eberardo, quibus ei mandat, ut Gotheſcalcum aut corrigat, aut pulſum eat.

[b] *Belgam facit Aventinus lib. 4. Annal.; Galliũ Trithemius lib. 3.; ſed & alii Germanũ, ob ipſũ nomen.*

[c] Ut in ejuſdẽ relatione infra laud.

476 Quamprimum autem reus hicce noſter ac id reſcivit; Moguntiam integritatem ſuam vindicaturus repetiit: in qua quum id temporis *pro negotiis* quidem *regiis* Conventus Epiſcoporum a Ludovico Germaniæ Rege indictus celebraretur, opuſculum quoddam fideique ſuæ profeſſionem Rabano Comitiorum Præſidi, totique illi congreſſui exhibuit. In iis nedum quod in Italia dixerat, tuebatur: improbos nempe ab ipſa Dei æternitate ad inferni ſupplicia *prædefinitos* ac deſignatos; verum & Rabani libellum quendam, quippe hujuſcemodi prædeſtinationem ad pœnam inficiantem, cenſuris adeo carpebat,

Digitized by Google

bat, ut ipſo teſtante Hincmaro, apertiſſimi *ſemi-pelagianiſmi* reum, Autorem ejus criminaretur.[a] Quo factum eſt, ut Gotheſcalcum, Rabanus aliique eidem adhærentes Patres damnarent, ſuumque ad Metropolitam Hincmarum amplius proſcribendum remitterent.

477 Siſtitur hinc novo Judici prætenſus reus, novoque regio conſeſſui, quem *Cariſiaci* quod eſt Villa Regia in diœceſi Remorum, Carolus Calvus indixerat; ibique ſuffragio duodecim fere Patrum, utpote fateri nolens cum eis, quod Deus impiorum pœnam præſciat tantum, non ultra prædeſtinet ſeu præfiniat, damnatur *Altevillarenſi* ergaſtulo retrudendus: inibi poſt virgarum aſperrimam flagellationem, circumadmoto igne libros ſuos ſuis manibus cremare compulſus eſt.

478 Ut autem ſuum præfatorum Patrum honos debitum locum habeat; ex eo maxime homini conviciati eſſe, ſicq. judicaſſe credendi ſunt, quod *errore facti*, prædeſtinari & *cogi* reprobos ad culpam inſimul, ex mente illius autumarent. Monſtrant id literæ Rabani ad Eberardum cui conqueritur, *quendam ſciolum nomine Gotheſcalcum ita prædeſtinationem exponere, quaſi Deus prædeſtinatione ſua COGAT homines interire*: & luculentius is ipſe Hincmarus:[b] *Dicunt moderni Prædeſtinatiani: prædeſtinavit Deus reprobos ad interitum, NON AD PECCATUM: quum nonniſi per peccatum*, inquit, *pervenire valeant ad interitum*. Ex quibus Hincmari verbis duo quidem notatu digna nobis ſe offerunt: & quod Gotheſcalcus *per conſectaria* ſolum & ſummum, prædeſtinari reprobos ad culpam, admiſiſſe obtrectaretur; & quod hujuſmodi prædeſtinatio ad ſolam pœnam, non ad peccatum (quam poſtea Valentina Synodus[c] amplexa eſt) per eam Hincmaro neceſſariam prætenſam conſecutionem, *nova* hæreſis prædeſtinatiana nuncuparetur.

479 Porro prædictus reus imaginarius ſuam multo amplius mentem aperturus, propulſurusque ex eo conceptam invidiam; duplicem condidit (ceu ſanioris animi argumentum) depromſitque fidei profeſſionem:[d] quarum dum prima exhibebat: Dæmones omnes ac reprobos *propter præſcita futura mala merita prædeſtinatos ad mortem*; altera hoc ipſum idem paullo prolixius: *prædeſtinaſſe Deum tantummodo bona, non mala*; *& quos præſcivit, per ipſorum propriam miſeriam in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis, illos prædeſtinaſſe ad interitum*. Quæ quidem omnia quum doloſe pronunciari Hincmarus cauſſaretur, aliamque illum interius ac penes ſe intelligentiam rei, *ob prætenſam conſecutionem*, ſibi conſtituere; quem fidem ore profitentem audierat, infidelem corde faciebat, ac maxime Maurus. Cui proinde malo ſub Sancto Remigio[e] collecta Eccleſia Lugdunenſis occurrere volens, prædeſtinationem illam fatalemque neceſſitatem ad cul-

[a] Apud Pagi, ad an. 848. *illiuſque Aſſeclas*, Rabaniticos *appellitabat*.

[b] Lib. de Præ-deſt. cap. 15.

[c] Infr. laudanda.

[d] Quam etiam exhibent Mabillonius & alii.

[e] *Nam prius ſub* Amolone *qui ut acceperat a vulgari voce, reũ credẽs Gotheſcalcum; hic dure improbatur, in epiſt. ad eundem.*

Digitized by Google

culpam *nec apud hæreticos, nec apud quenquam Catholicorum ſe cognoviſſe eo tempore, vel audiviſſe*, teſtata eſt. [a] Quin neque Hincmarus noſter in ea deſcendere auſus fuit, ut tantam iniquitatem hominem expreſſe oblocutum fuiſſe, calumniaretur: ſolis illum ac nudis verbis Nicolao Pontifici [b] facturus rationem inſectatus eſt: *Si veſtra Sapientia Catholica ſcire velit*, ita ipſe, *quæ ex veteri prædeſtinatorum hæreſi dicere VIDEATUR.... dicit quod illi dixerunt, quoniam ſicut Deus quoſdam ad vitam, ita quoſdam prædeſtinavit ad mortem*. Eam ob rem de aſtutia ſumma ac ſagacitate Colvenerius Hincmarum commendat, [c] porro qui Gotheſcalcum incuſans, non Prædeſtinatianum, ſed quod ita *videatur*, ac maxime ſibi, locutus ſit, atque ita duntaxat creditum & prætenſum reprobarit, proſcripſerit. [d]

[a] Lib. de trib. epiſt. in prima.
[b] In epiſt. ad eund.
[c] In Scholiis ad Flodoard. lib. 3. cap. 14. ut in Bibl. PP. Lugd. tom. 17.
[d] *Quod et fecit ob alia capita; quod nẽpe Gotheſc. viſus ſit negare Chriſti mortẽ pro omnibus; quod ad malũ tantum admittere libertatẽ; et quod dixerit* Trinam deitatem: *quæ non ſunt hujus loci.*

De Conciliis Valentino III. & Lingonenſi aliiſque PP. in cauſſa ejuſdem.

480 Abſolutis jam præfatis Synodis ſeu Conventibus per Rabanum & Hincmarum, novum aliud in Galliis ad annum 55. ejuſdem ſeculi, ſub Lothario Imperatore *Valentina* in Urbe Concilium coactum eſt; cui Nicolaus Pontifex apud Annales *Bertinianos* ſubſcripſit. In eo quamplurimi ex 14. illius Epiſcopis Gotheſcalci cauſſam impenſe adeo ſuſcepere, ut *quatuor* illa *capitula* Cariſiaca quibus eum miſerrimum Hincmarus reprobaverat, qua *inutilia*, qua *noxia*, qua *erronea* & qua *commentum diaboli*, acerbis iſtis cenſuris [e] reſciſſa ſint: dein in Canone 3. decretum eſt, *geminam* dari in Deo prædeſtinationem & electorum ad vitam, & impiorum ad mortem; mox illo quod in Cariſiaco habebatur: *UNAM Dei prædeſtinationem tantummodo dicimus*: penitus obliterato. Quæ decreta ubi a Remigio Lugdunenſi accepit Carolus Rex Francorum, ea ſtatim, quo vel ipſa impugnaret, vel eis ſubſcriberet, Hincmaro porrexiſſe perhibetur. Verum hic tres annos integros obmuteſcens, volumen quoddam *de prædeſtinatione & libero arbitrio* tandem digeſſit, [f] concinnavitque *contra quoſdam reprehenſores ſuos* & maxime Gotheſcalcum. Valentinæ adhæſit Synodus in *Lingonenſi* Territorio poſt annos quatuor a Patribus iiſdem eademque fere de cauſſa celebrata; quæ quanquam latas illas in Cariſiacam cenſuras expungi indulſerit, reliquos omnes Valentinæ actus ac dogmata confirmavit. De alia vero eodem anno ob id ipſum in Tullo apud Saponarias coacta paullo pleniori, ut quæ ex duodecim Provinciis coaleſcens, Carolo Calvo ejuſque Nepotibus Lothario & Carolo aſſidentibus, non leve eſt inter Criticos dubium, quod proinde ipſos diſcindit.

[e] *Quarum cauſſam eo quidam referunt, quod in præſẽti Cõcil. multũ valuerit* Ebbo Epiſc. Gratianop., *qui in Hincm. autorem Cariſiacæ Synod. potuerit ulciſci dolorem avũculi ſui* Ebbonis Remenſ. Ep., *cujus ſedẽ mox ab ejus, ob conjurationem in Regem Lud., exautoratione, Hincmarus occuparat.*
[f] Ex Flodoardo loco cit. cap. 15.

481 Ne-

481 Neque tamen profectò minus Gotheſcalco in tot anguſtiis defuere, qui ipſi directè fuerint patrocinati: nimirum *Eccleſia Lugdunenſis* [a] cujuſce libros S. Remigio illius Epiſcopo quidam, quidam autem *Floro* magiſtro ejuſdem diacono eruditiſſimo aſcifcunt; *Rotaldus* Sueſſionis Antiſtes, legitimus Gotheſcalci judex, qui teſte Flodoardo [b] congreſſibus Cariſiacis intereſſe noluit, quod in eo opprimi veritatem pati non poſſet; *S. Prudentius* Tricaſſinus [c] qui in Gotheſcalco Auguſtinum ipſum impugnari doluit; *Retramnus* Corbejenſis [d] qui libellum Hincmari *ad Recluſos* editum confutavit; *Servatus Lupus* [e] & *Lupus* alter Ferrarienſis, qui [f] confirmaturus doctrinam Prudentii, ſicque reum noſtrum vindicaturus hæc habet: *hujuſce cauſſam pauci capiunt, licet multi ventilent*: aliique plures qui ſatis ſuperque in *Bibliotheca Patrum* ſufficiuntur. Interim nullum tibi negotium faceſſat, Lugdunenſem Eccleſiam & Prudentium deteſtatos quoque eſſe Gotheſcalci delirium; dum nonniſi illud in eo *prætenſum* diris ultimis, uti & nos, devoverunt: palamque hoc fit, quod nullam eſſe nec fuiſſe unquam (fatentibus apud Pagi [g] iiſdem qui nobis contradicunt) hujuſmodi hæreſim contenderent, quæ ſub Gotheſcalci nomine impugnabatur. Utriſque iis Valentina Synodus congruit, quæ *contra Prædeſtinatianos* titulum & denominationem ſortita eſt: nimirum vel in aſſertos illis errores, vel in prædeſtinationem inficiantes, ſeu Johannem Erigenam aliosque Scotos.

a In libr. laudatis.

b Laud. loco cap.

c In epiſt. ad Hincm. & Pardulum, & in lib. de Prædeſtinat. contra Johan. Erigenam.

d In epiſt. ad Amicum.

e Lib. de trib. quæſtionibus.

f In epiſt. ad Carol. Calvũ.

g Ad annum 852. numm. 10. & 11.

482 Unum pro coronide ſupereſt, nempe ut Auguſtinum & Proſperum Fulgentio Valentinæque Synodo conciliemus. Habent enim illi: *Bonos præſcivit & prædeſtinavit ad regnum, malos autem præſcivit tantum, non prædeſtinavit*: (quem Hincmarus, ad Flodoardi teſtimonium, [h] Gotheſcalco locum objiciebat) Fulgentius autem: [i] *Deum prædeſtinare quoſdam ad gloriam, & quoſdam ad pœnam*; quem in relata *gemina* prædeſtinatione Valentina Synodus ſecuta eſt. Tota autem conciliationis ratio ab eo pendere nobis videtur; quod quum divina volentia qua Deus ab æternitate electos ſuos ad præmium deſignat, quantumvis præſcientiam bonorum operum, ut vidimus, ſubſequatur; nihilo tamen minus fundetur antea in generali beneplacito ſalvandorum hominum; hinc factum eſt, quo Patres, electos omnes nedum præſcitos, ſed & prædeſtinatos voluerint: quumque ex adverſo impiorum deſignatio ad gehennam, ſolam & unicam finalis eorundem prævaricationis ſcientiam conſequatur, nec eos perdendi *antecedens* in Deo voluntas extiterit; hæc porro cauſſa, cur præſciti ſimpliciter, non prædeſtinati (ſubintellige *antecedenter*) dicantur.

h Loc. cit. cap. 28. & ap. Colven. laud.

i Lib. 1. ad Monimũ cap. 13.

Digitized by Google

De quarta propoſitione Janſenii.

483 IMpactum a Pſeudo-Proſpero ceteriſque aliis Maſſilienſibus Beato Auguſtino *Prædeſtinatianum* errorem, rite ac recte illimet adſertum fuiſſe Janſenius exiſtimavit: vulgatumque opus quoddam eum continens ſub tanti Doctoris nomine ſive *titulo* [a] (a nonnullo profecto Semi-pelagianorum) temere per orthodoxos abjudicatum mox illi, cujus totam eſſe libri doctrinam ſibimet incautus blandiebatur, opinari etiam debuit: quandoquidem eo uno Maſſilienſes animo inſectatus eſt, non quod in vulgus propalarent, ſed quod propalato Prædeſtinatianiſmo, deque ore Auguſtini atque mente delapſo & accepto, quam procaciſſime ac impiiſſime adverſarentur. *Semi-pelagiani*, ait ille, [b] *in hoc erant hæretici, quod vellent gratiam talem eſſe, CUI POSSET humana voluntas RESISTERE vel obtemperare*. Quam quidem ob rem obſecutum eum dixeris Calvinianis, qui ne vulgatæ olim Sectæ excitatores & recoctores viderentur; nuſquam hanc hæreſim extitiſſe ajunt; ſeu nuſquam Prædeſtinatianos (quos admittunt lubenter) fuiſſe hæreticos, ſed Auguſtini doctrinæ, atque adeo Catholicæ opinioni impenſius addictos, qui quod prædeſtinatione illa ſua libertatem noſtram & Maſſilienſes perſtringerent, ab iis hæreticorum nigro theta vexati ſunt.

[a] *Exiit enim V. ſec. in lucem opus quoddam Prædeſtinatianum errorem continens, cui nomen fecerũt:* Auguſtinus.

[b] In 4. ejuſdẽ proſcripta theſi.

484 Ut autem ſupra monuimus, [c] a ſe totam invidiam, ſeu a Janſenio ſuo pellere nituntur Janſeniani: voluntque illius duntaxat Cenſoribus conflandam eſſe, qui aſſertionem eam, nullibi ab eorum Magiſtro, ut ajunt, exhibitam & porrectam, eidem temere affricuerunt. Operæ igitur pretium eſt, ut inde ſuus proſcribenti Eccleſiæ honos firmetur, illum heic indigitare locum & textum de quo famoſa enunciatio deſumta eſt: conſtabitque ſic inſimul, quin & perſpicue, *in ſenſu ab autore intento* confixam eſſe. Is enim quum *de hæreſi Pelagiana* [d] Maſſilienſium errorem inſectaretur, in eo ſitum maxime monuit, *quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeverare & operari bonum; ita lapſus ſaltim credere poſſet, ſi vellet, neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, CUJUS USUS vel abuſus RELICTUS ESSET in uniuſcujuſque ARBITRIO & poteſtate*. Quod ſane ita perſpicuum eſt, ut ſuper-vacuum videatur accumulatis teſtimoniis id velle firmare: tantoque magis quod is ipſe acerrimus Janſenii vindex Petrus Aurelius [e] nullum ad hæc pro eo reponere verbulum cogitarit. Solum autem ad ea illius verba confugit diligentiſſime, quibus ad reſiſtendum gratiæ conatibus, cuidam incauto videretur plenam faſſus eſſe in hominibus poteſtatem. *Conſtat multos,*

[c] Num. 405. de Janſeniſmo.

[d] Lib. 8. de Hæreſi Pelag. cap. 6.

[e] Theologus Timaletẽſis in Panegyri Janſeniana: de quo num. 407.

Digitized by Google

tos, nimirum ait, [a] *motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione DISSENTIUNT.* Verum quod ceu abſolute prolatum adfert Aurelius, id nonniſi per ſimplicem objectationis modum Janſenius pronunciavit; dixit enim: *Nec vero moveat quenquam, quod CONSTET MULTOS*, cetera. Cui porro argumento facturus ſatis, novam aliam apertamque detegendi erroris ſui copiam ſuppeditat: nempe victricem gratiam ſemper ſortiri effectum ſuum magis minuſque, nullamque aliam quæ victrix non ſit, in hominibus lapſis conſtituendam eſſe: *Nil verius dici poſſe*, ait, *quam quod omnia quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Auguſtinus dixerit. Cujus rei cauſſa eſt, quod nullam agnovit aliam, nec agnoſcere potuerit.*

485 Verum ultra *victricem* gratiam quæ noſtras rebelles cohibeat concupiſcentias, voluntatique triumpho ſit, ut ei omnes adverſantes proſternat tentationes diabolicoſque ſuggeſtus; dari & alteram *efficacem* quidem *ex ſeſe*, qua certo poſſumus ſalutariter operari, ſi lubeat, vitio tamen noſtro non operamur, divino Spiritui procaciſſimi reſiſtentes; nil tritius iis, qui vix a limine divina Biblia, Patres & Concilia ſalutarunt. Unum autem in præſentia ſufficiat (quoniam de hoc agere, ad hunc locum proprie non ſpectat) utriſque lacertis a Janſenio recte amplexandum magnique habendum, ceu Magni Auguſtini ſui teſtimonium. *Miſericordia ejus*, ait ille, [b] *prævenit nos*: *CONSENTIRE autem vocationi Dei, aut DISSENTIRE propriæ VOLUNTATIS eſt.* Ex quo profecto uno loco pleniſſimam ineſſe nobis, qua ſupernæ gratiæ reſiſtendo ſimus, arbitrii poteſtatem; nimium imperitus eſſet, ſi quis in dubium vocaret. Quare ubi quidpiam ex eo excerptum favere Janſenianis ſpecie tenus videbitur: ut *ſi Deus miſeretur, jam volumus*: [c] &, [d] *abſit ut quiſque non veniat, qui a Patre audivit & didicit*: aliudq. parum abſimile; jam de gratia illa victrici quæ decreto *exigentiam* voluntatis liberam (per quam *audiendo diſcimus*) conſequenti ac *miſericorditer* impertito adnexa eſt, totus ſermo eſſe poterit.

486 Quoniam autem Janſeniſtæ ſubterfugium quoddam ſibi patere velint, ſi ad diſſentiendum gratiæ in voluntate poteſtatem ejus libertatemque remotam fateantur, ac duntaxat *in ſenſu diviſo* ab illa; jam hoc arctius occludere, curæ nobis videtur eſſe. Eo me tamen nil facilius feliciuſque adgreſſurum eſſe, mihi polliceor. Omnibus nempe compertum eſt, *reſiſtentiam* proprie dictam duo in ſe una implicare: & quod alter in ſuo eſſe permaneat, & quod hunc interim alius obſideat. [e] Quam bella ſecus animi fortitudo ac membrorum ſtrenuitas, qua ſuas hoſte adventante nondum aut jam abſcedente injurias quiſquam propulſat! fortene ſerietati ſubjicis, quod joco tantum Mimi in ſcenis præſentant? Quum igitur *reſtitiſſe Spiritui Sancto dura* quoſdam *cervice* homines doceamur, [f] & vere reſtitiſſe, ut ſumma tunc exprobratio-

[a] Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 27.

[b] De Spir. & lit. cap. 34. *Cujus textus alter ex cap. 18. de Nat. & Gr.* Quid ſtultius quam orare, ut facias, quod in poteſtate habes? *ſi in præſenti vim haberet, etiã naturæ integræ gratiã faceret neceſſitantem: Adam enim etiam debuiſſet orare, uti nos, quia principaliter a Deo eſt bona operatio.*

[c] Lib. 1. ad Simplicianum q. 2.

[d] Lib. de Prædeſt. SS. cap. 8.

[e] *Nempe reſiſtentia in Philoſ. definitur*; permanẽtia in proprio ſtatu, contrario obſidente.

[f] Actor. cap. 7. verſ. 51.

bratione multarentur; jam non erit ambiguum, quo minus & in *ſenſu* ad gratiam *compoſito*, ſua illos libertate fruentes, fateri neceſſum ſit. Quam quidem ingenitam in homine prærogativam quotquot ſunt Divi Thomæ diſcipuli quum ingenue fateantur, gratiamque efficacem ſuam (quæ diu Scholas univerſas tenuit) decreto *antecedenti* adnexam ita conſtituant, ut nullum inferri arbitrio humano gravamen velint, ſcripturis id fulciant, exemplis declarent; mendaces oſtendunt, qui maculaverunt eos. Rectiſſime propterea eruditiſſimus Graveſonus [a] *dari medium* (ſuam nempe de gratia doctrinam) adſerit, *inter proſcriptos Janſenii errores, & toleratas Ludovici Molinæ opiniones*. Fuit quippe olim Janſeniſtarum flebilis clangor (queis ſolatium reputabatur, ſocios ſecum alios habere ac pœnis addictos) *Thomiſtas* omnes in Janſenio uno perculſos fuiſſe, & *Moliniſtas* maxime exaltatos. Arriſit quorundam auribus clamor, qui & ad ſimilia eorum os adaperuit, & multos annos cum injuria Dominicanorum, noſtratumque intimo ſenſu, quibus magna cum illis ex antiquo neceſſitudo eſt, oblocuti fuere. Hos quos detecta jam ac forte comprehenſa veritas nullatenus cohibere valuit, Conſtitutione tandem ſua [b] Benedictus XIII. ſilere juſſit; detractores Angelicæ Doctrinæ ac blaſphemos, cumque Janſeniſtica confundentes cenſuris carpſit; longeque eam ab illis confixis theſibus præterea declaravit.

[a] In hiſt. Eccl. to. 8. colloq. 3. §. *Ea Innoc. X. Pontif. Max. conſtitutione.*

[b] *Quæ incipit* Pretioſus in conſpectu Domini Patrum Prædicatorum Ordo: *anno* 1727. *de qua etiā num.* 334.

DE

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

DE NOTITIA ET EXISTENTIA MYSTERII.

487 MYſteriorum omnium celſiſſimum, ac ſane tantæ profunditatis in præſentia rerum occurrit, ut quum hoc ego ſalutatum venerim, tantus me ipſo in limine occultus horror invaſerit, quo ex eo, alius mihi ſit, quam qui forte inveſtigandi animus, præ-intenderem commoneri. Moremque illi gerens, horrore ipſo ac timore victus, ejuſce duntaxat umbras exoſculatus, de eo non aliud prælibabo, quam quod ſimplex fides doctique ab ipſa Patres expoſuere. Horum itaque non modo ſemitam ſequens, ſed verba; quid nobis de arcano illo ſentiendum ſit, adaperiam; atque id cum Eccleſia Catholica, ſic ipſa Divinum Patrem in illius ſolennitate, dum ſacra facit, adſante: [a] *Qui cum Unigenito tuo & Spiritu Sancto Unus es Deus, Unus es Dominus, non in unius ſingularitate Perſonæ, ſed in unius TRINITATE ſubſtantiæ. Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto ſine differentia diſcretionis ſentimus. Ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in Perſonis proprietas, & in Eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas*. Totum ergo altiſſimum hocce myſterium eo redit, ut idem ſint tres Perſonæ ceteroquin diſtinctæ; queis nempe ſingulis natura una & ſubſtantia; ac ſi unum hominem faceres Petrum, Andream & Jacobum inter ſeſe quoad *hæcceitates* diſtinctos. Quumq. tribus una Potentia, una Voluntas & Intellectus unus; neceſſe inde eſt, ut quidquid *ad extra* Perſona una intelligit, vult aut operatur, & alia ſimiliter indiviſibili eadem actione intelligat, velit, operetur. Atque adeo conformiter, ut nulla aliam cogat, aut ducat uſpiam, quo non velit: ceu ejuſdem frontis oculi duo, quorum ubi unus, reſpicit etiam & alter, quin quidem alius alterutri vim minimam inferat.

[a] In Præfat. Miſſ. SSS. Trinit.

488 Quam-

488 Quamvis autem expreſſam Trinitatis notitiam, utpote omnium myſterii myſteriorum, altiorique ex eo dignæ præcone, ſibi Chriſtus ſervaverit prophetandam; [a] lux aliqua tamen, ſubobſcura ſaltim, infulſit quoque Patribus ſemel ac iterum in veteri Teſtamento. Habetur enim in Geneſi: [b] *Et ait*: *Faciamus hominem*. Quandoquidem vox illa, *ait*, ſingularitatem naturæ, & *faciamus* Perſonarum in eadem patefacit multiplicitatem. In pſalmis: [c] *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. In quo fit mentio *Domini* ſeu Patris, *Verbi* & *Spiritus Sancti*: & alio in loco: [d] *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*. Et recte quum ter ibi nominetur Deus, ſecundo loco additur *noſter*, quod ſecunda illarum perſona humanæ carnis aſſumtione peculiariter futura eſſet noſtra, & eatenus noſter Deus. Quin & paullo clarius alibi innuitur: [e] *Filius meus es tu, ego genui te*: ut quemadmodum nemo ſe ipſum generat, neque ſibi Filius & Pater eſt, ita in vere pluribus perſonis divinam naturam unam conſiſtere neceſſum ſit. Adducitur & illud Abrahæ, [f] qui quum tres ei viri præſentati fuiſſent, illos tanquam unum coluit adfatuſque eſt.

489 Neque etiam me fugit æternæ illius claritatis radios Deum quoque ad Ethnicos direxiſſe: dum longe ceteris elegantior *Mercurius Triſmegiſtus* (de quo tamen infra) eamque ob cauſſam *divinus* appellitatus, in talia devenit queis diceret: [g] *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*: dumque etiam Auguſtino teſte [h] in libro quodam Platonico id lectum fuerit, a quo ſuum Divus Johannes exorſus eſt Evangelium ad illa uſque verba: *Fuit homo miſſus a Deo*. Id quod integrum maneat, ſive hoc ex Pentateucho Judæorum hauſerint, ſive ex Sybillis excerpſerint, ſive eorum lumini æterno favente, id fati fuerint. Aſt ubi divina lux undequaque ſe huc illucque diffundens mortalium oculos cunctis referat, quo videant; ibi pſeudo-Chriſtianorum nonnulli eos ſibi claudunt, ut cæcultent. Quin & nullatenus Chriſtiani nomine donari queunt, porro qui a ſe arcanum iſtud quæ Chriſtianorum teſſera, & ita propria eſt, quam quæ maxime, infideliores abjiciunt. Scite proinde Hilarius de hoc myſterio: [i] *Eccleſia intelligit, Synagoga non credit, Philoſophia non ſapit*. Sed væ tamen Chriſtianis illis, qui ſic deſipiunt! Exurgent in judicio nonnulli gentilium, qui eos condemnabunt.

[a] *Sic ubi dixit*: Tres ſunt qui teſtimoniũ *&c.* & hi tres unũ ſunt: *Ubi, ſe a Patre genitum ac miſſum, a quibus* & mittendum Spiritum S: *& alibi: ut quum de hær. Sabell.*

[b] cap. 1. num. 26.

[c] 32. verſ. 6.

[d] 66. verſ. 7.

[e] Pſal. 2. verſ. 7.

[f] Geneſ. cap. 18. verſs. 2. & 3.

[g] Dialogo 4. in Pymandro. *Id quod de* uno *Deo creante* unum *mundũ intendi poſſe, ait D. Thom. q. 32. art.* 1.

[h] Lib. 7. Cõfeſs. cap. 9.

[i] Lib. 4. de Trinit.

De

De Pymandro Mercurii Triſmegiſti.

490 QUem vulgus Mercurium, *Hermetem* alii nuncuparunt; atque ex eo Triſmegiſtum, quod ceu *Ter maximus* reputaretur. Hujuſce nominationis homines ad tres doctus Abulfarages [a] diſtinguit: quorum priorem vixiſſe tenent orientales [b] 1000. circiter annis ab Adam, confundendumque cenſent cum *Edri* vel *Enoch*, quem *ouriai*, ſeu magnum magiſtrum Chaldæi vocant: alterum nonnullis ſeculis diluvio poſteriorem: quem quoniam *ouvanai* titulo, adſertum illi opus condecorat, vertitque id Interpres Arabicus [c] in *mundi Servatorem*; ſuſpicio quædam nobis ingeritur, ne cum Joſepho Patriarcha cui tale datum in Scripturis elogium perſpectum eſt, velut unus fortaſſe comprehenſus fuerit. Poſtremus eſt ille Magnus Mercurius Ægyptius, de quo ſermonem modo noſtrum paramus: quem quidem ante Moſaicum ævum comparuiſſe, ac longe multo; ſibi plures pro firmo ſtatuunt; [d] at verius, qua potiſſimum ætate vixerit, omnino incertum eſt. Huic permulta ac digna volumina attribuuntur, quæ ad 42. recenſuit Clemens Alexandrinus, [e] ac ſingulorum argumenta pertexuit.

491 Præſtat omnibus *Pymander* unus, [f] ter magno Mercurio dignum opus. In eo (ad rem præſentem quod attinet) non mediocrem auguſtiſſimæ Trinitatis porrigit notitiam, pagano viro paullo majorem. Didiciſſe illam ab eodem Pymandro quem *ſermonem Dei* tum nuncupat, ſe fatetur: ubi nimirum cogitanti ipſi de natura rerum ac Deo, ſopitis jam corporis ſenſibus, illapſus eſt. Quum autem quæ biberat, eructaverit; hæc ad nos, ultra allatum jam teſtimonium, [g] de ineffabili myſterio illo tranſmiſit: *Mens autem Deus utriuſque ſexus* (intellectus videlicet ac voluntatis) *fœcunditate pleniſſimus, vita & lux, cum Verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque Spiritus numen*. Et ecce jam tibi factam præſentiſſimam Trinitatem perſonarum earundemque proceſſiones. Utriuſque ſexus fœcunditate Deus noſter eſt plenus, quia ubi Filius divino gignitur intellectu, Spiritus numen partus eſt divinæ voluntatis. Neque ſibi abſimilis eſt, niſi ſolum in majori dicendi perſpicuitate, quum ait: [h] *Sermonem ac mentem a Patre genitum eſſe, Deum ignis & ſpiritus*: ſicque abunde aliis in locis, quæ propoſitam nobis brevitatem læderent, ſi recenſeremus. Recte igitur antiqui Patres Juſtinus, [i] Lactantius, [k] Auguſtinus, [l] & Alexandrinus Cyrillus [m] magnum in laudato opere, ac firmiſſimum contra Ethnicos quibus erat

[a] In Opere *de Dynaſtiis*.

[b] Ap. D'Herbelot in Biblioth. Orient. pag. 449.

[c] Apud Calmet in additamento, verbo *Mercurius*.

[d] Apud Nat. Alex. ſec. 1. artic. 15.

[e] In ſuis operibus.

[f] *Juxta quē ſuppoſitis unicuilibet textui locupletiſſimis commentariis Philoſophiam, hoc pacto, ſuā Theologicamq. Hannibal Roſſelli Ord. Minimorū Calaber inſtituit, et ſex tomis abſolvit Cracoviæ ab anno* 1575.

[g] Seu *Monas genuit Monadem* &c.

[h] In eodem Pym.

[i] In calce cohortationis ad Græcos.

[k] Lib. 4. divinar. Inſtitut. cap. 6.

[l] Lib. de quinq. hæreſ. cap. 3.

[m] Lib. 1. contra Julianum pag. 30.

in ſummo pretio, Religionis Chriſtianæ præſidium poſuerunt, ſuperſtitioniſque gentes criminati ſunt.

492 Aſt ipſus exceſſus luminis quo Pymander Mercurii totus effulget, perinde quampluribus viſus eſt ac caligo, qua totus obrueretur. Quum enim, ajunt, autor illius exactam rerum in exordio mundi geſtarum rationem delineet; quum inſediſſe *naturæ humidæ* ſpiritum Dei, in qua prius tenebræ incubuerant; diviſam fuiſſe terram ab aquis; hominem Deo ſimilem ejuſque in imaginem procreatum; dictumque animantibus, ut creſcerent & propagarentur; ſacramentum etiam Trinitatis abſconditum a ſeculis, pene oculis ſubjiciat; virtutes moreſque, ad apoſtolicam normam ac verba ipſa, inſtituat reformetque; nonne hunc Moyſe recentiorem, de cujus *Geneſi* (ut quidam Platonicorum) decerperet; nonne & Prophetis aliis; nonne & Evangelicis Præconibus quos tranſcriberet, poſteriorem arguunt? nonne & Mercurio opus abjudicant, qui Apoſtolos, qui Prophetas, qui & Moyſen ipſum longe antea præceſſum ivit? Verum quei factum eſt, ut in illam antiqui Patres, ceteroquin obviam, difficultatem minime offenderint? ac ſi offenderunt, cur & ſpreverunt? forſne futilibus in negotio religionis armis ab ipſis pugnatum velis? ecquæ quidem mox frons eorum, ſi detegi contigiſſet; & quanta religionis jactura? neque *ad hominem*, ut ajunt, argutatos Patres, fortaſſe tibi ſuadeatur: niſi enim Gentibus conſtanti traditione ſuum eſſe, perſpectum eſſet; facile ſibi opus abjudicaſſent, quod noſtra, non eorum doctrina abundare internoviſſent: vel niſi has incautiores, quam Troicos doli alias neſcios, qui onuſtum gravidumque equum hoſtilibus armis, in ſua, certo evertendi, transtulerunt, effingeres. Tanta tamen eos nota abſolvunt exempla. Ut enim ſcio, Sybillarum opera & carmina, ob forte minorem cauſſam, totis Gentes ſtudiis a ſe amoliri conatæ ſunt, ita ut Patres & ipſis æquo marte aſciverint. Hæc porro Gentilium Sybillarum oracula rem valde juvant; ut quæ nullo habito ad Biblia vel Moyſen reſpectu aut commercio, ſecretiora fidei chriſtianæ monumenta reſerant, apertius fortaſſe atq. uberius, quam Pymander Mercurianus. Hic tamen & ex Moſaicis apte libris confici potuit (quin & confectum cum pluribus [a] opinamur) & ab *Hermete* hocce noſtro; ſi vera eſt, quemadmodum verior, quorundam aliorum traditio, quæ hunc ad Moyſis æram, vel forte poſteriorem conſignant.

493 Majus fortaſſe dubium ea facta in Pymandro *Græcorum* mentio, atque hæſitationem animo ingerit; ut qui longe poſt Moyſen nomenclaturam illam ſortiti (ad quindecim fere ſecula ante genitum Servatorem [b]) jam exprimi a Triſmegiſto coætaneo Moyſi vel anteriore non potuerunt. *Orationem hanc*, inquit ille Regi Aſclepiadi, [c] *ab nemine interpretatam conſerva, uti nec ad GRÆCOS myſteria iſta perveniant;*

a Penes Roſſelli laud. Leonard. Coqua ũ in notis ad capit. 23. Auguſtini de Civit. Dei.

b *Seu poſt aditam Chananæã juxta ratiocinium Petavii lib.* 1. *Rationarii temporum cap.* 7.

c Cap. 16.

Digitized by Google

veniant;neve GRÆCORVM ſuperba & diſſoluta loquendi ratio,cetera. Verum quum interpretibus licentiæ verti poſſit, ut quo nomine nationem illam & regnum (neque enim incolis tunc deſtitutum rectius crederes) Mercurius noſter appellitavit; illud novo alio, quia tum temporis vernaculum, ſubrogato immutarint; quis quidem æque in primo autographo impoſitum fuiſſe *Græcorum* vocabulum, divinabit, & Mercurio exinde opus abjudicabit? Hoc autem illis ſit dictum, qui tempeſtatem Mercurianam Moſaica ſuperiorem omnino volunt: ceterum quum id non ſatis ſit hactenus exploratum, etiam poſt eam illam collocare (pluribus ſuffragantibus [a]) nemo nos prohibebit; adiget immo nonnihil Sybillarum, ad quod Pymandrum noſtrum rationem habuiſſe, deprehenſum eſt.

494 Supereſt, ut de uno te moneamus: non adeo purum Pymandrum eſſe atque rectum, ut autor ejus de ſuo quædam proferens, ſanis illis ſententiis errorem immiſcuiſſe non videatur. Qui de terra eſt, de terra loquitur. Gentilis erat, & gentiliter loqui ex ſe poterat, cui proinde in Pythagoricam *animarum tranſmigrationem* prolabi facile fuit. *Supplicium*, inquit, [b] *bujuſmodi eſt,ut ſterilis anima in corpus quoddam per judicium MIGRET, cui nec maris nec feminæ natura inſit.* [c] Dum nempe a divino Pymandro non amplius audit, vel ex Pentateucho non excerpit; ceſſant divina, & infernalia venire poſſunt. Ceu quum ventus flat, pulverem exagitat, & ſupra naturam ejus in aëra attollit; quum vero quieſcit, ruit illa, atque ima priſtina ſua loca petit.

[a] Apud Coquæum laud. & alios.

[b] Cap. 2. loquens Æſculapio.

[c] *Hocce in loco de tranſmigratione metallorum, ac de alchimia locutum Triſmegiſtum(ac etiã Pythagoram) ſibi alchimiſtæ blandiuntur: multo magis quod poſtquam dixerat:* cui nec maris nec fem. nat. inſit; *ſubjiugit*: quod quidem a Sole elevatum eſt, atq. connexũ: *quaſi corpus il*lud aurum *ſit, neutri generis, ſicq. nec maſc. nec ſem.*

De Hæreſi Sabelliana.

495 SÆpe nomen mutant Urbes & Regna: priorique, qui ea primo conſtruxit, rite tenuit, diu poſſedit, neglecto; ubi qui novus Reſtaurator accedit, noviſve legibus moderatur, ipſi jam devoventur, novumque non raro nomen acceptum referunt. Eadem quæ nationes; interdum & ſectas ipſas jura tenent: quare compactam ab *Ario* Presbytero Alexandrino confectamque in æternum Dei Filium execrabilem ac maximopere blaſphemam hæreſim; *Euſebianam* & *Nicomedianam*, quippe rurſus ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo excitatam, dein nuncuparunt. Porro præſens delirium quod in *Sabellio* impiiſſimo reſtauratorem ſeu recoctorem maximum, labente ſeculo III. novit, ac propterea nomenclaturam eammet; multo antea *Praxeas*, ad medietatem II. ſeculi, in chriſtianum Orbem invexit.

496 Hic ſane homo, nequam attentis, inſpectis moribus, nequiſſimus dogmatibus ſparſis effectus eſt. Perfectum numerum ter-

Digitized by Google

narium, quippe in quo *principium*, *medium*, & *finis*, de æternis Perſonis ſuſtulit, auguſtiſſimaſque illas, vere tres, in unam contruſit. Quumque autem hanc unam in Deo perſonam ſimul eſſe comminiſceretur Patrem & Filium, atque hunc incarnatum quidem & paſſum; nomen ei valde accommodum *Patripaſſiani* per ſideles vulgariter factum eſt. Interim ludibrium omnium factus, invidiam illam, pudori ſuo conſulturus, declinare ſtuduit, quam pepererat. Errorem in faciem Eccleſiæ ſe diris devovere ait; ſimulationeque tanta id operis adgreſſus eſt, quo mox ab ea chirographum reſipiſcentiæ reportaverit. Erupit ultimo virus (nec enim diu impii virtutem ſimulare poſſunt) quod in corde intus jacebat; ſeu ſaltim de novo toto pectore hauſtum, toto ore evulgavit. *Iſte primus*, inquit Tertullianus, [a] *ex Aſia* (quæ illi natio) *hoc genus perverſitatis intulit Romanæ humo*; *Paracletum fugavit* [b] *& Patrem crucifixit, qui aliquandiu per hypocriſim ſubdola vivacitate latitavit, & nunc denuo erupit.* Qui quoniam africano ſolo haud pepercit; [c] ob id afrum Tertullianum motum conjicimus, ut in Praxeam peculiares libros conſcriberet. Eo autem vita functo, *Noëtus* quidam Epheſius aut Smyrnæus [d] revocare errorem poſt annos conatus eſt: inſipientiſſimus vir, in iſtuc ſtultitiæ profundum deveniens, ut ſe *Moyſen* ac Fratrem ſuum, delirii comitem, *Aaronem* appellitatos vellet. [e] Iis obſtiterunt Hippolytus [f] & Epiphanius, [g] qui quanquam *Trinitariorum Antiſtitem* Noëtum vocet; minus quam exterior lingua, interior animus expreſſit: vulgatiorem videlicet ab eo redditam illam, quam Praxeas in auguſtiſſimam Trinitatem hæreſim præ-conceperat.

497 Accedit expectatus Sabellius homo plebejus ac vilis, ordine tertius, ſed nulli deteſtatione ſecundus, qui circa annum 257. in Lybia nationem, ac in Ptolemaide patriam nactus eſt. Propoſitum is ipſe in Trinitatem errorem, ſimilitudine *Solis*, velut imagine exemplar, commentabatur: dum quemadmodum in uno eodemque Solis ſuppoſito tria hæc ſimul (quin Solem triplicem faciant) *calefaciendi* videlicet facultatem, *illuminandi*que aliam, corporiſque *circumferentiam*, ſeu corpus ipſum ineſſe quivis apprime norunt; ita & in æterno ſublimiſſimoque illo *juſtitiæ Sole* divinum *Patrem*, ceu totius æternæ hypoſtaſis quaſi corpus & formam; vim illuminandi, *Filium*; calefaciendique *Spiritum Sanctum*, inſipidiſſimus proponebat. Sic ut propterea quo modo ſolare corpus in cælo manens, illinc ad nos radios protinus, caloremque emittit; ita imaginaretur & Patrem in ſe ipſo ſiſtentem, huc nobis ceu radium miſiſſe Filium; ac ſubinde in fidelium pectora & animos æternum Spiritum quo divinitus ardeant, vitaque ſpiritali inſtaurentur, ceu calorem diffundere. Ubi ergo unam in Deo effingit perſonam; hanc *Trinominem* habet, quæ ut *ingenita*, crean-

a Lib. contra Praxeam cap. 1.

b *Fugaſſe Paracletum ex eo a Tertull. forte impetitur Praxeas, quod Mõtani (in cujus errores ille prolapſus erat) pſeudoprophetias dicteriis inceſſiverit.*

c Ex Tertull. cap. 1. adverſ. Praxeã, & ex Philaſtrio ap. Auguſt. hæreſ. 41.

d Smyrn. per Theodoritum, Epheſ. per Epiphanium.

e Juxta Philaſtr. hæreſ. 53.

f Tom. 2.

g De Lac hæreſi.

creandique principium eſt, Pater dicatur; ut *incarnata*, filius; Spiritus vero Sanctus, ut rationales *ſanctificans* creaturas. Exinde fit, quo in Epiphanium Auguſtinus recta proceſſerit, ubi a Praxea in Sabellium *Patripaſſiani* vocabulum derivavit. *Quomodo*, ait, [a] *intelligi poſſunt Sabelliani Patrem paſſum fuiſſe non dicere, quum dicant eundem & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* Tandem e vivis Sabellius ereptus, atq. in infernum, ſoluturus expectatam pœnam, detruſus, ſecum ipſo inibi ſepultum per octo fere ſecula delirium detinuit: quando id ex illo, ad teſtimonium Euthymii, [b] revocare *Bogomiles* adgreſſus eſt; damnatus propterea ſub Alexio Comneno Imperatore, ut tantum atroci ignis ſupplicio ſcelus lueret. Ejuſque credas nec modo cineres ſupereſſent, ni ſeculis proxime elapſis redivivum feciſſent *Socini* quidam, Poloniam, Hungariam & Tranſilvaniam infeſtantes, a quibus *Sociniana* ea hæreſis poſthac dicta eſt.

498 Neque tamen eorum quos ultimam Socinis ſtraviſſe viam recte diceres, recordatio in præſens me fugit; ut Michaëlis *Serveti* Tarraconenſis, [c] qui myſterium illud *Cerberum tricipitem* ſeu triceps monſtrum appellitat; Valentini *Gentilis* calabri, qui Perſonarum diſtinctione præſtigia ne ſibi fiant, expaveſcit, atque illud, quod eam doceat S. Athanaſii Symbolum, *Sathanaſium* vocandum cenſet; Georgii *Blandratæ* Salucienſis, Paulli *Alciati* Mediolanenſis, Franciſci *Davidis*, ac illius tandem quem *Divus Patriarcha CAIETANUS* hæreſim concionando evomere diſcooperuit, Bernardini *Ochini* Senenſis. [d] Verum hi ſex prædicti ſua jam miſerabili vita, quin eorum ſeminatum zizanium radicem figeret, miſerrime quum functi ſint; [e] ſibi Socinis ſuccedentibus fatum & nomen ceſſere tandem. Hi porro, ſeu *Lælius* patruus *Fauſtus*que nepos ac diſcipulus, ambo Socini a familia, Senarum Urbem in patriam ad medietatem ſeculi XVI. ſortiti ſunt: patriæ tamen parcentes, longiſſimas quas viro ſuo macularent, regiones petiere: demum Fauſtus Lælio ſuperſtes in Tranſilvania potiſſimum errores fixit, propalavitque ad annum uſque 1604, quo extremis ad Cracoviam fatis defungitur. Vivit autem ad hæc noſtra tempora error, maxime in Tranſilvania, quem qui ſectantur, *Sociniani* vulgatiſſime nuncupantur. Ubi itaque Servator noſter duodecim viros olim elegit, qui univerſis hominibus Trinitatis notitiam ingererent, eoſque hacce prima Chriſtianos in ſacro fonte inſtituerent; inibi antiqua æmulatione actus diabolus, & alios duodecim, quot a Praxea ad Fauſtum enumerantur, pſeudo-novos-Apoſtolos, eandemmet inceſſiturus præordinavit. Verum & ſi non ſemel ac pluries Socini iſti hæreticis *Trinitariis* accenſeantur; ad Arianos, quam ad Sabellianos propius accedunt; quippe æternas Perſonas non hoc animo impetentes, quo in eis Trinitatem ineſſe negent, ſed ſolum, excepto uno Patre, deitatem divinitatemque.

Por-

[a] Loco ſupra laud.

[b] In Panoplia part. 2. tit. 23.

[c] In libro, cui nomen: *de Trinitatis erroribus.*

[d] *Quem tamẽ in morte reſipuiſſe perhibẽt Annales Capuccinorum.*

[e] *Et quod notatu dignũ eſt, urgente ipſo Calvino vivus Servetus Geneve exuſtus fuit: damnantibuſq. hæreticis Bernæ Gẽtilis obiit plexus caput.*

499 Porro Trinitariorum hæc hæreſis (ſic æque ac Sabelliana vulgata eſt) jam antea in utriſque Bibliis adeo ſolida quibus obortura ſuo tempore everteretur, fundamenta jacta internoſcere debuerat, ut mirum ſit emerſiſſe. *TRES SVNT*, ait Evangelium, [a] *Pater*, *Verbum*, *& Spiritus Sanctus*: Pater quidem ut qui *genuerit*, ac ſuum ad nos *demiſerit* Filium; hic, qui *miſſus* ac *generatus*; amboque iſti, qui Spiritum Sanctum *mitterent*, quem *ſpirarunt*. Patrem adloquentem Filium Propheta Regius inducit, [b] æternamque illius juxta ac *realiſſimam* prodentem generationem: *In ſplendoribus ante luciferum GENVI te*: & alibi: [c] *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: nec diſſimilia ſunt quæ Spiritum ſempiternum monumenta ſpectant: hunc enim *qui a Patre PROCEDIT*, [d] jam *ego MITTAM vobis a Patre*: ipſa Veritas teſtata eſt. [e] Niſi ergo tres *vere* forent Auguſtiſſimæ Perſonæ illæ; dolendum nobis eſſet ex animo, quod datæ ad inſtructionem noſtram Scripturæ, ita turpiter nos fefellerint, fidem deſtruxerint; ſin minus, cauſſa nobis erroris ſint. Quid quidem *Patrem* recordant & *Filium*, inter quos *relationem* æque ac *diſtinctionem* Philoſophia tota repoſcit, ſi non aliam ab illa Patris, perſonam Filii intelligere cogeremur? Quid, de æterna inter eos *generatione proceſſione*que, [f] vel (quæ in idem recidit [g]) Perſonarum *miſſione* meminerunt; nonne unice ad decipiendum? Ac ſi profecto myſticum ſenſum longeque alium a verbis, hæc in ſe obſcure complecterentur; nonne id maxime *traditione* docti fuiſſemus, obſeratumque illis deceptionibus apertum iter? Perſcrutare tamen traditiones. Vix impius Praxeas os aperuit, quod id tenere, tota quidem agente Eccleſia, compulſus eſt: vix graſſari errorem noverunt, quod in eum a I. Nicæna Synodo fuit animadverſum, *Deum de Deo*, inquiente, [h] *Deum verum de Deo vero*: appoſiteque ad ſignificandas perſonas ab Alexandrina II. [i] *hypoſtaſis* vocabulum inductum fuit: atque tandem ſeu lingua ſeu calamo ab omnibus Patribus pugnatum eſt. [k]

500 Quum nova igitur in Eccleſiam dogmata inveheret, novaſque antea non auditas Scripturis obtruderet interpretationes; *novitatis* Catholicos Sabellius arguebat: quaſi, quod minime ab Apoſtolis defluxerat, myſterium pervulgarent; ſane aliter defluxura oppido fuiſſet *Idololatrarum* ſuaſio pro Deorum ſuorum pluralitate in Chriſtianos eam undique impetentes; vel ſufficiens ſaltim redargutio, librorumque exaratio, quod quoque multos ſibi Deos ſtatuerent Chriſtiani atque colerent. Verum & non omnes nunc extant quos adverſus Chriſtianam Religionem Gentiles olim ſcripſere, libri; neque etiam omnes illius temporis quæſtiones [l] fuere literis demandatæ; ſed nec Gentilibus in mentem venire debuerat huic myſterio quidquam repugnans, quum & *eandem* omnino *Triviam*, in cælo *Lunam*, in ter-

a Johan.ep.1. cap. 5. verſ.7.
b Pſalm. 105. verſ. 3.
c Pſal.2. verſ. 7.
d Joh.cap.15. verſ. 26.
e Ibidem.
f *Nec juvat Sabellium, ſi forte dicat, Patrē genuiſſe ſe ipſū quoad* ſecundum eſſe: *nam Deus ſupponi debet in* eſſe perfectiſſimo, *cujus nullus ſuperſit gradus, qui producatur.*
g Ut infra in de *Miſſione & Circumſeſſione* Perſonarum.
h In Symbolo fidei.
i Ut numero 242.
k Vide num. 46.
l *Scripſit autem cōtra Trinitatem Julianus Apoſtata, lōge poſt Praxeam.*

in terra *Dianam*, in inferno *Proſerpinam* ſomniarint. Neq. interim vero abſimile eſt; [a] antiquos fortaſſe illos eo prudentiæ deveniſſe, ut Ethnicos, fidem percellere ſophiſmatibus adſuetos, tam altum arcanum, ſicuti & alia multa ſilentio celarent, ac unis quos inſtituebant cathecumenos, ut fidei ſacramentum cuſtodiendum, concrederent. Quin nec quidem omnino omnia Chriſtianæ Religionis ſecretiora myſteria cathecumenis committebantur. Plurima ipſos latebant: ut ex eo, rite obſervari a quampluribus antiquum morem rejiciendi ad ſuperiora calicis, ſub finem Miſſæ, illammet *veli* partem, quam initio ad inferiora demiſerant, Vir eximius dijudicaverit ex noſtratibus *Franciſcus Magio*: [b] quem neſcio literis num moribus ſpectabiliorem dicam; vere pervulgatis doctis ac piis elucubrationibus Patriæ noſtræ ac totius Congregationis ſplendorem, ſuiſq. etiam æmulis venerabilem. Hic illum, quem a principio Miſſæ ad offertorium *velo* tectum calicem notat, quod cathecumenis tunc uſque intereſſentibus, non omnia pandantur; poſthac & facta purificatione, quod Chriſtiani ſoli remaneant, tum ablato velo, tum anterius ſuſpenſo, detectum ex priſco uſu recenſet.

[a] De quo Schelestrate in opuſculo de *diſciplina Arcani*.

[b] In Galateo Religioſo diſquiſit. 30. n. 4.

501 Sed & videbitur Sabellianorum cauſſam juvare fortaſſe illa, quam nonnulli de Schola Theologorum *diſtinctionem virtualem* vocant: quod quemadmodum nulla eſt in divinis *oppoſitio* prædicatorum *contradictoria*, ſeu *generari* & *non generari*, quam beneficio illius, manente integra ſubjectorum eorundem, ſeu *Perſonæ* & *Eſſentiæ*, identitate, opportune illi non ſalvent; ita & ſalvabitur *oppoſitio* quoque *relativa* prædicatorum, videlicet *Patrem gignere*, *gigni*que *Filium*, abſque ulla (beneficio illiuſmet) inter ipſos vera diſtinctione. Hanc ſane *Trinitariis*, ſi forte adaperirent, novam viam ut occluderes; diſcrimen pro nunc tibi petendum eſſet ex diſpari utriuſque diſtinctionis natura. Quum enim *relatio* ſecundum propriam notionem, ac *formaliter*, ut ajunt, in eo præciſe ſit poſita, ut ſuum totum eſſe ſit *AD ALIUD ſe habere*; [c] diſtingui ſubjecta quæ referuntur, non referenda ſecus, neceſſum eſt. Quomodo enim *ad aliud* eſt, quod ad ſe eſt? *Contradictio* autem terminorum, quum ea non dicat niſi prædicatum unum negari ſimul & affirmari, ſat eſt illi, ac tota in ſe integra manet, modo ſubjectum in ſe *virtute* multiplicetur, quum ſalva contradictionis *terminorum* eſſentia & *formali* ejuſdem notione, affirmationem ita ſuſcipiet, negationemque. Verum & hanc rem ipſam paullo plenius planiuſq. tertio & decimo octavo ab hoc numeris edoceberis.

[c] *Juxta Philoſophorum definitionem.*

502 Interim nullam factam divinæ Perſonæ infinitati injuriam, ediſcas: duo enim heic vera ſunt; & unamquamlibet divinarum Perſonarum ob ſuam qua pollet, infinitudinem, excurrere omnem omnino gradum perfectionis eminentiæque *perſonalitatis*, totamque ſibi adæ-

Digitized by Google

adæquare & *commenſurare* perfectiſſimam illius lineam; & non proinde perſonam aliam æque divinam a ſui conſortio removere. Excluderet (ſub pœna limitationis) ſi plures, quas in Deo fatemur perſonas, hæ forent profecto in eadem ſpecie, nempe ſi *duo Filii*, aut *duo ſpiritus*: tunc enim quum nulla obſtaret *relatio*, quo minus alter alteri communicaret, id non aliunde quam ex limitatione derivaretur. Quapropter quoad Perſonas invicem, diverſoque in ordine, relativas non magis exigit infinitudo illarum, quam in unius eſſentia reperiri gradus alterius ſibi *correlativos*. Id quod utique verum eſt, quum in eſſentia divina Patris ſit *Filiatio*, & in eſſentia Filii Paternitas. *An non creditis*, ajebat Chriſtus Apoſtolis, [a] *quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* pleniſſimeque inde fit, ut unaquæque Perſona, quin ſibi aliam excludat comitem, quemcunque gradum excurrat ſummæ lineæ *Perſonalitatis*. Planiſſime ita id; atq. planius, ubi Perſona una tametſi ab alia diſtincta ſecundum modum *eſſendi relativum*, cum eadem inſimul ſecundum alium *eſſendi* modum nempe *abſolutum*, in proprio quidem *conſtitutivo* ſuam etiam *identitatem* habeat. Nimirum ſumme nobis arriſit Cardinalis *Cienfuegos* ingenioſiſſimum placitum; [b] ac propterea quum Pater ipſe ea ipſa ſit *Intellectio*, quæ Filius eſt, & Filius *Intellectus*, qui Pater eſt; jam alter alterius excurrit perfectiones, ſibique totam adæquat perfectiſſimam lineam *Perſonalitatis*. Fit etiam, ut Perſonæ duæ procedentes (quæ ceteroquin, non a *cauſſa*, ſed a *principio* quod ſuammet eſſentiam ac naturam quantuncunque habet perfectiſſimam termino communicat, derivantur) veram habeant rationem divinitatis, quum & ſecundum *eſſe abſolutum* veriſſimam rationem *entis a ſe*. [c]

[a] Joh. cap. 14. verſ. 10.

[b] Ut infra, quum de *phyſica quidditate cujuſque Perſonæ*.

[c] *Videbitur agendum heic* de Paulo Samoſateno, *qui cum Sabellio concordat utpote tres in Deo perſonas inficians: verum quum hunc nec paſſum neque incarnatũ velit; totum de ipſo in* de Incarnatione *ſermonem faciemus*.

De *Hæreſi Tritheitarum*.

503 Quem mihi objicio evertendum *Tritheitarum* errorem, in eo hic potiſſimum ſitus eſt, ut tres divinæ Perſonæ perinde ac totidem Dii habeantur, ſicque novus Polytheiſmus inter Chriſtianos emergat. Delirii hujus autorem faciunt *Johannem* quendam *Philoponum*, ceu qui illud, ad teſtimonium Nicephori, [d] ſepultum jam excitarit, divulgaritque labente ſeculo VI. Hinc multo antea originem ſuam nactum eſt, ac ferme temporibus Arianorum ſub IV. cujus propterea Sectatores vulgatum tunc *Peratarum* vocabulum complexum eſt, quod, ut habet Theodoritus, [e] a quodam *Peratico* Euphrate coacti fuerint. De errore hoc Auguſtinus aliique etiam meminerunt: *Eſt & alia hæreſis*, inquit ille, [f] *quæ Triformem ſic adſerit Deum, ut quædam pars ejus ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus Sanctus*: de qua

[d] Lib. 18. Hiſt. cap. 48.

[e] Lib. 1. hæreticarum fabul. cap. 18.

[f] Hæreſi 17. & Dionyſ. Roman. in epiſt. de decr. Nicænæ Synod.

Digitized by Google

qua tamen *Severiani* hæretici , *Theodoſiani*que quoque culpantur. Porro Errones iſti deriſionibus magis , quam argumentis confutandi ſunt : multo enim luculentia novimus Scripturarum loca, quod qui ea non ſatis perceperit, veluti cæcus palpabit in meridie. Nimirum poſtquam Johannes dixiſſet : [a] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo* ; eo mox , ne alii occaſioni eſſet errandi, ſe recepit, ſubjungens : *Et hi tres UNUM ſunt* . Eos etiam Chriſtus Dominus quippe ex tunc perſpectos habens , evertendos curavit : [b] *Ego & Pater UNUM ſumus* : ſciteque inde Auguſtinus : [c] *quod dixit , UNUM , liberat te ab Ario* & a Peratico ; *quod dixit SUMUS, liberat te a Sabellio : ſumus enim non diceret de uno , ſed & unum non diceret de diverſo* .

a 1. Ep. cap. 5. verſ. 7.

b Joh. cap. 10. verſ. 30.

c Tract. 6. in Johan.

504 Neque tamen hoc genus hæreticos juvare poterit ; debere Patrem fortaſſe aliam a ſe naturam in Filio gignere , quia gignit aliam a ſe perſonam, hujuſce (puta Filii) naturæ indiviſibiliter prorſus copulatam ac porro eandem . Si enim perpenderint , quaſcunque in Deo a ſe derivatas perfectiones creaturarum , *eminentiori* gradu indeficienter adinveniri ; evaneſcet profecto quævis omnis difficultas ; quum & cognoverint *eminentiam* in illo *diſtinctionis* , qua voces duæ alioquin invicem repugnantes , *generari* nempe & *non generari* , vel ſummo fœdere in Deo unico aſſociantur . Me explico : adeſt in creatis *diſtinctio realis* ; ſitque in exemplum compoſitum phyſicum quod Ariſtoteleis diſtinguitur in ſuis partibus : hæc diſtinctio habet unum *de perfectione* , vi cujus ſe optime invicem patiuntur prædicata contradictoria *generari* & *non generari* , *creari* & *non creari* (forma enim , ajunt , generatur , non creatur ; materia creatur , non generatur) habet aliud *de imperfectione* , per quod *ſubjecta* horum prædicatorum , ſeu materia & forma , invicem excluduntur . Quæ quidem diſtinctio ſicut in creaturas a Deo dimanat , ſic & in ipſo *eminenter* in ſuis prædicatis inveniatur , neceſſum erit : *eminenter* ſiquidem ſeu quoad *ſolam perfectionem* , quacunque *imperfectione* penitus interdicta . Igitur nihil prohibet,quo minus in Filio Dei magna pace conſocientur prædicata quædam contradictoria , generari & non generari , communicari & non communicari , quæ eſt *perfectio* diſtinctionis , quin ullatenus *ſubjecta* eorum , *natura* videlicet & *perſonalitas* , ſeſe mutuo (quæ diſtinctionis eſt *imperfectio*) a conſortio *identitatis* excludant .

505 Haud tamen interim putes , fore ut Deus ſuſcipiat hac poſita *eminenti diſtinctione* (ſeu rectius *identitate mirabili* [d] cum perfectione diſtinctionis) quaſcunque voces contradicentes ; ſicque in perfectionibus verificet , eſſe divinum , non eſſe divinum ; æternum , non æternum , & alia id genus . Quandoquidem diſtinctio vera (& multo minus diſtinctionis ſola virtus & *eminentia*) neutiquam in ſubjecto illo cui ineſt , contradictoria ulla determinata inducit , ſed ſi quæ ſunt, ju-

d *Cujus rectá ideâ inſtruxit in ſuis MSS. Theologicis vir ingenio et doctrina præſtás ex noſtratibus* Caſpar Filingerius.

Digitized by Google

re ſalvat : quocirca realis illa diſtinctio inter materiam, ut volunt, & formam, non invehit, vides, nec ſalvat inde, *eſſe finitum, non eſſe finitum, creaturam, non creaturam*, hoc ſolo, quod inter illa ſubjecta prædicata hæc minime interſint; ſalvaret autem, ſi adeſſent : ita & in divinis quoque perfectionibus.

De Abbate Joachimo.

506 HUc nobis aptius viſum eſt Joachimum [a] arceſſere, qui tametſi naturam unam in Deo, quod in Nicæna fide jam ſanctum eſſet, profiteretur; hanc tamen nonniſi ſimilitudinariam & *collectitiam* (ad eum ferme modum quo plures homines *unus populus*, & fideles multi Eccleſia *una* nuncupantur) reapſe triplicem, ceu Romanum Triumviratum, autumaſſe ajunt. Ortum ipſe ſuum ineunte ſeculo XII. in Calabria ſortitus, inibi *Florenſe* Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis conſtruxit, legibus compoſuit, ut Abbas moderatus eſt. Variis interea rerum & perſonarum tradendis vaticiniis addictus, multo ſibi & e regione oppoſitam fortunam adeptus fuit, ut quidam ceu deceptorem habeant, [b] quidam quaſi prophetam. Crediderim, quum Abbas *alius* æque *Joachim* extiterit, [c] obſcuri adeo nominis, quantum clara eſt fama noſtri, ſimilique, ſed impari ſorte, divinandi ſpiritu ductus: in cauſſa id fuiſſe, cur utriſq. in unum collatis, ambiguam ille diverſamq. ſui famam ad poſteros tranſmiſerit.

507 Ceterum hicce noſter Joachimus magno ſemper in honore fuit penes quinque Summos Pontifices, a Lucio ad Cæleſtinum III. Plura de illorum ſucceſſoribus vaticinatus eſt; [d] quorum ultimum, Anti-Chriſto obſtaturum, e *Congregatione noſtra* aſſumendum indigitaſſe, inquiunt & qui illius actiones defenſū ivit, ejuſdem Ordinis Abbas, & ex eo præfatus *Magius*. [e] Plura de innumeris civitatibus, inter quas Panhormum noſtram ſic exprimit: *Panhormitana terra jacturam dolorabit evomitivam in ſuis viſceribus, quam ſævi ob ſævitiam temporis per aquilam transferendi*. Plura de diverſis Religionum Ordinibus ac Sodalitiis; noſtramque viviſſime exhibuiſſe conſtat, qui ex eo Johannes Eremita coætaneus ita didicit: *Confidet in Deo, ſicut mons Sion; & docebit QUÆRERE REGNUM DEI, confidere in DOMINO & non in HOMINE, nec ſperare in auro vel argento*. Quod autem ſpectatur oculis, ſeu curioſum quemque haud effugiet, illud eſt; quod inſperatum Sanctorum Patriarcharum Dominici & Franciſci, antequam ad lucem venirent, inſtitutum vaticinatus, eos habitu illo ac veſtitu, quem ſibi ſuiſque aſſeclis præſcripturi erant, in Templo Maximo B. Marci Venetiarum (ad inſtar illius Salomonis Joa-

a Gentilitium nomen juxta quoſdam, quibus tamen Bollandiſtæ haud adhærent loco infra laud.

b Rogerius de Hoveden in Annal. Angl. an ann. 1190, quo deſcribit Joachimi noſtri colloquiū cum Richardo Magnę Britanniæ Rege ipsū ut pſeudo-Prophetā inſectatur.

c De quo Pater Nicolaus, (qui illum *Floriacenſem* dicit) in Commēt. S. Thom. lib.4.ſent. diſt. 43. q.4. art.3, quem etiam citat Gimma in ſua *Idea Literatorum* tom. 1.cap.26.§.17.

d Uti num. 136.

e In vita Venerab. Urſulæ Benincaſa *Teatinarum* Virginum Fundatricis.

Digitized by Google

Joachimo noſtro deſignante efformato) adamuſſim exprimi curave-rit. Quæ tamen omnia Divus Thomas [a] humanæ potius, fallere non raro ſolitæ conjecturæ, quam prophetico ſpiritui adtribuit; immo & quandoque deceptum illum fuiſſe tradit.

508 Interim demandata ab Alexandro III. Willelmo Archi-Præſuli Senonenſi provincia, qua doctrinam *Petri Lombardi* Magiſtri Sententiarum mature diſcuteret, & ubi opus eſſet, ab erroribus perpurgaret; facile, juxta Binii conjecturam, [b] Abbati noſtro, ut erat a commentariis in ſacram Scripturam celebris, potuit ab eo munus deferri. Hinc factum eſt, quo Lombardi adſertum quoddam non probans, in errorem dicatur Joachim impegiſſe. Invenit, docuiſſe doctorem illum; *quoniam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens.* Cui præſto Abbas, adſtructurum, ſubdidit, Petrum in Deo *quaternitatem*, tres videlicet Perſonas, & illam communem eſſentiam; perinde ac uni ſubjecto formæ tres adhærerent. Quæ porro altercatio, edito a Joachimo libello, indeterminata ſtetiſſe dicitur a diebus Alexandri Papæ ad uſque tempora Innocentii III, multis dilapſis annis, interſtitio quatuor Pontificum. Quum tamen poſt annos a morte Abbatis coactum Romæ Lateranenſe IV. Concilium ſibi oblatum recenſitum Joachimi *Libellum* confixit, atque igni devovit: ea quidem mente, ut in nullo propter hoc Florenſi Monaſterio derogetur, vel ejus pio Fundatori, ut qui humiliter ſcripta ſua Romanæ Sedi adſignaverit; quumque id ex ſolo prætenſi zeli animo ſit adgreſſus, e caritate non excidit, obſtitive, quo minus *Beatorum* faſtis a quampluribus [c] accenſeretur.

509 Poſthac illius rationes quas videtur ab Arianis mutuaſſe, profligaturum Concilium progreditur. Ferebat libellus pro ſua in divinis collectitia unitate: *Rogo Pater, ut omnes unum ſint, SICUTI et nos unum ſumus.* [d] Cui præſto Synodus: [e] *Hoc nomen UNUM pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia: pro Perſonis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura; quemadmodum alibi Veritas ait: Eſtote perfecti, SICUT & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: ac ſi diceret manifeſtius, eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt perfectione naturæ; utraque videlicet ſuo modo.* Quanquam igitur vox illa *unum* diverſas notiones habeat, diverſeque variis in locis a Spiritu Sancto inducta ſit; qualem autem ſibi in divinis promereatur intellectionem, aut quonam ſenſu æternus Spiritus eam uſurparit, jam ante Lateranenſe ex eo abunde deduces, quo tibi perſpectum eſt, fidem credentium (ſitque perpetua regula in ceteris) optimam eſſe ſcripturarum interpretem. [f] Omnes pro *unitate naturæ* intellexerunt, ab aliis ſcripturis ac Traditione acceperunt, ita ut ſtatim Joachimo adſertum libellum tota Eccleſia configeret.

[a] In 4. diſt. 43. art. 3. q. 2. ad 3.

[b] In notis ad hoc Conciliū.

[c] Ita in Menologio Benedictino Bucelini, & in Bollandiſtis die 29. Maji.

[d] *Etiam aliis conſimilibus ſcripturis fulciebatur*, ut: Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c. & hi tres *unū* ſunt. Multitudo credentium erat cor *unum*, & anima *una* &c.

[e] In Cap. Dānamus.

[f] Ut numero 46.

510 Non deſinam heic adnotare Jacobum Græcum, [a] Franciſcum de Bivar, [b] Bollandiſtas, [c] atq. alios quamplures Joachimi cauſſæ patrocinantes in eam totis pedibus abiiſſe ſuſpicionem; nonniſi falſo adſertum Abbati prædictum librum, fuiſſeque vaſerrimum æmulorum commentum, ut ei non levis & optata invidia conflaretur. Quum enim collabentem Ciſtercii obſervantiam, per ſuum Florenſe Monaſterium inſtaurarit; qui ex adverſo erant, ægre id ferentes, expectata Joachimi morte, libellum mendis ſcatentem finxerunt, primoque Concilio obtulerunt, ut percuſſo Paſtore, totius gregis oves diſpergerentur, ac novum intentum opus ipſo initio decideret. Et ſane nil de ea confutatione ullatenus Magiſtri Sententiarum aſſeclas conqueſtos eſſe, quum facile erroris tam evidentis adverſarium ſuum redargutum penitus proſtraviſſent; nil quoque de ea vivente Abbate, vel minimum rumorem alicujus aures titillaſſe, nec de ea id temporis actum quidpiam per quinque Pontifices (utrunq. hoc ſane mirum, dum & publica fuiſſet, de commiſſione nempe Willelmi Archi-Epiſcopi, ac Romano Pontifici, tunc Alexandro III. tranſmittenda, ſicque liquido ac ſubito, ut poſtea factum eſt, proſcribenda) valde rem perſuadent. Sed quod me maxime movet, ea eſt exhibitio fidei *Trinitatis*, quam ad rectum ſenſum catholicumque protulit in *Pſalterio decem chordarum* [d] is ipſe putatus Autor libelli. Attamen Lateranenſi ſua jura manent, quum nihil unquam definierit de conſcriptore; ſolum hic Joachim abſq. ullo criterio (quod ſua tunc non intereſſet) a Concilio præſumtus fuit. [e] Id quod non Patribus errori vertendum eſt; nomen enim ejus inſcriptum liberculus præferebat, fueratque a ſui ipſius ſodalitii Fratribus oblatus.

[a] In Chronol. Ordin. Florẽſis ſect. 22.

[b] In Apologetico pro Lucio Dextro §. 6. num. 12.

[c] Die 29. Maji §. 3. n. 20. in diſquiſit. hiſtorica.

[d] Diſt. 1.

[e] *Cujus rei prophetiã illũ ediidiſſe volunt in verbis iſtis:* lignum ſcãdali ponent, ut ſanam doctrinam extinguãt & nomen doctoris evertãt: *ita in Cõment. in Hierem cap.* 11. *ſed legeſis Angelum Manrique in Annal. Ciſterc.* ad an. 1197. cap. 3. n. 8, cui nõ arridet ea proph.

De Raymundo Lullo.

511 Ecce extrema tenet vitium! Errones alii victi Myſterii profunditate vel id negarunt, vel minus recte accepere: *Lullus* de ſe ſtudiiſq. ſuis paullo audacior ſibi pollicitus, eo brevi devenit, quo naturaliter omnibus, infidelibus quoque, facile perſuaſu obloqueretur. Fortuna hominis apud varios diverſa fuit. Quidam divino ſpiritu volunt abreptum, habitumque magna in æſtimatione, quem & in martyrum canonem redigunt: quidam nonniſi quam purum, putum ardelionem, cenſuris perculſum, doctrinamque ejus per Gregorium XI. reprobatam, ex qua quingentos errores, Fidei tunc quæſitor Eymericus excerpſerat. Ut autem ipſius geſta brevibus complectar: patria fuit Majoricenſis ab anno 20. ſeculi XIII., quem Lulliſtæ ex Architriclino ſeu *Seneſcalco* regiæ domus, aut Præfecto, mirabiliter ad contemtum mundi converſum, ter-

tio

Digitized by Google

tio Divi Franciſci Ordini dediſſe nomen commemorant: exinde a Chriſto Domino in monte quodam edoctum, prædicatione apud infideles celebrem evaſiſſe, ac martyrio tandem in Africa prope centenarium redimitum, ut martyrem coli a Majoricenſibus, gloriantur. Verum Eymericus, & qui Raymundo adverſantur, non plus illum habent, quam ſimplicem mercatorem, ac de ceteris valde dubitant, quinimmo & a dæmonibus illuſum plures cum Bernardo Lutzenburgo [a] pronunciant. Porro Lullus haud mediocrem evulgandis libris operam navavit; decurſuq. temporis ad viginti tomos perduxit, quos omnes vernaculo ſibi idiomate concinnavit. Inter hos extant libri de *Philoſophia Amoris*, de *centum Dei Nominibus*, de *Eccleſiaſticis Proverbiis*, ac de *Articulis Fidei Chriſtianæ*, ubi quoad *notitiam Trinitatis* percipiendam, exceſſiſſe deprehenſus eſt. Libri vero de *invocatione Dæmonum*, de *Secretis naturæ* ac de *Alchimia* non ſunt hujus Raymundi Lulli *Majoricenſis*, [b] ſed alterius de *Terraga*, viri nequiſſimi, qui quod ex hebræo chriſtianæ militiæ ſubſcripſerit, Neophytus etiam nuncupatur.

a Lib. de Hæreſibus lit. R.

b Ut oſtendit Riera infra citandus.

512 In eo autem de *Articulis Fidei Chriſtianæ* præfato opere maximum ingenii ſui periculum pollicetur: exhibiturum nempe ſe ait (præ-habita jam notitia Auguſtiſſimæ Trinitatis) nonnullas adeo ineluctabiles rationes, queis Mahumetanus aut Idololatra, ſi vel ſemel animum induxerit, ut eas voluerit penetrare; apertius dignoſcet, *plures* in *uno* Deo debere eſſe perſonas; eaſque non plures nec pauciores quam *tres*; ſintque illæ demum *Pater*, *Filius*, *&* *Spiritus Sanctus*. Promiſſis facturus ſatis, ſic inquit: non minoris *actualitatis* eſt bonitas infinita, quam ſit finita; quum igitur bonitas finita ſit ratio finito bono, ut de ſe producat bonum finitum, [c] ratio erit infinito bono ejuſdem bonitas infinita, ut bonum quoque infinitum *de ſe producat*. Quum autem *duo* bona infinita, quoad eſſentiam diſtincta, pugnent (neutrū enim eo caſu infinitum *in eſſe* foret) jam infinitum producens, totam ſuammet quantam habet, eſſentiam infinito producto communicare debet. Quumq. omnis actio ſit *ſuppoſitorum*, inter quæ *relationem* [d] ac inde diſtinctionem inducat; jam hæc erunt plura ſuppoſita, & quatenus intellectiva, [e] etiam *perſonæ*. Sicq. in *uno eodem*q. bono infinito quod ſolus Deus eſſe poterit, jam dabitur *pluralitas perſonarum*. Porro infinitum iſtuc principium *operativum* in ea eſſe debet *ſublimitate* operandi, cui ſufficiat unica *actio*, unica *paſſio* & unicus *actus* (unicus quidem, qui ſi & multiplex, jam unus alterum limitaret) ſic ut profecto in infinito bono ſit unum *bonificativum*, unum *bonificabile* unumq. *bonificare*. Quocirca ex eo jam dabitur *prima perſona*, ſeu bonificativum; a qua & *altera*, ſeu bonificabile; demum & *tertia*, ſeu bonificare, quod a bonificativo ſimul & bonificabili reſultet juxta ac procedat.

c *Juxta illud:* Bonū eſt diffuſivum ſui.

d *Fundatam nēpe in actione & paſſione.*

e *Perſona enim a Philoſophis definitur poſt Boëtium*: naturæ rationalis ſubſtantia individua.

Vel

Digitized by Google

Vel alio modo : in natura intellectiva non eſt aliud principium operativum, quam *intellectus* & *voluntas* identificata inter ſeſe ; ſicque in Deo præter *principium* dari aliud nequibit niſi *intellectio* & *volitio* ; & inde *Trinitas perſonarum*. Ea tamen ſublimitas operandi etiam requirit, ut bonificativum *perfectiſſimo modo* bonificet : hic autem alius non erit, quam quo quis *Pater*, in ſibi *Filium*, alium producit ; Pater enim de ſua ſubſtantia (meliori inde modo) producit Filium : bonificare itidem perfectiſſimum illud eſt, quod *amare* eſt. Et ecce bonificativum, quod *Pater* ; bonificabile, quod *Filius* ; bonificare, quod amor ſeu *Spiritus Sanctus*. Et ecce Perſonarum *pluralitas* ; & ecce *Trinitas* ; & ecce *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, qui tres *unum* ſunt ; quia bonum, ſi infinitum, & unum eſt.

513 Verum enim vero nullam me puto Raymundo noſtro illaturū injuriam; dum etſi oſtendero ſubtiliſſimis ſuis rationibus non ineſſe vim demonſtrandi, juxta illud Toletani XI. *Si ratione* hoc myſterium *colligeretur, non eſſet mirabile; ſi exemplo, non ſingulare* ; [a] nihilominus inficias non ibo, magnam ineſſe vim illuſtrandi tam altum & obſcurum myſterium. Profecto toties hæ demonſtrarent, quoties perſpectum eſſet, poſſe dari abſolute productionem, quæ non *effectio* ; qua nimirum non detur termino diſtinctum *eſſe* a principio : tunc enim perſpicuum cuique fieret, bonitatem infinitam infinito bono rationem eſſe, cur & bonum quoque infinitum producat. [b] Verum id naturæ hactenus cuum non ſit exploratum, jam in argumento ſupponitur *evidens*, quod tale minime eſt : & quanquam nulla in eo contradicentia implicentur, [c] non perinde tamen *poſitiva* aliqua ratione naturali oſtenditur eſſe verum. Ex hac prætenſa evidentia ſequitur ſecunda ratiocinatio, ac propterea æque corruit. Ceterum non ſatis video, quid ſibi velit aſſumtum illud tertium, nempe *bonificare* ; quum enim in bono finito præter *bonificativum* & *bonificabile*, tertia non detur perſona aut ſuppoſitum, quod *formaliter* ſit ipſum *bonificare* ; jam non habebit intellectus noſter, a quo ſuas mutuet ratiocinationes pro *tribus* in divinis *perſonalitatibus*. Quod autem naturam intellectivam ſpectat ; nondum ſatis in Philoſophia confeſſa res eſt, ſint nimirum intellectus & voluntas principia productionis diſtinctorum terminorum ; an principia duntaxat *emanationis* actuum, quos ſibi *identitate* omnimoda copulantur. Quæ inde claritas pro obſcuritate myſterii ? Ex eadem prioris ſuppoſita evidentia, qua ſecundus diſcurſus, & tertius quoque profluit; omneſq. tres nulli aut levi fundamento innixi ex ſe corruunt. Minus tamen quam reliquos, habere virium poſtremum huncce opinabimur. Productionem in Deo *per ſe notam* (ut optat) tametſi toto ore profiteremur, ſublimiſſimumque exinde in eo operandi genus ; undenam *paternitatem* & *filiationem* in illo mox colligemus ? Quandoqui-

a In Præfatione, ubi Partum Virginis extollit.

b *Nimirum ſi poſſet, jā produceret, quia neceſſario deberet producere.*

c *Non enim ex ignorantia alicujus* [illegible] *ale argumenti eam quam non habet*, [illegible] *haurire poteſt.*

Digitized by Google

doquidem ſi de ſubſtantia primæ, ſicque perfectiſſimo modo, ſecundam perſonam productam, hac ratione *Patrem* illam, & hanc *Filium* dixerit; an non æque tertiam dicere *Filium* cogereris, quippe de tota ſui principii ſubſtantia ex eomet dimanantem?

514 Hos libros, de *Articulis Fidei Chriſtianæ*, una cum aliis novendecim, permultis & gravioribus ſcatuiſſe mendis Autor eſt Pegna in *Commentariis* ad *Directorium* Nicolai Eymerici. [a] Quin omnes eas deprehendi olim, inque illas animadverti juſſiſſe Alexandrum IV. Pontificem, & præterea Petrum Tarraconenſem Archi-Epiſcopum, autoritate ab eo ſibi facta, primo in Raymundum cenſuram Eccleſiaſticam diſtrinxiſſe, refert Bzovius. [b] Qua tamen non obſtante, quum perannos fere centum Lulli doctrina in fidei perniciem convaleſceret; Nicolaus *Eymericus*, ut erat in Aragonia fidei Quæſitor, illius ad ſe voluminibus arceſſitis, perlectis, excerptiſque erroribus (quorum centum recenſet in *Directorio* præfato [c]) notitiam omnium ad Gregorium XI. *Avenionem* demiſit. Eam ob rem Pontificem eo anno qui erat 76. ſeculi XIV; coacto Cardinalis Oſtienſis aliorumque viginti Doctorum examine, plures Raymundi articulos, ut erroneos, pluresque alios, ut hæreticos condemnaſſe, libroſque omnes anathemate interdixiſſe, ait Eymericus, qui & Pontificium diploma inter *Literas Apoſtolicas* in ſuo *Directorio* recenſuit. [d]

515 Magna tamen de hac re labente ſeculo XVI. coram Sixto V. facta eſt controverſia: [e] contendebant pleriq. Gregorianam eam bullam commentitiam eſſe, atque ab Eymerico confictam. Nitebantur potiſſimum teſtimonio cujuſdam *Bernardi* Epiſcopi Tifernatis, qui quum deputante Alemanno in Aragonia legato, Commiſſarium & Judicem in hac cauſſa ſeptuaginta retro annis egiſſet; nihil de ea invenire potuit in toto Gregorii Regeſto, quantuncunque ac diligentiſſime operam impendiſſet: ut propterea factum ſit, quo abſolute ſuppoſitam renunciaverit; priſtinoq. decori Lullianos libros juſſerit omnes reſtitui. Eandem rurſus perquiſitionem ſub Pontificatu Gregorii XIII. attentatam, [f] eandem & fortem fuiſſe paſſam conteſtabantur. Interim narrationem hanc totam (quod caſu aliquo excidere, [g] vel forte etiam ſurripi Bulla potuiſſet) ultro Anti-Lulliſtæ recipientes, ſibi mirum videri ajunt, quod confictam eam, quam editam potius illi dijudicent: quaſi quod ad ſe mitti Pontifice Lulli libros olim jubente, ac per Theologos recenſitos inveniente mendis refertos, nil aliud potuiſſet eſſe reliquum (quod & Wadingum Franciſcanorum hiſtoriographum valde movet [h]) quam ut cenſura configerentur. Sed quum adhuc eo diſſidio ſeu diſcuſſione Romæ pendente, Petrus Aragonum & *Sicilienſium* Rex ſe intromittens, ad Gregorium XI. literas dederit; [i] petiit ab eo, ut Barcinonæ potius (quod in idiomate catalano

[a] Part. 2. Cōment. 51.

[b] Ad an. 1260: *quem tamen deceptū notat Riera infra citandus.*

[c] Part. 2. quæſtione 9.

[d] Pag. 67.

[e] *De qua Antonius Belver in Apolog. pro Lullo: quare jure Inquiſitio Generalis Hiſpan. abraſit clauſulam contra libros Lulli poſitam inadvertenter a compilatoribus Indicis* Paulli IV. *ut Riera in Trāſumto memorialis Præludio* 12. *ut infra.*

[f] *Translatis Avenione Romā duobus voluminib. Greg. XI. quæ deerant: teſte Pegna.*

[g] *Uti de aliis plurimis anni ſexti ejuſdem Pontif. aſſerit Nat. Alex. ſec.* 13. *art.* 20.

[h] In Annal. FF. Minorum.

[i] Penes Frāciſcum Diagū Dominic. lib. 11. hiſt. Provinc. Aragon.

lano opera extarent; quod conſanguineorum Raymundi inibi commorantium rationes audiri deberent; quod ſuorum Eccleſiaſticorum quamplurimi in ea incumbentes, rectius præ aliis quibus Lulliana principia ad praxim non erant, cenſuras ferrent) quam Romæ aut alibi examen conficeretur. Propterea Papa Regi indulturus inceptam *cauſſam* abrumpit, adq. illum juxta ſupplicationem remittit. Exinde Bernardus *Ermengaudus* Ordinis Prædicatorum, & Inquiſitor advocatis ſeptem aut octo aliis Theologis unanimiter conteſtantur, Raymundum ab Eymerico *indigne traductum*. Nec mihi tibive latet, eam Petri Regis epiſtolam a nonnemine, pro confirmanda Gregoriana in Lullum Conſtitutione, ſæpius adferri. Verum ut verum fatear, nulla inibi mentio de *novo* quodam, quod Romæ aliud ſententia completum indicet; ſed de *abſolute* arripiendo examine, tota eſt: nec promte id ſecus Rex petiiſſet, aut Papa facile conceſſiſſet. Nulla, de Pontificia cenſura, vi cujus *quicunque teneatur ponere* libros Raymundi *in poſſe Vicariorum Epiſcoporum*; ſed de ſola *inſtigatione Fratris Nicolai Eymerici*: quin nulla de examine Romæ habito, ſed de eo, quod *dictus* Eymericus *examinari fecerit, & in eo invenerit, quæ contra fidem exiſtunt*; facta mentio inibi deprehenditur. [a]

[a] *Quæ regalis epiſtola exhibetur etiam a Nat. Alexand. ſecc. 13. & 14. art. 20.*

516 Eymerico acriter ſuccenſet Lullum ſuum vindicaturus Johannes *Riera* Ordinis Franciſcanorum, qui *Tranſumtum Memorialis* in cauſſa ejuſdem per ſe ad Romanam Curiam exhibiti, eo nomine, Palmæ Balearium publici juris fecit: [b] vultq. hominem inceſſitum in odiũ ſuorum Sectatorum, quod privata olim ſtudia Eymericum & Lulliſtas diſcinderent: traductam magna ex parte doctrinam illius; quampluribus, ceu fideliter excerptis ex codicibus ejuſdem, in Eymerici *directorium* advocatis, quæ inibi (ex integro ſaltim) minime inveniuntur: pleriſque aliis atque omnibus ad pravum ſenſum, nulla habita ad contextus ratione plauſibiliorive interpretatione, durius atq. dirius contortis. Præterea centum illa adſerta Lulli a laudato animadverſa, ſingillatim exponit, unicuilibet ſaniorem intelligentiam ſupponit, atque a præconcepta eorum falſitate, ſi non faciliter, nec difficiliter vindicare ſe prodit. Bzovium itidem carpit, ceu non minus Raymundo infenſum: & inter alia, confudiſſe illum dolet cum Lullo *Neophytum*, [c] alterius Ordinis a Franciſcano: inque unum duobus his Raymundis contruſis, dogmata unius alteri adtribuiſſe, atque mores; crudelitateque inde Maxentii, vivum junctum mortuo juſſiſſe ita perire. Profecto quidem non levem Lullo ac Lulliſtis (quibus impacta quædam iiſdem abjudicat) *Memoriale* illud ſuppeditat Apologiam.

[b] Anno 1627.

[c] De quo ſupra num. 511.

De

De Conciliatione Myſterii cum noto Principio: Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.

517 DIſtuli hucuſque fundamentum aliud Sabellianorum, ceu ſibi vindicans exactius examen, ac paullo prolixius. Putarunt illi totum iſtud myſterium *eo principio* inverſum iri; ubi hoc per illud invertendum totum eſſe nonnulli opinantur: nimirum Pater & Filius reapſe *idem* cum *eſſentia* divina, nihilominus *ab invicem* quum *diſtinguantur*; quid unquam ſupereſſe poterit inconcuſſæ veritatis in eo effato, quod *unum* ſint *inter ſe*, quæ unum & *idem* cum altero *tertio* ſemel ſunt? aut quid e converſo in eo myſterio (lege illa minimum obſervata) adæquatæ, ajunt, plauſibilitatis? Medium vero teneas, & tutiſſimus ibis. Tres heic ſubjiciam conciliandi modos, ut qui magis arriſerit, amplectaris: æque omnes optimi ſunt.

518 *Primum* eorum ex *FARDELLA* mutuare libuit, [a] qui relato Principio ſuas ineſſe partes in Deo inficiantem, ita tribus ſubſequentibus adnotationibus plauſibiliorem reddit. Vult, ſibi firme *primo* ſuadeat, Deum eſſe intra objecta *luminis naturalis* ſecundum eas quas poſſumus in illo ex creaturis cognoſcere, duntaxat rationes: uti quod ſit *unus*, *omnipotens*, *perfectiſſimus*: ſecus autem (ut eſſe *Trinum*, autorem *gratiæ*, & ſimiliter) objecta illius adeo tranſcendere, ut tantum per *lumen gloriæ* vel *fidei*, eidemmet ſubrogatæ, cognoſci poſſit. Exinde fit, ut putet *deinceps*, omne quod naturale lumen dictabit, ſolum dictaturum eſſe de objectis intra hujuſmodi lumen, non de aliis, quæ extra ſunt: circa quæ nil dicit prorſus, nec adfirmat, nec negat, ſed veluti *non ſe immiſcet*: non ſecus ac *lumen materiale*, quod quanquam, viſibile omne debere eſſe coloratum, dictet; id tamen de objectis per ipſum ab oculo viſibilibus, non de aliis viſibilibus ab intellectu per *lumen rationis*, dictare poterit; circa quæ veluti non ſe immiſcet. Similiter ſi *naturalem notitiam* attendens, operationes cujuſquam quis commendaret; jam de externis illius actibus locutum illum mox intelligeres, quippe qui ſoli per naturæ vires percipiuntur; non de internis, qui per *revelationem* duntaxat. Quare *demum* exiſtimet neceſſum eſt, non eſſe contra lumen naturæ, principia luminis naturalis de illis quæ ab eo non attinguntur, objectis minime iri verificatum: non enim ſternit regulas, niſi de iis quæ cognoſcit; cum aliis non ſe immiſcet. Anne tu hominis mores, ſi juxta naturalem cognitionem crederes ſpectabiliſſimos, ab altero,

[a] In ſuis MSS. logicis Inſtitutionib. occaſione illius Principii: *idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe.*

Digitized by Google

qui impium intus eſſe per revelationem internoſceret, ſano judicio falſus diceretis? tu de externis egiſti ſolum; cum internis minime te immiſcuiſti. Valde planius inde conſequitur, Principium illud ſuas, in cognoſcibilibus naturæ lumine, partes habere; ceterum quoad ſublimius exquirentia lumen objecta, nec negare, nec adfirmare, ſed totum lumini gloriæ vel fidei negotium relinquere.

519 *Secundum* Placitum is ipſe, [a] qui primum, docet; hocq. illa tangit, quæ & ſupra oppoſuimus Tritheitis: [b] naturam nempe divinam, licet omnino in ſe ſimplicem ſingularemque, habere nihilo ſecius perfectionem & eminentiam *univerſalitatis*: vi hujus tres uni ipſi *identificantur* perſonalitates, quin earundemmet inter ſe ipſas exuant diſtinctionem: ad eum plane modum quo licet Petrus & Paullus cum homine *identificentur*, quia tamen prædicatum hoc *homo* univerſalitate pollet, mutuam ſubjectorum haud infert identitatem. Porro quum ego auditui tuo modo dederim, duntaxat *eminentem* in Dei natura fore ut agnoſcas *univerſalitatem*; hanc in ſe duo præſeferre ſcito: primum de perfectione, qua *unum de multis* dicitur; alterum de imperfectione, qua in illis multiplicatur & quaſi ſcinditur. Quum ergo quæcunque creaturarum perfectio eminenter in Deo a quo dimanat, contineatur; ipſius inde natura eminentiam univerſalitatis habet, qua polleat, ſeu (quod eodem redit) ſecundum ſolam perfectionem, qua *tribus* illa *una* communicatur; quin aliquam in illis ſufferat ſciſſionem partitionemque.

[a] In hoc Tractatu SSS. Trinit.
[b] Num. 504.

520 Tertii demum placiti Autor eſt Cardinalis *CIENFUEGOS*, [c] putatque, in Deo eſſe eadem neceſſario inter ſeſe prædicata omnia, quæ jam eadem uni tertio; atque adeo in divinis quoque adamuſſim iri verificatum Principium illud. Ut enim diximus, [d] non aliud, ingenioſiſſimo illi probatur, de ſuo *formali* eſſe Filium, quam *intellectionem*, ut derivatam; non aliud Spiritum Sanctum, quam *volitionem*, ut itidem procedentem. Quum igitur utraque hæc, intellectio nempe ac *volitio*, alterum ſibi vindicent *eſſendi* modum, ſeu *inderivatum* & *abſolutum*, ſecundum quem tribus omnibus ambo communicantur; jam ſane fit, ut æternus Filius & Spiritus Sanctus, quoniam cum Deitate, ceu tertio, idem ſunt, identificentur inter ſe quoque invicem, ſecundum quod prædicata eorum *formalia* dicunt de modo *eſſendi abſolute*, quum tam Filius ſit *volitio*, quæ Spiritus eſt; quam æternus Spiritus *intellectio*, quæ Filius. Neque tamen neceſſe eſt, ut ea divina quæ retulimus, prædicata, idem prorſus inter ſe ſint, *reduplicative* etiam, ut dimanantia & ut perſonæ: magis tu enim, quam ſuo jure Principium illud, tunc ipſe exigeres. Enim vero præfatum non aliud petit, niſi unum ſint inter ſe, quæ uni tertio *identificantur*; quin ne habere etiam poſſint ex alio nomine, & ſecundum alium eſ-

[c] In ſuo *Theologico Ænigmate* tom. 1. diſp. 7. ſect. 4. a num. 2.
[d] In de Voluntate Dei a num. 375.

ſendi

ſendi modum diſtinctionem quandam, prohibeat. Sit tibi in exemplum *homo*, qui ſimul foret *identice* Philoſophus & Mathematicus; jam hic *reduplicative*, ut Philoſophus, a ſe ipſo, qua Mathematico, diſcerneretur. Multoque magis id in divinis, ubi Perſonarum cum Natura mirabilis *identitas* adeo ſumma eſt, ut extra opus mentis *eminentiam* requirat perfectionemque *diſtinctionis*. Magnam Inventi hujus plauſibilitatem tu neſcis modo; ſcies autem poſtea: quum enim ſubſequentes luſtraveris quæſtiones, cognoſces, quia verum dixi tibi. Placuit nihilo ſecius aperire hanc aliam viam, quam etſi in præſens (ne non tritos per calles ducaris) haud te ingredi adigam; volui tamen oſtendere, ut qui vellet per eam incedere, utique in progreſſu videret, an facilem vel difficilem præbeat exitum.

DE PERSONIS IN COMMUNI.

De ratione qua Perſonæ procedunt.

521 EX hactenus dictis compertum eſt, dari in Deo proceſſiones, per quas Perſona una ex alia dimanet, & invicem referantur: quei ſecus *Pater* ineſſet illi, vel *Filius* aut *Spiritus* Sanctus, ſi primus alterum non *progigneret*; hic ab eo non *procederet*; a ſuo tertius *ſpiratore* minimum *derivaretur*? aut quomodo *tres* æque forent, niſi eam qua quiſque *ad alium* dicatur, inter illos fundaret proceſſio *relationem*? Conſtans interim eſt, *duplex* eſſe in divinis proceſſionum genus: una, quæ *generatio* activa & paſſiva; atque altera, quæ activa itidem & paſſiva *ſpiratio* nuncupantur. Fide etiam ſancta jam ſanctum eſt, uni Patri generationem eſſe addicendam, & utriſque iis, Patri & Filio, ceu Spiratori *unico*, æternam ſpirationem. Sed magnum nobis in ipſo limine paratur bellum, quum nonniſi ab *uno* Patre perfidia Græcorum derivatum velit Spiritum Sanctum: id quod a tot annis duri ſchiſmatis motivum eſt.

522 Quam vero perperam in hunc errorem prolapſi ſint; nullus dubito, quin ſi legeris ſacros textus ac Patres, id tibi uberrime exploratum facias. Obvia ſiquidem in ſcripturis ea loca ſunt, quibus Filius *mittere* dicitur Spiritum Sanctum: *quem ego*, inquit ille, [a] *mittam vobis a Patre*; & [b] *ſi abiero, mittam eum ad vos*. At quid in divinis ea ſibi miſſio velit, fortaſſe putas? plane quum ipſa nullum imperium aut conſilium (eadem ſane omnibus ſapientia & poteſtas) præferre aut importare poterit, [c] ſolam denotet, neceſſum eſt, æternam *emanationem*, quæ quoddam in tempore reſpiciat connotatum: *ab*

[a] Joh. cap. 15. verſ. 26.
[b] Ibid. cap. 16. verſ. 7.
[c] Ut quum infra de *Miſſionibus Perſonarum*.

Digitized by Google

ab illo mittitur, ſcite inde Auguſtinus, [a] *a quo emanat, quia mitti eſt cognoſci, quod ab illa procedit*. Sed & audi luculentiſſimum aliud teſtimonium: *Ille me clarificabit, quia de MEO accipiet*; [b] ac luculentiorem ſubditam rationem: *OMNIA quæcunque habet Pater, MEA ſunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*: ac ſi diceret; quæ habet Pater, mihi & quoque inſunt: quumque in eo ſit vis *ſpirativa*, & *actualis ſpiratio*, ea & ego polleam, ſane quoque oportebit. Quidquid enim ad Filium *relationem* non dicit, ab eo nec diſtingui, atque in eum derivari a Patre, ſumma illius perfectio diſtricte exiget: porro talem eſſe ſpirativam Patris fœcunditatem, ecquis profecto verus Theologus poterit ignorare? Filio teſtificanti Pater concordat, dum ſe dicit una cum *eo* principium *virtutis* ejus, ſeu ſpiritus: *TECUM principium VIRTUTIS tuæ, in ſplendoribus Sanctorum genui te*. [c]

523 Mitto id etiam docuiſſe plura Concilia, a Toletano I. [d] ſeculo IV. ad Florentinum uſque; inter quæ tria œcumenica Lateranenſe IV. Lugdunenſe II. ac ipſum Florentinum, quibus Græci quoque interfuere, ac ſacramento fidem firmarunt: quanquam poſtea *Andronicus* Imperator coacta pſeudo-Synodo Schiſmaticorum, pulſoque e ſede CPolitana Johanne *Vecco*, ipſique Georgio Cyprio ſubrogato, latinorum Concilia conſigi curaverit, fidem ibi ſtatutam penitus improbari, horrendum Schiſma iterum aperiri. Mitto Patres, & quidem Græcos, idem docentes: Epiphanium: [e] *Ex Patre & Filio ſubſiſtens ſemper Spiritus Sanctus*: Cyrillum: [f] *Spiritus profunditur ab ipſo non minus profecto, quam ex Deo Patre*. Athanaſium: [g] *Eundem ordinem habet Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem*: & clarius in Symbolo *Quicunque*, quod & ſi Græci ab Athanaſio non expungant, eum tamen tunc ebrium [h] blaterant impudentiſſime.

[a] Lib. 4. de Trinit. cap. 20.
[b] Joh. cap. 16. verſ. 14.
[c] Pſalm. 109. verſ. 4.
[d] Sub Anaſtaſio Papa.
[e] Hær. 62.
[f] Lib. 5. in comment. ad Johan. *de recta Fide*.
[g] Epiſt. 1. ad *Serapionem* n. 20.
[h] Penes Gennadium Scholarium in *defenſione Concilii Florentini* cap. 1, *qui propterea Græcos carpit*.

De Hæreſi & Schiſmate Græcorum.

524 THeodoritus ortu Antiochenus, Epiſcopatu Cyrenſis, quem alioquin ipſius ſcripta doctrinis plena (Theologis a THOMASIO [i] iccirco propoſita) ejuſq. non mediocris vigilantia in concreditum ſibi gregem ſatis commendant; ſe primum, ante medietatem ſeculi V, hujuſce perfidiæ conſtituit architectum. Quum enim duodecim a Cyrillo contra Neſtorium editis *Anathematiſmis* acriter ſuccenſuiſſet, ſic habuit ad nonum: *Si vero Spiritum Sanctum EX FILIO, vel PER FILIUM ſuum habere exiſtentiam & eſſentiam dicit, id eſſe blaſphemum, & impium dicimus*. Verum quia Theodorito impulſum dediſſe creditur amor diſcipuli erga magiſtrum perculſum; quumque hæc ſcripſit, lue Neſtoriana morbidus erat; ſuſpicio nonnemini ingeritur, [k] homini inſimul & ſen-

[i] In Indiculo.
[k] Cabaſſutio in *notitia Conciliorum* cum aliis.

Digitized by Google

& ſententiæ patrocinatum illum fuiſſe. Attamen nullum prorſus Neſtoriana deliria recenſentem in hoc offendiſſe, in eandem & nos abire ſuſpicionem defendit. De ſuo profectò Theodoritus errorem errori addere potuit; Cyrillum, pluſquam oporteret, inceſſens, ignominiam Magiſtri ſui amplius ulturus. Deus autem non ſtatuit illi hoc peccatum, dum in Concilio Chalcedonenſi anathema Neſtorio dixit; [a] unde Pater & Doctor Eccleſiæ conclamatus eſt.

525 Sed quum plures ac plures annos veluti ſopita jacuiſſet; e ſuis hæc hæreſis in quibus deliteſcebat, revocata latebris creditur ad medietatem ſeculi VIII. Quandoquidem in *Gentiliacenſi* Concilio ad annum 67. ſub Pipino Francorum Rege agitatum fuit; *num Spiritus Sanctus a Filio procedat*: atq. in *Aquiſgranenſi* ineunte IX. (quo anno ad relationem S. Adonis Viennenſis, [b] non levem de re ea quidam *Johannes Monachus* [c] Hieroſolymis moverat controverſiam) veritas catholica decreta eſt, ſub Carolo Magno, qui fidem ſuam cum additione in Symbolo particulæ *Filioque* ad Leonem III. direxit. Porro etſi apud Græcos quovis ſeculo non defuerit, qui tali ſit errori patrocinatus; maxime tamen poſt IX. medium ſeculum peſſimus emerſit. Impius hic eſt ille *Photius*, qui e Sede quam indigne occupaverat, CPolitana per Nicolaum Pontificem dejectus quum eſſet, juſtiſſimæ depoſitionis injuſte contemtum agens, data epiſtola ad Orientales Patriachas, inſlavit claſſicum in Eccleſiam latinam, decretum ejuſdem de proceſſione Spiritus Sancti etiam a Filio inſectatus. Eo inde brevi apud ſuos inſinuationis perductus eſt, ut Græci omnes in ejus ſententiam conceſſerint, atq. pertinacia tali, ut tanquam teſſera ex tunc ſit habita, qua diro ſchiſmate a latinis diſcinderentur. Damnatur propterea in VIII. Synodo Generali, & in Romana degradatur, Chriſtiani illi nomine penitus interdicto. Verum ipſo Photio ſuperſtite, quum per Johannem VIII. (minus viriliter cedentem Eunucho [d]) defenſæ prius Cathedræ reſtitueretur, aliquantulum Schiſma ſopitum fuit: eo tamen mortuo, iterum pullulavit.

526 Sed quum ſemel atque iterum ac ſæpius antiqua Græcorum Latinorumque concordia tentata & inita eſſet, toties inconſtantiſſimi illi ſacramento haud parcentes, eo obſignatam pacem violarunt, quod Hoſio teſte [e] *Decies & quater ad Eccleſiæ gremium redierint, & toties ſe abdicaverint.* Ut propterea illorum vicem doleamus, quibus proditæ multoties fidei ſuſtinendum eſt crimen. Atque hoc, ut cetera miſſa faciam, duobus potiſſimum in eventibus, ſuperioribus ſeculis, contigiſſe compertum eſt. *Primo* quidem XIII. quum in Concilio *Lugdunenſi* ſub Gregorio X. accedentibus Græcis, eorumque Imperatoris Michaëlis Paleologi agente vices Georgio *Acropolita* (comperto, eos errorem priſtinum ejuraſſe) in concordiam ipſi a Lati-

a Videtur antè quæ in Spiritû S. effutiit Theodoritus nõ retractaſſe; quoniam in quinta Synod. gen. ad mediet. ſec. 6. proſcripta ſunt ejus capitula cõtra Cyrillum, nulla tamẽ Theodorito qui mortuus erat, inuſta cenſura.

b In ſuo Chronico.

c Qui a nonnullis putatur S. Johãnes Damaſcenus; ut infra.

d Quapropter datam de Papiſſa Johanna fabulá plures opinantur, ut num. 144.

e In lib. de Sacerdotum conjugio.

Latinis, & in amplexum recepti ſunt: ſed poſtea in Græciam reduces, antiquæ memores inconſtantiæ, ipſaque moti, tot inibi civere turbas, ut ad vomitum rediretur, quo ſuæ timens exautorationi Imperator Michaël, non parum favori eſſe debacchantibus, viſus ſit. [a] Idem *ſecundo* ac *demum* accidit ſeculo XV, quum præſentibus Eugenio IV. Summo Pontifice ac Johanne Paleologo Imperatore victas Græci in Concilio *Florentino* ad quod acceſſerant, dedere manus; confitentes nedum a Filio Spiritum Sanctum procedere; verum & merito (quod ipſis injurium æque fuerat) in Symbolo CPolitano additam particulam, *Filioque*. At *Marcus Epheſius* quum accedens animo ad ſe trahendi Latinos, ſuo tamen fato inglorius receſſerit; uti ſolus Florentino ſubſcribere recuſavit, ita ſluduit ipſe unus, ut ad ſua Græci reverſi, juratì fœderis non meminiſſent, turpiſſimeque reſumerent errorem priſtinum: quod factum eſt, & durat adhuc in præſens.

a Eum autem in veritate ſtetiſſe ſemper, ex eo evincitur, quod ipſum Schiſmatici, ejuſq. quoque Filius & ſucceſſor Andronicus qua falſi, uti ajebát, dogmatis profeſſorem a ſacro funere arcuere.

527 Videbatur ſiquidem Marco huic, futurum fuiſſe ut in divinis admitterentur *duo Spiratores*, ſi duæ perſonæ ſpirantes: [b] quorum certo alteruter ſuperflueret; dum ſi ab uno & ſolo Patre Spiritui ſat eſſet procedere, quorſum id quoque a Filio, inquiebat, & quam ob rem? Sed cui licuit promto eſſe ad argumentum iſtuc edendum; nonne & ad animadvertendum ſimiliter, non magis Spiratorem, quam *Creatorem* eidemmet fore obnoxium? Nimirum opera *ad extra*, quibus ab una fieri quum ſufficeret, a totis tribus Perſonis exeunt; ſed quia unica & communi omnipotentia auguſtiſſimis; & ab his tribus, & ab *uno* Creatore proficiſcuntur. Duo itidem ſunt Pater & Filius, qui Paracletum ſpirant: ſed quia una utriſque ineſt ſpirandi virtus *indiviſibilis*, ac principium, ſeu *voluntas fœcunda*; & immediate a duabus primis Perſonis procedit tertia, & ab *uno* ſolummodo Spiratore. Quod enim habet Pater, hoc ipſum idem, & non diverſum, & Filius habet; ſic ut propterea omnino eadem ac prorſus quæ eſt in Patre, etiam ſit in Filio ſpirativa facultas. Sed caveſis interim, ut, quemadmodum quæ habet Pater, & Spiritus habet, ita unicuique horum conſtituas *gignendi* poteſtatem, Filiumque facias a Patre ſimul & Spiritu Sancto progenitum. Enim vero quum opera intellectus præconcipiantur ad ea voluntatis (omne enim prius eſt cognitum, quam ſit *volitum*) ſitque Filius ex illo, Spiritus Sanctus ex iſta; non poterat hic illum progignere, quum jam genitum præſupponeret. Et quanquam in Deo nullum prius aut poſterius quoad imperfectionem *ſucceſſivitatis*; ineſt tamen illi, quoad *eminentiam* perfectionemque, nimirum quoad originem unius ab alio, & quod ex intellectus illuminatione ſequantur opera voluntatis.

b Nimirú dicuntur duo ſpirantes, adjective, ſeu duæ perſonæ habẽtes ſpirationẽ activam; non vero, ſubſtantive, ſeu habẽtes duplicem ſpirationẽ: ita etiã quod ſubſtãtive dici nequit: tres omnipotentes; adjective dicitur; & ſimiliter.

528 Scripturas quoque Græci producunt, vel quibus, ceu armis, utantur; vel adverſus quas clypeos opponant: ſed utraque hæc tam ſane

ſane levia ſunt, quam quæ leviſſima. Putant enim, niſi Spiritus Sanctus a *ſolo* Patre procederet, futurum fuiſſe, ut minime legeremus [a] *Spiritum VERITATIS, qui a Patre procedit*: quaſi quod Chriſtus tunc a ſe etiam illius proceſſionem, data opportunitate, Apoſtolos docuiſſet: ut propterea quum id non fecerit; ſe excluſiſſe dicendus ſit. Verum qui ſic loquuntur, ſi in Patrum etiam Græcorum ſtudium incubuiſſent, animadvertiſſent in Epiſtola Cyrilli ac Synodi Alexandrinæ [b] ſatis Filium, *a ſe* procedere Spiritum Sanctum, eo loco, ſignificaſſe, quum eum ibi dixerit Spiritum *veritatis*, & veritas Chriſtus ſit. [c] Secus; id fieri potuit, quod omnia Filius ad Patrem referre ſolet, a quo habet quidquid habet: ita quum dicit; [d] *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. Ceterum ubi modo ſiletur Filius, & exponitur Pater; alibi e converſo Pater ſiletur, & Filius exponitur: *Miſit Deus*, inquit Apoſtolus, [e] *Spiritum Filii ſui in corda eorum*; & Divus Lucas: [f] *Non permiſit eis Spiritus Jeſu*. Putant etiam ſchiſmatici, quo loco dicitur *mitti* a Filio Spiritus Sanctus, fore ut aptius intelligamus miſſionem *donorum*, quæ per quandam *appropriationem* Spiritui Sancto adtribuuntur: atque etiam quum Chriſtus non dixerit, *de me* accipiet, ſed *de meo*, ut idem percipiamus ac *de meo Patre*. Attamen qualem ſibi vindicent Scripturæ gloſſam, abunde per multa ſecula cum Latini Patres, tum Græci latinos græcoſq. docuere. De reliquo eum quidem ſe pollicetur Chriſtus miſſurum Spiritum *qui a Patre procedit*, quæ ipſiſſima eſt divina Perſona; illiuſque oraculum completum eſt die *Pentecoſtes*, quo Apoſtolis is ipſe Paracletus illapſus fuit, ac ſingulis communicatus; nec proprie dicuntur dona *venire* vel *mitti*, ſed dari.

[a] Joh. cap. 15. verſ. 26.
[b] Cap. 10.
[c] Juxta illud: *Ego ſum via, veritas & vita*. Joh. 14. 6.
[d] Joh. cap. 7. verſ. 16.
[e] Ad Galat. cap. 4. verſ. 4.
[f] Actorum cap. 16. verſ. 7.

529 Majori autem Græcis videtur eſſe præſidio Synodus Epheſina; in qua perlecta Symbolum *Neſtorianum*, & confutatio Cyrilli per Theodoritum, nullis fuere carpta cenſuris; tametſi in eo: *nec Filium illum putamus, nec per Filium ſubſtantiam ſortitum*; [g] & in iſta reprehenſum de blaſphemia Cyrillum, *ſi ex Filio vel per Filium habere* dicat Spiritum Sanctum eſſentiam; [h] omnes inibi coacti Patres perlegiſſent. Duo tamen hac in re ſilendi cauſſam Epheſino Cœtui fecerunt; & quod Neſtoriana verba catholicum æque ſenſum compaterentur: nimirum haud *effici* Spiritum Sanctum per Filium, quemadmodum creata omnia per ipſum facta ſunt; & quod Epheſinorum Patrum non eſſet, errorem alium pro tunc, quam de duplici in Chriſto *perſonalitate* (qui Neſtorio palmaris erat) configere. Eam ob rem nec confutatio Theodoriti in Cyrillum ſententiam ſuam paſſa fuit, quam in V. œcumenica tandem Synodo non declinavit. Sed & quanquam ille, poſt ſolum anathematizatum Neſtorium, qua publicus Eccleſiæ doctor fuerit conclamatus; errori ſuo id non favet;

[g] *Quare multi credũt (ut n. 524) Neſtoriũ primo Græcis ſchiſma aperuiſſe.*
[h] *Etiã Græci hanc autoritatem tenẽtur ſolvere, qui volunt Spiritum Sanctum a Patre procedere, ſed per Filium.*

vet; ſolummodo tunc uſque expreſſe per Eccleſiam non condemnatum eum pandit. Qua ratione Johanni Damaſceno quin ſanctitatem Divus Thomas abjudicaret, de eo erroris hujus ſuſpicionem concepit. *a*

a Ut mox infra.

De Divis Johanne Damaſceno & Leone Tertio.

530 JOhannes ille monachus, quem Sanctus Ado Vienneſis *b* moviſſe Hieroſolymis de Spiritus Sancti proceſſione controverſiam teſtatus eſt; non levem modo inter eruditos quæſtionem movet, quis eſſet. Vult Voſſius & Pithæus illum fuiſſe *Damaſcenum* hunc de quo agimus: eum eundem videlicet Theologiæ *Scholaſticæ* primum inſtitutorem, cujus opera pietate ac doctrina plurimum referta legimus. Alii vero cum Le Quien in ſuis *diſſertationibus Damaſcenicis* *c* ab hac ipſum cenſura eximunt; obſervantes, plus quam viginti ante annis, quam *Aquiſgranenſe* (cui adunando dediſſe occaſionem relatus monachus perhibetur) Concilium coactum fuerit, beatam virum illum ſanctiſſimum efflaſſe animam. Nempe communiter pretioſam ipſius mortem infra VI. & VII. Synodum Generalem aſſignant; deque eo ad annum 744. *d* memoriam ultimam tradunt, quum *Gnaphei* *e* reviviſcentem hæreſim compeſcuit; quin ſolum quinque poſt annos a collectis in Conciliabulo *Iconoclaſtis* nomen ejus aliorumque Patrum ſacris Imaginibus faventium, phantaſtico anathemate, injuſtum perhibent. *f*

b Uti ſupra num. 525.

c Diſſert. 1. num. 16.

d Baron. ad hunc annum: at Aquiſgranenſe fuit an. 767.

e *Unam in Chriſto naturá adſerentis: & inde toti Trinitati Crucem adſcribentis.*

f Penes eundem Baroniũ poſt annos 5.

531 Ut ut autem de hoc ſit; adhuc de Damaſceno dubium eſt reliquum, ac ſub judice lis eſt. Quum enim in ea devenerit, quibus Spiritum Sanctum *non ex Filio*, ſed *per Filium* dicendum autumavit; viſus eſt pluribus non infimi ſubſellii, inter quos Divo Thomæ, *g* Græcorum errorem & ipſe profeſſus eſſe. Sed quoniam prius in id conceſſit, *h* ut omnia quæ habet Pater, ineſſe etiam Filio profiteretur, ac proinde ſpirativam virtutem; copia nobis fit, qua Sanctum Doctorem benignius interpretantes, ab ea macula quoad poſſumus vindicemus. Et ſane Recentiores fere omnes ad unum putant, hanc fuiſſe mentem Johanni, ut Macedonio adverſaturus (qui Spiritum Sanctum *a ſolo* Filio, ceu a *cauſſa* dimanantem effutiebat) ab ea voce, *quod ex Filio ſit*, tempori ſerviens abſtinuerit: quaſi non aliud vellet, quam accepta a Patre ſpirandi activitate, non ex ſe Filius, ſed ex illo communem utriq. Spiritum profuderit. Quæcunq. tamen cenſenda ſit in eo Doctore ratio ita loquendi; mihi videtur non abſonum, quod explicandi animo, non ſolum a Filio, ſed & a Patre (quinimmo iccirco a Filio, quod hic ab illo acceperit virtutem) proceſſiſſe utrotunque

g P. 1. q. 36. art. 2. ad 3. ſic habenti: *Plures poſt Theodoritum; inter quos fuit etiá* Damaſcenus. *Unde ejus ſententiæ non eſt ſtandum.*

h Lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 9.

Digitized by Google

runque amorem Spiritum S; in ea laudata verba potuerit devenire: non ſecus ac Johannes Apoſtolus, [a] qui quanquam *a* Verbo æterno facta omnia non dubitaret, tamen, *omnia PER IPSUM facta ſunt*, exarare voluit, eo quod accepta Verbum virtute a Patre operatum ſit.

[a] Cap. 1. verſ. 3.

532 Nihilo vero ſecius non dubito, quin tibi difficile appareat explicatu, & ad ſanum ſenſum reductu, quod habet in *homilia* quadam de *Sabbato Sancto*: inibi præmiſſo, dicendam eſſe, *Spiritum Patris*, tertiam Perſonam, eo quod ab ipſo procedit; non ex alia petit cauſſa, quod etiam quandoque *Spiritus Filii* dicatur; quam quia *per ipſum manifeſtatus rebuſque conditis IMPERTITUS, non autem EX IPSO habens, UT EXISTAT*. Verum expoſitæ jam interpretationi incumbendum reor: qui enim per Filium fatetur datum fuiſſe & *impertitum* hominibus Spiritum Sanctum, jam per eundem & *miſſum* dicit; ac proinde (niſi quod Schiſmaticis aliud eſt mitti, aliud derivari) per hunc ipſum & *derivatum*: ſicque eandem ſignificationem implicat altera iſthæc, ac prima Damaſceni autoritas. Quocirca quia latinis Catholicis utrunque in uſu eſt, & *per* Filium, & *ex* Filio divinum Spiritum proceſſiſſe; jam forte non tam re a nobis videtur alius eſſe Johannes, quam voce.

533 Minus tamen Græcis faviſſe *Leonem* III. Pontificem, non difficilis animadverſu res eſt. Quanquam is enim ad ſe directis e Gallia poſt *Aquiſgranenſe* Concilium legatis, [b] ut additam Symbolo particulam *Filioque* autoritate Pontificia confirmaret; obſtiterit diſtrictiſſime proruperitque in hæc verba: [c] *Si prius quam ita cantaretur, interrogatus eſſem: ne infereretur, reſpondiſſem*: aliud tamen intendit, quam quod putatur. Compeſcere nimirum Pontifici tum cordi fuit minorem, quam ſit Papalis ſuprema, libertatem facultatemq. præſumptam, qua induxiſſe animum audierat Gallicanos Præſules, eam particulam in publicis Miſſarum officiis addere. Ceterum fidem ſuam de proceſſione Spiritus Sancti *ab utroque*, Legatis iiſdem Leo edidit his verbis manifeſtatam: *Ita ſentio, ita teneo cum his autoribus, & ſcripturæ autoritatibus: ſi quis aliter hac de re ſentire aut docere voluerit, defendo.* [d]

[b] Ut n. 525.

[c] Ex Chriſtiano Lupo tom. 3. *de Actis S. Leonis III.*

[d] *Ita* Smaragdus *a Sirmondo & Labbejana Concil. edit. relatus: vide Baron. ad ann. 809. num.* 54.

534 Propterea nil habet virium, quod ex Anaſtaſio Bibliothecario, [e] ex Photio [f] aliiſque plerique ferunt: inſculptum nimirum argenteis laminis græce ac latine ſine particula *Filioque* Symbolum CPolitanum reponi juſſiſſe ad Altare Beati Petri eundem Pontificem. Rationem eum quippe ad id habuiſſe ſuaſum eſt, ut quę profitenda eſſet fides, quiq. errores eliminandi, ex eo poſthac notum foret; ac ne potiſſimum Sectariorum injuria quid illud vitii contraheret, quoniam facile judicabatur a gentibus id temporis errori pronis, perq. quas immaniſſimo Schiſmati jam jam proludebatur, fore ut corrumperetur; additione

[e] In vita ejuſdem Leonis.

[f] In epiſt. ad Patriarcham Aquilejenſ.

maxime (ut Jeremias Patriarcha CPolitanus feciſſe loquitur [a]) quod duntaxat a Patre divinus Spiritus emanaverit. Nullam autem inibi à Leone factam expreſſionem particulæ *Filioque*, in cauſſa putandum eſt, quia nondum jure fuerat inſerta, neque tunc (ne Gallicanis obſequi videretur) cenſuit eſſe inſerendam.

De Symbolo Divi Athanaſii.

535 MAgnus Sanctus Athanaſius qui ob egregias animi dotes Prot o-œcumenicæ Synodo, Eccleſiæ Alexandrinæ adhuc Diaconus, interveniendi facultate honeſtatus eſt; Marci Evangeliſtæ thronum poſt annum, ſeu laudatæ Eccleſiæ Cathedram conſcendens, non dignitatis magis, quam pietatis ſucceſſor extitit. Quum autem Nicæno illo in Concilio perquam acerrime Arianos impetiiſſet, varias ob id eorum perſecutiones inde exantlavit: ut propterea crebris inſidiis impudentiſſimiſq. calumniis appetitus, varie variaſque in regiones Chriſti Athleta exulatum abire coactus ſit. Inter tot procellas ab anno viceſimo ſecundo Imperii Conſtantini uſq. ad tempora Valentis vixit; cui tandem poſt medietatem ſeculi IV. claudenti dies fata ceſſerunt. Profecto ita vixit ac docuit, ut vita ipſius morumque habitudo Eccleſiaſticorum Præſulum norma eſſet, & ipſius documenta ceu chriſtianæ fidei leges in Eccleſia obtinerent, inquiebat doctiſſimus ac ſanctiſſimus ejus Encomiaſtes, qui ſingulari oratione [b] ipſius laudes complexus eſt Gregorius Nazianzenus. Multa Divo Athanaſio digniſſima tanto viro inſcribuntur opera; [c] inter quæ non ultimum locum illud occupat, de quo agimus: quod tamen ut illi abjudicent, ultimum fere omnes hodierni Critici conatum adhibent. Porro hoc non ad modum *Symboli* ab Autore ſuo adornatum eſt, nec propterea eo nomine olim [d] donatum; ſed ad modum potius doctrinæ ſacræ cujuſdam, qua profeſſam fidem Chriſtiani planius intelligerent: verum quoniam integram orthodoxam veritatem doctrina ea atque breviter complectebatur; in id ventum eſt, ut approbante Eccleſia, quaſi fidei regula recepta, ita & *Symbolum* nuncuparetur.

536 Factam ejus, ſub Athanaſii nomine, mentionem primam penes *Gregorium Nazianzenum*, [e] ſibi plurimi blandiuntur. Habet enim ille, Athanaſium *Imperatori* Joviniano *donum vere regium obtuliſſe, ſcriptam nimirum fidei confeſſionem.* Sed nonne rectius crederent, aptiorem inibi ſermonem eſſe de *Synodica* quadam *epiſtola* [f] ab eo Doctore ad Regnantem illum conſcripta nomine Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos ac Lybiarum, quæ & Nicænum Symbolum, & quædam alia ad confodiendam *Pneumatomachorum* [g] hæreſim, complectebatur? Secus, cur

[a] *Vbi enim in ſymbolo legebatur*: qui a Patre procedit: *ſe legiſſe ac ſcripſiſſe teſtatus eſt*: Qui a *ſolo* Patre procedit.

[b] Quæ eſt 21.

[c] *Quorũ aliqua recenſentur* in lib. de Scriptorib. Eccleſ. *a Div. Hieronymo, qui concludit*: & multa alia, quę enumerare lõgum eſſet.

[d] *Inſcribebatur enim*: Fides S. Athanaſii.

[e] Loc. laud.

[f] In collect. Conciliorum.

[g] Qui recens emerſerant cõtra Spiritum S. meritoque a Greg. Naz. loco cit. dicitur *dogma novum nunquam in ſcripturis expreſſum.*

Digitized by Google

cur celebriorem hanc præterit, aut cur non duas confeſſiones commemorat? Minus autem ad rem videtur ex Auguſtino petitum aliud monumentum. Licet enim Athanaſianum Symbolum ab eo indigitatum plerique velint, quum de *Trinitate* [a] hiſce verbis locutus eſt: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; non tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotens*: atque alibi: [b] *Quicunque vult ſalvus eſſe, fidem rectam & catholicam diſcat; ut credat Patrem, Filium & Spiritum S. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Deus; non tamen tres Dii, ſed unus eſt Deus: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus... Filius æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*: atque alio tandem in loco: [c] *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*: quis quidem tamen ſibi ſuadet, ſolitum Auguſtinum laudare Patres, ex quibus quidpiam excerpit; [d] unice Athanaſium ſiluiſſe, de quo modo tanta depromit? an non rectius, de ſuo locutum, tu dixeris? an non immo ex Auguſtini libris, aliorumque Patrum defloraſſe ſententias, quas in Symbolum referret, hujuſce conſarcinatorem, [e] profecto diceret, qui auderet magis? Purum interim eſt putumque Poſſevini [f] commentum (quo nonnulli incaute decepti ſunt) Auguſtinum talia hæc dixiſſe: *De hoc Sole Pater Athanaſius ita pulchre locutus eſt: Filius Dei a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Nimirum ſententia iſthæc nec Auguſtiniana eſt, nec ulla ſit eo loci Athanaſii mentio. En verba S. Doctoris: *Alius eſt autem ille Sol, non factus, ſed genitus, per quem facta ſunt omnia.* Ubinam ad Athanaſium, ubinam ad Symbolum ratio?

537 Ut igitur omnes norunt; ab *Auguſtodunenſi* in Gallia Concilio, poſt tribus jam ſeculis Athanaſium demortuum, aperta hæc in Eccleſiam Traditio derivata eſt. [g] Sic enim habet: *Si quis Fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condamnetur.* Exinde *Hincmarus* Remenſis Antiſtes [h] qui IX. ſeculo floruit; *Abbo* Floriacenſis Abbas, [i] qui X.; *Gregorius* Papa IX. in ſuis apud Græcos *Apocriſariis*, [k] ſeu Legatis; *Eugenius* IV, Divus *Thomas* & plerique alii ſequentibus ſeculis Athanaſio Symbolum inſcripſerunt. Nec me latet, laudari ab *Uſſerio* codices quoſdam ævo *Gregorii Magni* conſcriptos, alium *Colbertinum* 900. annorum & ultra, *Sangermanenſem* & alium æqualis ætatis, cui titulus: *Fides S. Athanaſii Epiſcopi Alexandriæ.* Verum iſti & majorem Auguſtodunenſi, ad annum 70. ſeculi VII. celebrato, antiquitatem non poſſident, & Criticis adverſantibus exinde ſatis non faciunt. Volunt ipſi communiter magis, [l] minuſque improbabiliter *Vigilium* illum *Tapſenſem* in Africa Epiſcopum, ipſo medio ſeculo VI. florentem, [m] huic Symbolo dediſſe manum, & errori occaſionem. Ei quippe admodum

[a] Lib. 5. cap. 8.
[b] *Serm.* 195.
[c] In Enchirid. *ad Laurentiũ* cap. 36.
[d] Habet enĩ epiſt. 111. *Quæ de opuſculis Sanctor. cõmemoravi, Ambroſii, Hieronymi, Athanaſii, Gregorii, & ſi qua aliorum &c.*
[e] Ut n. 132.
[f] In *Apparatu ſacro.*
[g] *Nonnulla tamen antea recitantur in Tolet. IV. cap.* 1.
[h] *Qui Symbolum ſuis Eccleſiæ miniſtris propoſuit.*
[i] In *Apologetico ad Reges Francorũ Hugonem & Robertum.*
[k] Apud Bzovium tom. 13. Annal. Eccleſ.
[l] *Alii vero cũ Miræo* Anaſtaſium Sinaitã; *alii* Vincentiũ Lirinensẽ; *alii* Euſebiũ Vercellenſem; *alii tandẽ cũ Gerardo Voſſio in diſſert. de trib. Symb.* Anonymũ *quend. Galliæ Theologũ. Sed contra hos ea faciunt, quæ contra Ath.*
[m] Juxta Labbejanũ ratiocinium.

 fami-

Digitized by Google

familiare fuit, ut quæ ſcriberet opuſcula, non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum nomine [a] emitteret. *Utile hoc*, inquit ipſe, [b] *& valde commodum apparuit, ut uniuſcujuſque hæretici perſonam, cum ſui dogmatis profeſſionibus, quaſi præſentes cum præſentibus agerent, introducerem. Sabellium ergo . . . atque ATHANASIUM introduxi.* Conjicit inde Queſnelius; [c] a Vigilio quum CPoli exularet, iccirco ſub Athanaſii nomine Symbolum adornatum, & quod ſummam illius fidei vere contineret, & ne ullus Africanorum Antiſtitum (ad quos, ut periclitanti ſuarum ovium fidei præſto eſſent, illinc tranſmiſſum eſt) in ſuſpicionem de eo apud hæreticos adduceretur, ſicque in diſcrimen vitæ certiſſimum.

538 Id igitur quod me magis movet, animadvertiſſe me, eſt, in *Pſalterio* THOMASII adnotatum per literam, R, hocce Symbolum, priſco more titulatum: *Fides Catholica S. Athanaſii Epiſcopi*. [d] Illa nempe in cognitionem me duxit (juxta quod laudato operi *ad Lectorem* præfatus eſt) in antiquiſſimo omnium *Gelaſiano* codice [e] extare Athanaſio Symbolum adtributum. Regnavit autem Gelaſius Pontifex ante finem ſeculi V; atque adeo accuratiſſimus & ſeveriſſimus Criticus fuit, ut probandis reprobandiſque veterum opuſculis, ſeptuaginta Epiſcoporum Concilium Romæ indixerit, plura inde admiſerit, multa exſufflaverit. Quinimmo antiquiorem etiam *ex parte* habet eum codicem, atque ad tempora Athanaſiana relatum, qui ita inquit THOMASIUS: [f] *Ut ſumma dicam: hunc eum Romanæ Eccleſiæ Sacramentorum codicem putaverim, qui Gelaſii olim appellabatur ex illius Sancti Pontificis precum augmento. Appellabatur*, dixi; *nolim enim integrum ei adſcribas, ſed LEONI MAGNO magna ex parte, ejuſque PRÆDECESSORIBUS Romanis Epiſcopis.* Nec tamen argumento, credas, aciem retundit, tametſi nonnihil de apparatu ſuo remittere cogat, id quod idem ſubdit poſt pauca: *Huic nimirum codici nonnulla eſſe appoſita ſequenti ſeculo, quæ præfatos conditores non ſapiunt*: quaſi inde ſuſpicari liceat; in facta deinceps mantiſſa codicis, factam & Symboli inſertationem. Id enim & habitum non fuiſſet niſi ſuprema quadam Eccleſiaſtica poteſtate (codex enim Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ erat) quæ uti ſolo tempore Gelaſiana inferior, majorem antiquitatem, non autoritatem ſuſtuliſſet; & Gelaſium ipſum qui *opuſcula Beati Athanaſii Epiſcopi Alexandrini* in canonem laudatæ Synodi redegit, *Conditorem non ſapere*, appoſitam codici Athanaſianam *fidem*, nonniſi temere diceretur.

539 Enim vero quæ contra Symboli recenſitam inſcriptionem congerunt, tanta non ſunt, ſeu non eſſe videntur, ut forte nobis a venerabili antiqua Traditione recedendi animum ingerant. Quandoquidem procul fuiſſe Athanaſium a *nova* condenda fidei formula, eo quod,

[a] De quo in num. 239.

[b] In dialog. adverſ. *Arianos, Sabellianos* & *Photinianos*.

[c] In diſſert. 14. in opera S. Leonis.

[d] Folio 434.

[e] *Quem Romæ excudit is ipſe* THOMASIUS 1680.

[f] In Præfat. ad *Codices Sacramentorum*.

Digitized by Google

quod, ut ipſe habet, [a] Nicænum Symbolum ſuis eſſet numeris abſolutum; *præfatam* ei *fidem* minime abjudicat: *Symbolum* enim in re non eſt, ut monuimus, ſed Religionis Chriſtianæ *doctrina* quædam & expoſitio; quam etiam condere nec Epheſini Patres, nec alii ſibi interdixerunt, qui (ut infra [b]) *alteram fidem* ac *Symbolum*, præter Nicææ conſtitutum, inhibuerunt. Neq. Græci per hujuſmodi doctrinas ſæpius exhibitas verboq. tenus tantum diverſas violatam fidei formulam unquam conqueſti ſunt, ſed per additionem duntaxat in Nicæno Symbolo particulæ *Filioque*. Porro quia chriſtianæ fidei Sacramenta breviter nedum, ſed & *integre* (ob quod ceu Symbolum deinceps obtinuit) in ſua data *Fide* Athanaſius exponat; plura inibi extant, quæ utpote viam heterodoxis poſteris occludendo maxime accommoda; viſa ſunt incautis nonnullis, ab autore Symboli aſſumta, quo Sectarii Athanaſio recentiores (ſicque ipſi abjudicanda) confutarentur. Doctrinam Religionis pervetuſtam exhibet, non novam hæreticorum confutationem: perinde ac Heronymus [c] & Auguſtinus [d] quibus Calviniana hæreſis venire in mentem non poterat, *ſimplicem* fidem de neceſſitate baptiſmi ad delendum originale tradiderunt, contra quam longe poſtea Calvinus effutiit.

540 Quum autem Græcus homo digniſſimas ſuas elucubrationes reliquas omnes nonniſi vernaculo idiomati conſignaverit, ſolumque hocce Symbolum in *Italia* forte conſcriptum [e] (in qua latinam linguam profecto quivit ediſcere, vel biennio illo quo vixit *Treveris*, atque item dum profugus *Mediolani*, *Aquilejæ* & *Romæ* egit) latinis literis ac vocibus concinnarit; facile Collectores Græcos priores Athanaſii opera coadunantes, latinum opus hoc unum valdeque exiguum præterire potuit, vel latere: tantoque magis quod (ſi verum eſt, quod multi ſentiunt) nec nomen ejus inſcriptum præſeferebat. Satis inde de non citato Athanaſio, ubi fieri conducebat, contra Neſtorium & Eutychetem Cyrillus & Epheſinum Concilium, Leo & Chalcedonenſe, Patreſq. alii abſolvuntur. Satius autem; quia nedum plerique in divinum illud opuſculum minime inciderant, aut præ manibus habuerant, ſed quia inſuper mos erat antiquorum Scriptorum, nullos in medium proferre autores ad ſacrorum dogmatum confirmationem, niſi id hæreticorum pertinacia ab ipſis extorqueret; [f] certamen ex ſolis divinarum Literarum teſtimoniis adverſus fidei hoſtes inſtruentium. Teſtis mihi ſibiq. eſt Athanaſius. [g] Arianos ipſe coarguit, quod *præter* Scripturas Sacras, autores alios advocarent, *quumvis ſcripturæ potentior ſit*. Nec ipſe Patrum autoritatibus Arianos debellaturus fuit uſus, niſi quum ipſi in ſui præſidiū erroris Patres prius adſciverunt. [h]

541 Neque tamen omnino liberum illi animadverſioni exitum permittere poſſum, aut volo; ſupparium Scriptorum nullum de Athanaſio

a In epiſt. ad *Antiochenſes*.

b In de particula *Filioque*.

c In epiſt. 7. ad *Lætam*, ubi ait: *Fiunt, non naſcūtur Chriſtiani.*

d Lib. 4. *de anima & ejus origine cap. 9.* ubi ait: *Noli dicere, infantes, antequam baptizentur, morte prævētos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam.*

e Sed qua occaſione; omnino incertum.

f His rationib. nec Athanaſii epiſt. ad Serapionem, *nec alia ad* Epictetum, *quas adverſarii eidem inſcribūt, citatæ ſunt, quanquā in illa ſtatuat doctrinā de proceſs. Spir. Sancti ab utroque, & in hac, contra Eutych.*

g Lib. *de Synodi Nicænæ decretis.*

h Sic Origenem & Dionyſ. Alex. ipſis eripuit, Catholicisq. adſeruit.

Digitized by Google

naſio inſcriptoque illi Symbolo meminiſſe : quippe S. *Hilarium Pictavienſem*, Doctori noſtro coætaneum, eidem Symbolum adtribuere in *Fragmentis* ſuis, *Pithœanus* codex ex quo illa edita ſunt, conteſtatur. Habet enim ipſe, [a] in codice quodam *Dervernenſi*, poſt Nicænum Symbolum Ariique damnationem in Ariminenſi Concilio per Catholicos elaboratam, ſequi *Fidem dictam a S. Athanaſio, ſive Symbolum quod ejus nomen præfert.* Arbitrarium autem videtur, ac divinari quidem omnino; præfata iſthæc verba *Fragmentis* illis appoſita ſero fuiſſe, longeque recentiori calamo Pithœanum codicem exaratum (ut qui illum in lucem edidit, opinatur Nicolaus Faber) ſicque aliena quædam addentem. Tamen ingenue fateor: magnam mihi vox illa, *Symbolum*, in Pithœano laudata, facti huic additamenti ſuſpicionem ingerit: aliter enim in codicibus Gelaſiano, Colbertino & Sangermanenſi legitur: inibi, *Fides S. Athanaſii*, non *Symbolum*; nec niſi duntaxat poſterioribus ſeculis, poſt approbationem Eccleſiæ, adtributum doctrinæ illi Athanaſianæ hoc vocabulum, ſatis innuit Divus Thomas. [b] Crediderim autem quoad hæc ſola verba: *Sive Symbolum quod ejus nomen præfert*: [c] paſſum fuiſſe Pithœanum laciniæ hujus adjectionem, nam de cetero cum laudatis aliis codicibus concordat.

[a] In ipſo fine Fragmentorũ.

[b] Secunda ſecundæ q. 1. art. 10. ad 3.

[c] *Quæ verba prius fortaſſe adnotata fuerunt ad marginem a quodam qui Hilariano codice utebatur, deinde ſcioli alicujus oſcitantia in textũ ipſum Hilarii intruſa.*

De Particula FILIOQUE.

542 QUo hæc tempore particula Nicæno Symbolo addita fuerit; diſcindit in incerta ſtudia eruditos, ita ut in diverſiſſima abeant. Interim vetuſtatem Codicis ſui (quem Gelaſianum appellitat [d]) ex eo THOMASIUS inter alia repetiit, *quia in Symbolo quod habetur in ſcrutinio ante Dominicam in Palmis, deeſt additio illa*, Filioque, *quæ ſane in Germania Galliaque (ubi ſcriptus videtur codex) VII. & Romæ nonniſi IX. Chriſti ſeculo facta fuit.* Illud autem ſuaſum cuique eſſe deberet, a nullo ſeu Romano Pontifice, ſeu Concilio œcumenico inſertam illam fuiſſe ante tempora *Leonis* III, dum aliter ſuper hac additione nec Patres *Aquiſgranenſes* eum conſultaſſent, nec is illis obſtitiſſet. Videtur inde claram rem eſſe, nec *Damaſum* egiſſe iſtuc in Concilio Romano, [e] facta utcunque illi copia; quod ſecunda Synodus Generalis quæ id temporis Conſtantinopoli celebrabatur, jam plures voces Nicæno Symbolo addidiſſet. Hinc eſto *Symbolum Damaſi* inter opera Divi Hieronymi [f] conſcriptum, particulam præfatam exhibens, ſuppoſititium non foret; nullum nobis adhuc negotium faceſſeret; illud enim aliud ab eo de quo agimus, deprehenditur: *CPolitanum* Symbolum non eſt, ſed Fidei doctrina quædam, di-

[d] In præfatione ad *Codices Sacramentorũ.*

[e] Ut opinatur Alexius Ariſtinus in lib. cui nomen: *Cõſpectus omniũ Canonum.*

[f] Tom. 9.

verſo ordine verborumque alia conſtructione digeſta. Neque etiam œcumenica *ſexta Synodus* quoad hoc laudato Symbolo manum admovit. [a] Qui enim Sanctus Maximus Martyr dicendi iſtud occaſionem dediſſe viſus eſt; is de fide duntaxat latinorum, ex utroque Spiritum S. procedentem fatentium, eo loco meminit; nullam ad Symbolum additionem factam recenſet. Sed neque profecto minus Concilium *Nicænum alterum* huic operi ſeſe addixit: maximæ ſiquidem ſuppoſitionis arguitur *codex* ille unicus a Romanis per *Julium* Cardinalem & *Andream* Coloſſenſem in Concilio Florentino Græcis objectus; nec non vetuſtus alter hiſtoricus (quem fuiſſe *Martinum Polonum* conjectat Natalis Alexander [b]) ambo iſti laudatæ Synodo additionem eam aſciſcentes. Enim vero Anaſtaſius Bibliothecarius qui ſolum ſeptuaginta poſt annos a recenſito Nicæno floruit, ipſumque latinitate donavit, totam eorum prætenſam firmitatem exuere utrunque cogit; quoniam nihil de illo additamento per Nicænum patrato in verſione ſua legendum exhibeat.

[a] Ut Manuel Calecas libro *adverſ. Græcos.*

[b] Seculo IV. parte 3.

543 Quocirca ſolum & ſummum Leonem III. *Provinciales* ſacri quidam Conventus qui rem hanc noſtram ediderint, præceſſiſſe videntur: ac ſi Britoni fides, ope cujus acta Concilii *Bracarenſis* priori luce fruita ſunt, atq. iterum ob Labbejanam editionem; ex hoc ad annum 11. ſeculi V, id in Symbolum derivatum eſt, ut Spiritus Sanctus ex Filio quoque dimanans exprimeretur: *Credo*, habet, *in Spiritum S. procedentem a Patre & Verbo*. Sin minus; in *Toletano* III. ſub Reccaredo Rege poſt centum ſeptuaginta octo annos eam additionem habitam liquet, quippe quam hæc illius quæ ſequuntur verba (CPolitano Symbolo inſerta) reddunt conſtantem: *Et in Spiritum S. Dominum & vivificatorem ex Patre & Filio procedentem*. Quæ quidem Phraſis poſthac ſolenni uſui fuit Toletanis reliquis a VI. ſeculo ad VII, modo in Symbolis, modo in Fidei definitionibus. Id autem ſolas illas Hiſpaniarum regiones percucurriſſe ſucceſſu temporis haud paſſum, in alias etiam perſonavit. Exhibent rem *Gentiliacenſe* in Gallia Concilium ad finem VIII. ſeculi, nec non deinceps ineunte IX. *Aquiſgranenſe*, miſſiq. ab eo ad Leonem III. approbationis cauſſa Oratores. Sed & Romam quoq. invectum fuiſſe poſt medietatem ſeculi IX. oſtendunt Græcorum deliramenta in Nicolaum Pontificem, ab eis (agente per *Encyclicam* ſuam impio *Photio* [c]) diris devotum, ceu gravis piaculi reum, quod ipſe Symbolum relata additione prophanaverit. Aſt utraq. tandem Eccleſia in pace compoſita, Græca & Latina, ſolenniter in Lugdunenſi II. ambæ Symbolo particulæque illi, quam *ter* cecinerunt (facta tamen Græcis licentia, ut in Eccleſiis ſuis de ea ſileretur) toto animi jubilo obſecutæ ſunt, ſub Gregorio X. ad annum 74. ſeculi XIII. hocq. ipſum præſtarunt iterum ac demum in Synodo Florenti-

[c] *Cui pejori ſcelere adhæſit an.* 1050. Michaël Patriarcha CP. *anathema dicens SS. Pontifici Leoni IX. ſicuti* & Petrus Patriarcha Antioch. *in Literis adverſ. Latinos.*

na ſub Eugenio IV. (uno *Marco Epheſio* renuente) poſt annos centum ſexaginta quatuor.

544 Mirum tamen eſt, quam obſtinatiſſimi Græcorum nonnulli, inſtante claſſicum impio Photio per recenſitam eam ſuam ad Orientales *Encyclicam*, in additionem iſtam obſtreperent, ac propemodum debaccharentur. Ut proinde Græcæ perverſitatis atq. ſchiſmatis teſſera ſit, Latinis ubiq. gentium magno crimini vertere, quod Symbolo eam particulam adjecerint. Incuſatos nos arguunt commenti ſceleris, eo quod *Epheſinum* Concilium additionem omnem quantumvis parvulam defenderit, omnique gradu dejiciendum, qui aliter attentaret, illique morem non gereret, conſtituerit. *ALTERAM fidem*, ſic habet, [a] *nemini liceat proferre, vel conſcribere, aut componere præter eam, quæ conſtituta eſt a Sanctis Patribus Nicææ congregatis.* Sed quum Græci ſtatim audirent, vocem illam, *alteram*, intellectum non pati alium, quam *diverſam*; ad *Chalcedonenſem* Synodum confugerunt, ubi [b] dum Patribus enixe a confeſſu Catholicorum ſupplicaretur, quo vellent Symboli *expoſitionem* facere quandam, addereq. *novam claritatem*; eorum hæc una omnium vox fuit: *Regula vult ALIAM EXPOSITIONEM non fieri*. Cui VII. Synodum concordare, inquiebant: *Nos leges Patrum cuſtodimus: nos eos qui ADDUNT quid, vel adimunt, anathematizamus.* [c]

[a] Actione 6. part. 1. occaſione Chariſii Presb. Philadelphiæ, qui Neſtorianam quandam Fidei expoſitionē ad Epheſinos Patres detulerat.

[b] Actione 2.

[c] Poſt Fidei definitionem.

545 Quoniam autem & *Apoſtolico* Symbolo Nicæni Patres, & Nicæno CPolitani non paucas, explicationis ergo, addidere voces; atque ita non videbatur ſubſequentibus Conciliis œcumenicis addere novas alias inhibitum, nec inhibendum: hinc *Beſſario* Nicææ Antiſtes qui & mox Cardinalis, nonnulla in Florentina Synodo oppoſuit: Fas nimirum, vel ſemper, fuiſſe Patribus interpretari divinam fidem; modo id Scripturis aut Symbolo non infererent. Uſq. ad ſecundum Concilium œcumenicum licuiſſe nonnullarum vocum adjectione Symbolum explicare: ſed quum facultate hac in fidei jacturam plures abuterentur, ſancta mox Epheſina Synodo ſanctum eſt, nulli in poſterum (quicunque fuerit) id licere. Sibi etiam patrocinio futurum putans, attulit Cyrillum: is enim ad Acacium Melitenſem ſic habet: [d] *Synodus quæ Epheſi convenit, neceſſario PROVIDIT non oportere aliam fidei expoſitionem IN ECCLESIAS DEI INFERRI, præter eam, quæ jam extabat.* Ex quibus Cyrilli verbis duo hæc ille hauſit: per eam vocem *providit* id primo Epheſinum inhibuiſſe, ſicque ipſammet ipſam vocum *adjectionem* ſanam *catholicam*que; dum contraria dogmata exponere jam *ſemper* vetitum erat: per ea vero verba, *non inferri in Eccleſias Dei*; hoc ipſum *univerſo* Eccleſiæ corpori interdixiſſe.

[d] In epiſt. ad eundem.

546 Quam porro regulam venerationi ſemper Patribus fuiſſe, ait, dum ſpreta quavis in oppoſitum neceſſitate, ubi fidem contra

hære-

Digitized by Google

hæreticos explicarunt, Symbolum tamen ſervaverunt intactum. Hac ſane cauſſa expreſſam in illo non fecere divinam Virginis *maternitatem* ea in una voce *Theotocon*; aut Chriſti *hypoſtaſis* unitatem Epheſini Patres contra Neſtorium; nec naturæ in eo *duplicitatem* Chalcedonenſes contra Eutychetem; nec in eodem CPolitani voluntatum *dualitatem* adverſus Monothelitas; nec alia dogmata ſecutis temporibus alii Patres.

547 Verum aſpernanda omnino haud videbitur, dum momenta quædam perpendimus, *vulgaris* illa interpretatio Epheſinæ inhibitionis: videlicet per *alteram fidem* a Nicææ *conſtituta*, illic proſcriptam, intelligendam eſſe fidem *diverſam*. Non enim te heic latere patior, tuliſſe olim *Epheſinum* II. pſeudo-Concilium eandem fere ſententiam adverſus *Euſebium* [a] & *Flavianum*, [b] quam modo Græci in Latinos. Accuſaverat illos Eutyches, quod duas in Chriſto naturas, *præter* Nicænum Symbolum, profiterentur: & ubi *Prædatoriæ* illius Synodi Patres, *Dioſcoro* duce, id audivere; conclamarunt omnes: *oſtenderunt ſeſe ab omni ſacerdotali alienos Flavianus & Euſebius, qui adgreſſi ſunt ADDERE de ſancta Fide per Nicænam Synodum expoſita, & per celebratam Epheſi comprobata*. Sed quum hæc inde relegerentur in Concilio Chalcedonenſi (illo inquam, quod *aliam* Fidei expoſitionem fieri vetuit) diris omnes inceſſerunt *Dioſcorum* & ſententiam ejus his verbis: *Anathema Dioſcoro, qui MALE judicavit*. Ut proinde nil contra Epheſinam inhibitionem, ut hic ajebat, duo illi deliquerint. [c]

548 Verum quidem vero quum non tam facile explicando ſim, quæ ſuperius retuli ex Chalcedonenſi Concilio, juncto Cyrillo; facilius ac felicius mihi ſuadeo, rem hanc me totam ſatis compoſiturum, penitusque ſchiſmaticis obſtructurum os, ubi dixero: tametſi datam in Epheſino legem interpretationem tam arctam ſortiri probem, ne ulla vocum vel parvula adjectione explicentur contenta in Symbolo ſacra myſteria, quippe cui obſequendum ſit adinſtar canonicæ cujuſdam ſcripturæ; quinimmo (quod majus eſt) neque id liceat, admittam, univerſali Eccleſiæ cœtui (data hoc dicendi opportunitate a Chalcedonenſi, quod id ſibi vetuit) quis tamen adeo deſipiet, ut facile perſuadeatur, tam amplos ſibi expandiſſe limites Epheſinum, ut nullos expanderit? intendiſſe nullam prorſus faciendam Symbolo ab Eccleſia additionem, quacunque urgentiſſima cogente neceſſitate, quod non tam gravi ipſum coactum hoc vetuit? An non per quas res cauſſas naſcitur, per eaſdem etiam diſſolvitur? Dum igitur jure ſuo præfata Synodus ampliores Symboli explanationes vetuit adigente neceſſitudine; omnis alia quæ cum illa in jure eadem eſt, ſi œcumenica, inhibitionem relaxare poterit, ſi voluerit, ac neceſſitas coegerit. Nulla hæc forte fuit Chalcedonenſi laudato, quod non ſibi lice-

[a] Epiſcopum Dorylæi.
[b] Qui Martyrio coronatus eſt ann. 449.

[c] *Idem confirmat S. Greg. Nazianz. qui epiſt.* ad Cledonium *nil additum Nicæno Symb. ait per addit. quarundā vocū inibi factā per Concil. CP. in his verbis*: viſibilium omnium & inviſib. *&c. ut quæ tantū explicant, non augent.*

Digitized by Google

re, inquit, *novam* expoſitionem condere. Sane non tam facile a poſterioribus Conciliis derogandum eſt ante-actis, quæ immo religioſe ab illis cuſtodienda ſunt. Sed ubi urſerit momentum quodpiam, *ſæpe priora*, ait Auguſtinus, [a] *a poſterioribus emendantur*.

549 Porro aſtitiſſe Eccleſiæ grave motivum, quo præfatam particulam Symbolo insereret; argumento eſt ipſemet qui graſſabatur, Græcorum error: vindicandus nimirum *Filius* a quo quum ſpirandi virtutem abjudicarent; jam non omnia quæ Pater habet, & ipſum habere comminiſcebantur. Sed & quanquam fortaſſis aliis Conciliis addendi Symbolo novas voces, quas laudabat *Beſſario*, fuerit æqua neceſſitas; id tamen haud factum eſt, non quod Patribus nulla poteſtas, ſed quod nulla voluntas; ne quid amplius dicam. [b] Ratio igitur ac motivum jam dictum legitimum nequaquam fuit, cur Græci a Romanæ totiuſque Occidentalis Eccleſiæ communione deficerent. Juſte porro atque jure hac de re Florentinum decretum edidit; *particulam Filioque imminente tunc neceſſitate ac rationabiliter fuiſſe appoſitam*. Ut propterea futile omnino deprehendatur, quod ex Concilio CPolitano ſub Johanne VIII. venditant Græci; defenſum fuiſſe expreſſe, ne recenſita particula Symbolo adjungeretur. Ea enim Synodus nec legitima fuit, in qua, præſidente Photio, Legati Apoſtolici Eccleſiæ cauſſam prodiderunt; [c] nec in ipſa ad teſtimonium *Manuelis Calecæ*, [d] græcæ nationis hominis, de proceſſione Spiritus Sancti habita fuit ulla mentio.

a Lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3.

b *Sane vox illa*, Theotocos, *jam erat implicite in ipſo Symbolo in quo dicitur, quod Filius conſubſtantialis Patri natus ſit ex Virgine: ut animadvertit Andreas Rhodius in Flor. Concil.*

c *Ut qui mādata Apoſtolica violarunt, & octavam Synod. general. proſcribi Photius juſſit ex Caleca.*

d Lib. 4. contra Græcos.

De Divinis Verbo & Amore, dum hic ab eo non procederet.

550 Morem gerimus Florentino Concilio, quod Græcos oppugnaturum, quæſitum iſtud Theologis edendum commiſit. Nimirum comperto ſemel, nullam futuram inter divinas haſce Perſonas diſtinctionem, ſi *ad invicem* non eſſent; jam nihil tunc foret reliquum, quo græca obſtinatio frangeretur. Verum in extremam utranque partem Catholici ipſi quum abiecerint; jam quæſtio iſthæc, ut ita dicam, tantum prodeſt, quantum nocet, ſeu nulla ob eam inſtitutam Eccleſiæ oriri potuit utilitas.

551 Quo tamen aliquid de re hac, quum eam tibi propoſuerim, tu audias: oportet, alibi laudatum axioma Theologicum nunc revoces in mentem tuam. *Omnia*, audiviſti ſemel ac iterum, *in divinis ſunt unum, ubi non obſtat relationis oppoſitio*: id quod a Toletano XI. prius productum, [e] magno præſidio fuit Johanni cognomento Theologo, [f] & Beſſarioni. Dum igitur in dato caſu, hæ duæ illæ Perſonæ *ad invicem* non

e In definitione Fidei circa medium.

f *Ex inſigni Ordine Patrū Prędicatorum.*

non forent, jam nulla, niſi mentis, diſtinctione ſecernerentur, unumque in re eſſent. Profecto hoc ſibi vindicat infinitas maxima perfectionum, ut quæ uniri non pugnant, omnes ad unam perfectiones uniantur, & inſint in eo, in quo illa ineſt, perquam maximo ſubliſſimoque ſubjecto. Sed quid quæſo obſtaret tunc, quidve pugnaret, ne perfectiſſimus Spiritus Sanctus ipſiſſimam *rationem Verbi* in ſe uno aſſumeret ſecum ad *identitatem*, cui ob neceſſariam infinitudinem perfectionis cuncta cetera quæ in Verbo ſunt, communicantur? Neq. etiam in præſens *HOC SOLO numerum inſinuarent*, ut ait Concilium, [a] *quod AD INVICEM ſunt*: ſi præter iſtuc aliunde inter eas Perſonas numerum peteres. Eam ob rem locutum *ad hominem* contra Græcos, ſeu Græcorum verba uſurpaſſe autumavit Divus Thomas [b] Anſelmum, ubi *de proceſſione Spiritus S.*, [c] relato, quod Verbum *naſcatur*, Amor *procedat*, ſubjungit: *Si per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus S. PER HOC eſſent diverſi.*

[a] Florentini laud. ſeſs. 18. & in Toletano XI.

[b] q. 10. de Potentia art. 5. ad 2. ſic: *Verba illa Anſelmi inducta eſſe magis ut diſputativa ſuppoſitio, quam ut veritatis definitio.*

[c] Cap. 1. Sed inferius ſe explicat cap. 3. *Quũ apparuerit, quia Spiritus S. eſt de Filio; tunc palam erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius.*

552 Quanquam autem ea in hypotheſi in unam hi duo coaleſcerent perſonam Filius, ſeu Verbum (neque enim tunc Filius foret, eo quod non eſſet *vivens* notionale *a vivente* notionali; ut inferius) & ipſe Spiritus Sanctus, eademque indiviſa proceſſione ab *intellectu* ſimul & *voluntate* profluerent; adhuc tamen ſine ulla differentia diſcretionis nonniſi ab intellectu *Verbum*, a voluntate *Amor* proficiſcerentur: non ſecus ac duo præfata illa principia & ſi in re unum ſint; *ſola* tamen voluntas ſpirat, *ſolus*que generat intellectus. Quo fit, ut quemadmodum una prorſus ſimpliciſſima *entitas*, qua eſt intellectus, generat, non ſpirat; qua voluntas, ſpirat, non generat; ita una tunc perſona ſimplex omnino, qua Verbum, ab intellectu dimanet, non ſpiretur a voluntate; qua vero Amor, a voluntate ſpiretur, non dimanet ab intellectu. Amplam interim tibi inſiſtendi doctrinæ huic ſuppeditatam copiam noveris; dum ſi duo hæc voluntas & intellectus, quia invicem non referuntur, oppoſitionem *contradictionis* ſpirandi & non ſpirandi, gignendi & non gignendi, quin diſtinguantur, involvunt; quid inde obſtare poterit oppoſitio illa diſparata quam animadvertunt quamplures, [d] ſeu diverſus procedendi modus ab uno Patre, quo minus Verbum & Amor in unam perſonam deveniant, ſi ad invicem non ſunt?

[d] *Joh. Duns Scoti diſcipuli.*

553 Fortene tantum juris, ut hoc tibi ſuadeas, admiſſa hypotheſis largietur, quippe quæ poſſe duo in divinis ſecerni, quin referantur, præ-exigere videtur una & involuere? Putares Filium, ſatis video, a Paterna *ſpirativa* virtute quæ ad eum *relative* non eſſet (gigneretur enim æque ac modo; non ſpiraretur) nihilominus ſecretum iri illo tunc. Sed nonne tu rectius judicares, fore ut ad Filium quodammodo referretur tunc ſpirandi hæc virtus, quo modo nunc gignendi illa ad Spiritum S.; tametſi neque nunc ipſe per eam, nec tunc per illam

Filius procederet? Deprehendes planiorem & aptiorem in ſequentibus rem iſtam; ſufficere nempe, quod aliquid in Patre paternitatem *inſerat*, ad hoc ut reddatur Filio incommunicabile; aut in Spiratore *ſpirativitatem*, ut alienum evadat a Spiritu Sancto: quod ſane infert aliud; ſi hoc refertur, & illud etiam quodammodo: cauſſa enim cauſſæ, cauſſa eſt & cauſſati. Hac ratione quum *Paternitas*, quum *Filiatio* ſpirandi activitatem *inſerant*, ambo tertiæ Perſonæ non inſunt. Quid inde clarius, ut *inferente*, illa in hypotheſi, ſpiratione activa paternitatem (valeret enim a Spiratore ad Patrem conſequentia, [a] non ſecus ac modo a Patre vel Filio ad Spiratorem) quodammodo tunc referretur Spirator ad Filium, obque unice id diſtinguerentur; nullumque eis qui nobis adverſari velint, ſperandum ſit ex ea hypotheſi ſuppetiarum genus.

[a] *Quæ in logicis inſtitutionibus appellatur* ex ſuppoſitione: *ſuppoſito nēpe, quod ſolus Pater ſit Spirator; recta eſt conſequentia: eſt Spirator, ergo eſt Pater.*

De Phyſica quidditate uniuſcujuſque Perſonæ.

553 HEic jam videtur campus utcunq. latior aperiri: & quem ſumma pax ſupra unum ſeculum tenuit, nunc bellum occupat. Reſtitui quippe jubetur Theologiæ huic noſtræ legitimum Patrum ſyſtema de *TRINITATE*, quod nunc denuo Theologorum animis dominetur, expulſo eo, quod præſcriptione ſolum, adſertumque etiam (non inficior) Veteribus illis, in ſcholis jam invectum eſt. Ducit agmen, ſeu ſolus ipſe agmen eſt, *manuſque ejus contra omnes*, qui ex ſelectiſſimis & urgentiſſimis Patrum ſententiis *Theologicum ænigma* ſuum, veluti armamentarium, inſtruxit laudatus alibi *Cardinalis CIENFUEGOS*. Verum bellum hoc mallem pacem vocari, dum enodentur cogit, atque ab imis radicibus avulſa areſcant pleraq. diſſidia, dubiaq. aſperrima, quæ Theologiam reddunt undiq. ſenticoſam. Nimirum plura pax illa prior, ſeu pacificus juniorum conſenſus, bella, & hæc aſpera, ingeſſit, aſſumſitq. ſibi impugnandas, quæ nullæ ſecus futuræ eſſent difficultates; umbras reapſe inſequendo, quæ tamen & ſolum in eorum ſyſtemate corpus accipiebant.

555 Porro quo ænigma illud ſecretiſſimum individuæ *Trinitatis* recenſiti Scholaſtici exponant, recurrunt uno fere agmine ad *entitates* pure *reſpectivas*; ſuperadditas *virtualiter*, aut ſolo animo, divinæ eſſentiæ omnibuſque ejus nominibus abſolutis; quarum una ſit ita propria Perſonæ producentis, ut eam nullo pacto per *identitatem immediatam* in producta invenire ſit; ac vice verſa, nec illa quæ in producta eſt, quæque non foret, ſi productio divina abeſſet, in producente reperiatur, niſi duntaxat *mediate* ſeu per *identitatem* cum natura utrique una, & per ſolam *circuminſeſſionem*. Harum *entitatum*

adcre-

adcreſcentium aliquo modo abſolutis omnibus, proindeque mere *reſpectivarum*, originem trahit laudatus *Cienfuegos* [a] a tempore *Gilberti* Porretani, & *Præpoſitivi* hæreticorum, [b] quum hujuſmodi *adcretionis* mentio retroactis temporibus nulla reperiatur. Quanquam enim veras Perſonarum proprietates omni ſemper ætate Patres agnoverint; nullibi *ſuperadditas* abſolutis dixere. Sed quum exorti in *Gilbertum* Scholaſtici diſtinctionem phyſicam earundem ab eſſentia, profligaverint; facile fuit, ut infecto ſenſim loquendi & opinandi modo, de illis ceu aliquatenus ſuperadditis agere cœperint; impuleritque aſſumtum opus perficere, quod in extremum *Præpoſitivus* errorem prolapſus ſit, *nullam* volens in Perſonis adeſſe conſtituentem *proprietatem*.

a Diſp. 3. ſect. 1. §. 1.

b Ad annum ille 1146; hic autem non longe poſtea.

556 Ab impugnando *vulgari* iſthoc ſyſtemate calamum nunc prohibeo, quum id ipſum impetant, quæ mox tradendam fulciunt ſententiam, eamq. propius ſequuntur; nam primo ac directe hujus ſunt. Propterea ne tibi recoctam crambem apponam tunc, eodem te primum remitto. Illud autem pro veritatis amore ſilere non debeo, ſemper mihi viſam fuiſſe ambagibus refertam vulgarem opinionem, ita ut eam putaverim ad intelligentiam myſterii minus conducentem, obſcuritati obſcuritatem addentem. Propterea quum adoleſcens adhuc, & candidatus auſcultarem, myſteriumque illud ipſo mecum animo evolverem; affulſiſſe mihi lumen quoddam exiſtimavi; ſed adeo ſuboſcurum, ut & timerem, ne lumen quod in me erat, tenebræ eſſent.

557 Formaturo ſiquidem mihi, ætate illa, vaſtiſſimi ineffabiliſque hujus ſacramenti ideam quandam, ut poteram, ipſa primo excelſa ſumma *natura* occurrit, ipſe quoad *abſoluta* Deus, ipſum Numen, Summum ſane aliquod Eſſentiæ pelagus dixiſſes obviam mihi factum, ex omni æternitate ſemper exiſtens, pleniſſimum, perfectiſſimum, atq. antiquiſſimum omnium, *prioritatis* eminentiam, quoad videlicet ſolam perfectionem, ad ſua velut habens; ac propterea *in priori* quodam & quodammodo ad ſingulas omnes ac totas tres divinas Perſonas, ut inde in eo nullus Pater, Filius nullus nulluſque Spiritus Sanctus tunc menti meæ præluceret. Quum autem pleniſſimum illud *Ens*, qui & *Deus*, quique ipſiſſus omnium omnino perfectionum cumulus, *intellectu* & *voluntate* haud carere neceſſum eſſet; ſe ſtatim primo, ſeu ab æternitate ipſa, & neceſſario novit ſpectabiliſſimum nobiliſſimumque objectum; habituſque eſt, illo tunc, & *Deus cognoſcens* & *Deus cognitus*.

558 Clarum mihi exinde putaveram in *divino* illo *Ente* abſque ulla prorſus individuæ illius ſubſtantiæ *diſciſſione* jam *Patrem* & *Filium*, diſtinctos ſane inter ſeſe, quos recognoſcerem ac venerarer, inductos eſſe. Nimirum *Ens* illud ſe primo *intelligens*, uti *Patrem* vo-

candum

candum rebar, [a] ita & illud met ipſum, ceu primo *intellectum*, nonniſi *Filium* nuncupabam. Quod quidem divinum *eſſe*, uti idem in cognoſcente erat, atque etiam in cognito (ſe nempe illud *Ens* noverat, non aliud a ſe) ita in Patre eſſentia *una* & prorſus *eadem*, quæ & in Filio. *Omnia* quoque, hac in hypoteſi, *quæ habet Pater*, & Filius haberet; [b] quia id ipſum quo Pater intelligit evaditque *intelligens*, eſt id quo Filius intelligitur atque *intellectus* evadit: quodque juxta diverſum reſpectum conſtitueret Patrem & Filium, ſimul eſſet in ambobus & amborum. Nempe *eadem* omnino *entitas* quæ in Principio eſt actio, in Termino eſt paſſio. [c] Diſcrepabant tamen inſuper *relationis* vi unica *cognoſcentis* & *cogniti*, quæ ob Intellectus divini *fœcunditatem* reſultaret, & proceſſionem in divinis induceret. Porro paritatem humanæ mentis quæ ſe cognoſcendo, diſtinctionem a ſe cognita non inducit, minus urgere putabam; ratione illa, ob quam creata mens, diſtinctum ab intelligente, intellectionis *terminum* non effundit, quem tamen effundere divinam, vulgaris ſententia eſt juniorum Theologorum.

559 Facili inde negotio *Spiritum Sanctum* intelligebam, atque a duobus procedentem. Siquidem *perfectiſſimum* illud *Ens* quum *prius* ſe noviſſet (eo momento quo cognitio *volitionem* ex phyſicis *præcedit* [d]) atque iccirco habitus ſit Deus cognoſcens, Deuſque cognitus, idem profecto Deus, qui Pater & Filius; ambo inde iſti *volunt* (ambobus enim eſſentia una & una voluntas) ſeu *Ens* illud *voluntate* præditum ſemet ipſum *amavit* ac neceſſario & ex æterno; habituſq. eſt *Deus Amans*, qui & *Spirator*; ac *Deus amatus*, qui & *Spiritus*: eandemque Spirator & Spiritus (non ſecus ac Pater & Filius) naturam, ſubſtantiam & eſſentiam habentes, pariterque *relationem* quandam mutuam *amati* & *amantis*, qua diſcreparent.

560 Faciliorem inde mihi pandebam viam, ut Eſſentiam illam quantumvis ſummam, ubi a *perſonalitatibus* modo quodam præſcinderet, *hypoſtaſi* ſeu *ſubſiſtentia* nulla; ubi vero ad eas contraheretur, *tribus* hypoſtaſibus & ſubſiſtentiis præpollentem conciperem. Enimvero quum *ſubſiſtentiæ* vocabulo nonniſi *ultimum ſubſtantiæ complementum* intelligamus; [e] jam *operationes paſſiones*que divinæ *ad intra* (ſeu in præſens, *cognoſci* & *cognoſcere*, *amari* & *amare*) quæ, ad creatarum differentiam *accidentibus* accenſitarum, ſubſtantiam æternam ſpectant; *ultimum* hujus ſunt *complementum*, ac inde hypoſtaſes: perficitur ſuo nanque actu potentia & virtus, atque ubi *ſubſtantialis* eſt actus; *ſubſtantialiter*. Palam propterea fiebat, ut quoties ſine operationibus, toties ſine ultimo complemento & hypoſtaſi natura divina conciperetur: & ubi cum illis, cum eo etiam reluceret. Hinc tandem inconfeſſo videbatur mihi eſſe, ut ſicuti operationes divinę, ſeu *cognoſcere* & *amare*, una eſt in re operatio, quanquam virtute duplex, duæ vero paſſio-

[a] *Quia imaginem viviſſimam ſuá produxerat.*

[b] Juxta illud: *Omnia quę habet Pater, mea ſunt. Joh. cap. 16. verſ. 15.*

[c] *Juxta receptam in Philoſophia doctrinam.*

[d] Juxta illud: *Nil volitum, quin pręcognitum.*

[e] *Poſt Boëtiũ omnes in Philoſ. hoc modo* ſubſiſtentiam *definiunt*: naturæ rationalis ſubſtantia individua.

paſſiones *cognoſci* & *amari*; ita tres ſolummodo in Deo *ſubſiſtentiæ*, treſque hypoſtaſes, Perſonæque tres: & ſacramentum adeo *Unitatis* & *Trinitatis* exhibitum.

561 Hæc vero quum jam concepiſſem; timebat quodammodo, non inficior, meus tunc animus dicendi opinandiq. *novitatem*. Cogitavi tamen deinceps, quod huic cogitationi novitas non oberit, ſi ratio ſubſit: ſubeſſe autem, ex eo perſuadebar, quod ſi Patres attente recenſerentur (hoc quod mihi tunc proſequi otium non permiſit) nonneminem fore menti meæ patrocinio putarem (de perlectis enim quibuſdam eorum ſententiis recordabar) ſicque *in dicendo* ſolum tota illa novitas deprehenderetur. Eo igitur timore excuſſo, alius ſe ſubintruſit: videbatur mihi ob eam cogitationem jam inde invectum, *abſolutum* aliquod (ſeu naturam ipſam divinam) aliud abſolutum naturamque eandem producere: qui enim, ea in hypotheſi, cognoſcit, & qui cognoſcitur, natura ſunt. Patres id ut plurimum vetuiſſe noveram, exploratumque fuiſſe per Lateranenſe IV.[a] quod *illa res*, ſeu natura, *non eſt generans*, *neque genita*, *nec procedens*. Sed jam deprehendo ob auream Auguſtini ſententiam (quam ſibi æque accommodam inferius adducit Card. *Cienfuegos*[b]) illis Patres locutionibus inſinuare nobis, hoc ipſo quod in divinis dantur *proceſſiones*, dari & *relationes*; ac proinde *abſolutum* quod gignit, aut gignitur, evadere *relativum*; nunquam ſane generaturum, & generandum, ſi abſolutum remaneret. Hæc autem omnia quæ adoleſcens excogitaveram, cum adoleſcentia crederes præteriiſſe.

[a] In Cap. *Damnamus*.

[b] Ut infra num. 571.

De Syſtemate Cardinalis CIENFUEGOS.

562 MEmini me dicere quum *de libertate divina*, atque iterum alibi, dignum hunc Cardinalem, literis æque ac dignitate Eminentiſſimum, in ſuo profundo *Theologico Ænigmate*, hanc quam ex Patribus & Conciliis in quibus latebat, planiſſime hauſit, ſuam noviter de *Trinitate* ediddiſſe ſententiam. Autumaſſe nimirum divinarum perfectionum aliquas exigere neceſſario vi ſuæ met *formaliter* entitatis ſeu *quidditatis* poſitivæ, ut ſecluſa quacunque poſitiva additione, omnique alia id genus *formalitate* ſuperaddita *virtualiter*, aut mentis operatione, duplici *eſſendi* modo præpolleant, *abſoluto* videlicet & *reſpectivo*. Voluiſſe iccirco *formalitates* illas quæ emanant per divinas proceſſiones, non habere *eſſe* unice per productionem & *ab alio*, ſed inſuper *a ſe* & *improductum* ſimul; ut propterea ſimpliciter, & actu exiſterent, tametſi nullæ per impoſſibile in Deo eſſent Proceſſiones ad intra. Illud autem ex eodem

Digitized by Google

eodem animadvertere in præſentia debeo, quod & quanquam dimanantes illæ *formalitates*, quem abſolutum habent *eſſendi* modum, hunc a ſe habeant; quem vero reſpectivum, per *realem* ſui proceſſionem ab alio comparent; *Formalitas* tamen generans, ſeu ſpirans, utrunque iſtum *eſſendi* modum habeat a ſe, ac ſimpliciter *improductum*, ea ratione, qua *Pater a nullo* dicitur: eſto & ſuum reſpectivum *eſſe* hic habeat vi activæ quoq; productionis; quum *eſſendi* modus relativus ad intra & oppoſitus nullo quidem pacto in divinis contingat, niſi productione aliqua intercedente. Nimirum omnis alia oppoſitio *realiter* diſtinguens a limitatione ortum ducit, ac eatenus a divinitate releganda eſt.

563 His ergo ita compoſitis; conſiderare te moneo æternum ſublimiſſimum Dei intellectum, & ut habentem, ex ſui *neceſſitate*, [a] modum *eſſendi* abſolutum (quo communis eſt omnibus per identitatem *immediatam*, adeoq. etiam *Filiationi*) & ut ſimul, ex ſui *fœcunditate*, [b] modum alterum relativum, penes quem ſit Paternitas oppoſita Filiationi, ac *realiter* ab ea diſtincta. *Mox* per eandem viam incedendo, intellectionem *actualem* & habentem *eſſe* a ſe ac abſolutum (ſicq. omnibus communem) & ſimul *eſſe* a Patre (per veram productionem) ac relativum, quo ab eo diſtinguatur, & ſit *Filiatio*. *Demum* divinam *volitionem*, quæ per ſuammet entitatem & *eſſe* a ſe ac abſolutum; & *eſſe* a Patre & Filio ac relativum habeat: ſitque proinde paſſiva *ſpiratio* ab his diſtincta. [c] Porro totum hocce negotium abſque *nova* entitate poſitiva quæ abſolutis adcreſcat, ſolaq. dictarum perfectionum ratione accidit. Quum enim intellectus & voluntas ratione ſuimet ſint principium; quumque intellectio & volitio ſint *formaliter* operationes; jam & illos producere, & has produci, ſicque utroſque *eſſendi* ſtatum relativum ex ſe ſibi eſſe comparando, ſuaſum eſt; & ſolummodo *carentiam identitatis* inter producens ac productum qua talia, ob novum illum *eſſendi* modum, de novo accedere.

564 Interim nullus dubito, quo tibi minus appareat veriſimilis duplex iſte in prædicatis divinis *eſſendi* modus; ac nonniſi ad præformandam ſententiam commentus. Sed nonne qui ex adverſo ſunt, hoc etiam æque aſſeverant, ubi fatentur, naturam ipſam *realiter* eandem cum *Filiatione* & eſſe a ſe, *improductam*que, ſecundum quod natura eſt; & eſſe a Patre ac productam, ſecundum quod eſt *Filiatio*? Nonne pariter penes multos illorum ipſa Paternitas & eſt *realiter-ſimpliciter* a ſe, & ſimul *realiter-virtualiter* fluens ab eſſentia? Nonne huc longe antea reſpexiſſe videtur Fulgentius aliique Patres infra citandi, dum abſolute ille protulit: [d] *Pater genuit id quod eſt?* ſeu illud ipſum quod ſibi comparat *eſſe* per generationem, jam etiam a ſe eſt. Ceterum ſemel poſito, in hoc ipſum Patrem conſiſtere *formaliter*, quod

ſit

a *Quatenus eſt* divina perfectio, *quæ neceſſario exigit eſſe*.

b *Quatenus eſt neceſſario* Principium operationis *vitalis ad intra*.

c *Hæc ſola* 4. *Dei prædicata*, Intellectus & Voluntas, Intellectio & Volitio, *duplicem iſtum eſſendi modum eſſentialiter exigunt* (*abſolutum nempe* ex neceſſitate *eſſendi*; *relativum*, ex fœcunditate: *ſolum*) *quia ſunt principia operationum ad intra, vel ipſæmet operationes, quarum unice capax eſt Deus, uti ſubſtantia ſumme intellectiva*.

d Libro de Fide ad Petrum.

ſit intellectus qua *productivus*; Filium, quod intellectio qua *genita*, quodque *volitio* procedens, Spiritum Sanctum; atque prædicata hæc alias abſoluta eſſe, & tribus communia; jam ſalvatum iri planiſſime pleniſſimeque Principium illud natura notum (quo ſane tota hæc doctiſſimi Autoris cogitatio collineat) ut *quæ ſunt eadem uni tertio, ſint & eadem inter ſe*; tibi ſatis oſtenſum feci; nec pluribus immoror; niſi quod tantum ſubjungam, hoc unum ſolum ſufficientiſſimo patrocinio fore huic ſententiæ, tametſi non una etiam haberet ſibi faventes Patres, Concilia & Scripturam ipſam, ut habet abundantiſſime.

565 Audires vellem Cyrillum, audires Athanaſium præcipue in decretis Nicænæ Synodi, alioſque etiam cum Græcos, tum Latinos Patres. Hi ſane, dum *æternam* & *increatam* Filii Dei generationem oſtenſuri, ex eo id petunt, quod ceteroquin fuiſſet tempus, quando Pater ſine vita, ſine ſapientia, ſine virtute fuiſſet; nonne ponunt ſub oculos, quod docemus, ac ſententiam iſtam indigitant; eſſe nimirum Filium intellectionem ipſam divinam *eſſentialem* (ut dimanantem quidem, prout exigit [a]) qua Deus ſapit, intelligit, ac vita intellectiva vivit? Secus equidem fallacem eſſe Patrum conſecutionem confeſtim Ariani ſubjeciſſent, ac fuiſſe Patrem omniſcium ſine Filio per ſapientiam *eſſentialem*, quæ in ſuo *formali* Filius non eſſet; æque ac juſtum, infinitum, æternum, per alia adtributa, quæ *formaliter* Filius non ſunt? *Si Chriſtus qui eſt SAPIENTIA & virtus Patris, a nihilo productus ſit, neceſſe erit confiteri, INSIPIENTEM aliquando & impotentem Patrem Deum fuiſſe, poſtea vero ſapientem & potentem factum, quando Filius a nihilo ad eſſe productus eſt*, ait Cyrillus: [b] & Athanaſius: [c] *Si Filius qui eſt SAPIENTIA, factus perhibetur, fuiſſet aliquando tempus, quo Deus erat infelix & miſer, quum virtute, SAPIENTIA ac ratione careret*.

566 Concilia item œcumenica huic ſententiæ fundamenta queis firmiſſima ex tunc redderetur, jeciſſe crederes. Quandoquidem in Lateranenſi IV. [d] *ſine ulla DIMINUTIONE Filius naſcendo SUBSTANTIAM Patris accepiſſe*, dicitur: nec dici poſſe, *quod partem ſubſtantiæ illi dederit, & partem RETINUERIT*. Quo clarum fit, nil eſſe poſitivum in Patre, quod Filio deſit; ac proinde neque huic ipſa Paternitas (*excepto* ſolum *quod non genuerit*, ut ait Auguſtinus) ſeu *entitas* ipſa *Paternitatis* quoad abſolutum deficiat. Sed nullum interea ſubterfugium in hac voce, *ſubſtantia*, ſubeſſe exiſtimanti alicui; excludendas eſſe per illam entitates relationis; profecto noſcet, qui vel primo Florentinum adierit: inibi [e] *qui negant Spiritum Sanctum procedere a Filio, neceſſario dividere SUBSTANTIAM Dei* dicuntur; tametſi nonniſi entitatem *ſpirationis* activæ, quæ utique relativa eſt, Filio non communicatam velint.

[a] *Quæ quidem eſſentialis exigentia ita eſt in 4. prædicatis, quæ ad lineam Intellectivam & Volitivā ſpectāt, ut ſit etiam in omnibus: nimirum quodvis prædicatū Dei quin immo ipſa deitas, ſeu totus Deus, ratione fœcūditatis exigit ſtatum relativū* illorum quatuor, & non aliorum; *quēadmodum* illa 4. exigunt (*eadē prorſus exigentia & virtute*) *ſtatum relativum* ſui & non aliorū: *ſicque ſalvatur principiū illud*: idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe.

[b] Lib. 12. Theſauri.

[c] Loco laud.

[d] Cap. *Damnamus*.

[e] Seſs. ultima.

567 Sed quid egemus teſtibus ? ipſa Veritas nos doceat ; quod & præſtat luculentiſſimis verbis, dum ait : [a] *OMNIA quæcunque habet Pater, MEA ſunt* ; ſtultitiæque arguit Philippum, qui quum Filium videret, in quo & ipſa Paternitatis entitas erat, Patrem exoptabat. *Tanto tempore* (id quemlibet Apoſtolorum inſtruens habuit [b]) *& non cognoviſtis me ! Philippe, qui videt ME, videt & PATREM meum: non creditis, quia ego IN PATRE, & Pater IN ME eſt* ? Profecto ex his verbis, ni quempiam amor partium tranſverſum agat, colliget unuſquiſque, quam plauſibiliter ſyſtema præſens amplectar, immo & quam recte. Enim vero ſi qua poſitiva *realitas* ita ſit Patris propria, ut nullo pacto cum Filio *identificetur* ; jam non quæcunque habet Pater, is quoque haberet, ſed quædam deeſſet ; jam qui cuperet intueri *propriam* Patris entitatem, hanc ob ſolam & præciſam Filii viſionem intueretur. Sed neque minus luculentia ſunt divinæ Sapientiæ verba queis habet, [c] *ex ore Altiſſimi PRODIISSE primogenitam ante omnem creaturam* ; nobis inde datur intelligi & eam quæ egreditur, incopte in fonte ſuo præextitiſſe ; ſicque ab eo dimanaſſe *nihil habentem ADVENTITIUM, vel quod PRODUCTIONE in eſſe venerit, quaſi prius quidem NON EXISTENS, poſtea autem adveniens*, ad rem inquiebat Magnus Chryſoſtomus: [d] cui & Hilarius concordat : [e] *Non qui non erat, natus eſt, ſed EX HIS, atque IN HIS quæ Dei erant, Deus natus exiſtit*. Quid quidem ad rem hanc noſtram deſiderabilius effari poterat, quidve favorabilius ?

[a] Joh. cap. 16. verſ. 15.

[b] Joh. cap. 14. verſ. 10.

[c] Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 5.

[d] In Sermone de Trinit. cōtr. Arianos.

[e] Lib. 6. de Trinit.

568 Rationes etiam naturales in hujus ſententiæ ſunt famulatu ; quas ubi omnes vellem percurrere, mihi certo invidiam conflarem, propoſitæque brevitatis cui hucuſque ſtudui, proditionem facerem, Unam & alteram ſeligam, non ſecus ac de Patribus & Scripturis, quos Autor numeroſos laudat, me egiſſe animadvertiſti. Ponam inde mentis tuæ tibi in conſpectu ineluctabile illud dogma Patrum ; non plus eſſe in *una* Perſona ſingillatim, quam in *tribus* collectim : quam porro veritatem prodigio olim firmatam adoravere, qui erutis e corde *Beatæ Claræ de Monteſalco* ternis lapillis, tantum *uni* eorum ineſſe ponderis, quantum *duobus* ac *tribus* mirati ſunt. At quomodo fiet iſtud, niſi quævis entitas vel *realitas poſitiva* adhuc relative oppoſita quæ in una eſt, ſit pariter per *immediatam identitatem* etiam in aliis ? niſi videlicet *formalitas* puta Paternitatis habeat *eſſendi* modum abſolutum, quo communis ſit omnibus (& vice verſa *Filiatio* & *ſpiratio* paſſiva) ultra relativum & proprium ? Subjiciam quoque, ſi audire lubet, ulteriori animadverſioni mox demandandum, tritiſſimum Philoſophorum adagium : nihil ſeu cauſſam ſeu principium dare termino quidpiam quod in ſe prius non habeat : [f] quei ergo Pater entitatulam eam relativam *Filiationis* in ſe non habens, produxit unquam,

[f] *Multo magis quod Verbũ quũ generetur, exigit, ut Principium ſuum ſibi conjunctum ſit (uti infra, in de ingenerabilitate Sp. S.) ſicq. ut aliquid ſubſtantiæ Patris* vi generationis *in ipſo Verbo ſit.*

ge-

genuit, derivavit? Quei uterque Pater & Filius illam etiam æterni Amoris ſpiravere, non poſſidentes? Interim quæ alibi diximus, quum de *libertate divina*: vocari nimirum Filium a Patribus *Sapientiam* ipſam *genitam*, & Spiritum Sanctum *Amorem procedentem*, quibus Pater eſt ſapiens, [a] & una cum Filio amat; te quæſo non fugiant: quemadmodum & pauca quædam non contemnenda, eo in loco ad hanc rem ipſam perpenſa.

a Sed interim videndus eſt Auguſtinus, lib. 1. retractationum cap. 26.

569 Videbuntur nihilo ſecius datæ huic ſententiæ obeſſe Auguſtinus, Dionyſius, ac ſecum ipſis alii Patres quamplurimi: quippe eorum ille [b] Filium habere dicit *a Patre*, non ſolum quod *Filius ſit, ſed omnino ut ſit*: atque alter [c] de proprietatibus Perſonarum diſputans, ait: *Nulla in his reciprocatio inducitur, aut communitas*. Sed nihil profecto ex iis, quod te moveat: dum & Dionyſius Perſonarum proprietates, prout ſunt *formaliter* Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva, nullam inter ſe *identitatis* reciprocationem habere ait; *ut non ſit* (apertiorem inde ſe exhibet) *Pater Filius, & Filius Pater*: & Auguſtinus, nedum Patrem produxiſſe Filiationem, & ita Filium, monet, ſed & inſuper, quæcunque ſunt divina *omnia* eidem (*excepto quod non genuerit*) communicaſſe. Nec difficile captu eſt, communicare Patrem divinæ ſuæ Intellectioni, ut productæ, quas poſſidebat jam illa in ſtatu *eſſendi* abſoluto, perfectiones reliquas totius naturæ. Nonne vere alicui communicatur dominium rei cujuſdam, ob novum, ſe ſolo ſufficiens ad dominium ejus transferendum, jus acquiſitum, quanquam rem alio titulo & jure prius obtineret? Quæ igitur antea bona omnia Patris, ejuſdemmet intellectio, jure abſoluti prædicati, ſibi copulabatur; mox producta & Filius evadens, jure hæreditatis eadem communicata ſibi repoſcit.

b Lib. 5. de Trinit. cap. 14.

c De divinis Nominib. cap. 2.

570 Quoniam autem ob æternæ generationis jus, non ſolum Filius totam Patris ſubſtantiam communicatam habet, ſed ſibi factam inſuper rationem alius ab eo Perſonæ, conceptuſque inſimul *ſubſiſtentiæ* incommunicabilis; jam vanum eſt, quod timeas refragaturam ſententiæ poſitæ ſextam Synodum Generalem. Hæc ſiquidem unum Verbum aſſumſiſſe carnem humanam, ut ſcio, definiit, [d] *nihilque Patrem & Spiritum Sanctum in Incarnatione habuiſſe commune, niſi benigniſſimam voluntatem*: nobis tamen qui æternam Intellectionem (alias communem) *incarnatam* fatemur, minime obeſt. Quum enim divina *unio hypoſtatica* per ſe primo in Verbo reſpexerit perſonalitatem, ſeu rationem Filiationis, qua talem, altiori modo abſentiam creatæ hypoſtaſis ſupplentem ac reparantem; jam ad Intellectionem quatenus productam (quod ita tantum Perſona eſt) terminatur; jamque id quod Patri & Spiritui Sancto neutiquam commune erit, naturæ noſtræ *unio* illa mirabiliſſima mirabiliter nectit ac vincit.

d Actione 8.

571 Supereſt, ut quo terrore olim perterritus, a quadam laudata alibi, [a] cogitatione receſſi, eo nunc (quod præſentem etiam perſtringere videtur) omni ſtudio me eximam. Ut enim putabam tunc, ſic etiamnum aliqui putant, inductum nempe in divinis, *abſolutum* aliquod, ſeu naturam divinam ipſam, aliud *abſolutum* eandemque naturam producere, quod tam Intellectus & Voluntas, quam Intellectio & *volitio* quæ Perſonas heic in ſuo formali conſtituunt, ad naturam divinam ſpectent: ſicque Patribus & Conciliis oppoſitum dogma ſtatuentibus jam minus religioſe obſequium ſubtractum eſſe. Verum ſupra monuimus, non aliud ſibi Patres comparare illis locutionibus, quam hoc ipſo quod in divinis dentur proceſſiones, dari & *relationes*: ac propterea divinorum prædicatorum nullum gignere aut gigni poſſe, quin evadat infimul *relativum*. Eam ob rem abſoluta nulla perfectio, in cogitatione hac ſubtiliſſima, producitur vel producit; quia vi productionis jam relativum induit ſtatum, atque *eſſentia* amplius ipſa non dicitur, ſed *relatio*. Hanc te ſane doctrinam, ceu valde ſolidam, ambobus lacertis amplecti jubet Auguſtinus, cujus tota eſt. Is enim diſputans: ſit ne Pater dicendus Pater Eſſentiæ ſuæ, quum ſit Pater ſuæ Sapientiæ, & Sapientia aliunde ſit *formaliter* ipſa Eſſentia divina: adfirmandum putat, quod eſſentia, ut *genita*, jam eo ipſo ſit *relative* ad Patrem, & ut relative dicta, jam non ſit *formaliter* amplius Eſſentia. Sic inde habet; [b] *Reſtat, ut ESSENTIA Filius relative dicatur ad Patrem, ex quo conficitur inopinatiſſimus ſenſus, ut jam eſſentia NON SIT Eſſentia*. & mox concludit: *Si Eſſentia ipſa RELATIVE dicatur, eſſentia ipſa NON EST eſſentia*. Profecto habuiſſe diceres, ex tunc perſpectam hanc litem Auguſtinum, qui ita apte eam dirimit.

[a] Ut n. 561.

[b] Lib. 7. de Trinit. cap. 1.

572 Quum igitur hæc ita ſint; jam extorres mittendæ veniunt Scholaſticorum plures quæſtiones, queis Theologiam ſacram infartam reddunt: num videlicet videri queat Perſona una abſque altera? ſintne Intellectus principium *quo* generationis, & voluntas ſpirationis? ſint in Deo admittendæ tres exiſtentiæ relativæ? ſit incluſa eſſentia *formaliter* in relationibus, & vice verſa? ex quorumnam Verbum & Spiritus Sanctus (qui modo ipſus *Amor* & ipſa *Cognitio* ſunt) objectorum cognitione & amore procedant? Et aliæ multæ quas heic referre non præſtat; & numeratas legere poteris apud eundem ingenioſiſſimæ cogitationis Autorem, penes etiam quem & objectiones alias minus præcipuas; quas quum tuæ non æſtimem impares promtitudini, ut ex improviſo adductas diſſolvas; in cauſſa eſt, ut omittam.

De

Digitized by Google

De Divinis Hypoſtaſibus & Relationibus.

573 QUod uſurpatum olim ad *naturam* ſignificandam nomen iſtud *hypoſtaſis* occaſioni fuit Sardicenſi Concilio, ut non amplius in divinis, quam *unam* faterentur, auguſtiſſimis tribus communem: *Hanc habemus fidem*, ſiquidem ajunt, [a] *UNAM eſſe HYPOSTASIM Patris & Filii & Spiritus Sancti; & ſi quæratur, quæ ſit Filii hypoſtaſis, profitemur eam eſſe, quam & Patris ſolam eſſe, inconfeſſo eſt*: id ipſum, quod ſecutis inde temporibus *ſubſiſtentiam* denotare conſuevit; ut *multiplex* recognoſceretur in divinis, obtinuit. Juxta hoc definitionem edidit CPolitanum III., [b] *Trinitatem* nempe *cum Unitate adorandam eſſe: Trinitatem pro TRIBUS ſubſiſtentiis, unitatem propter ſingularitatem Deitatis*. Quæ porro verba excludendis duobus Scholaſticorum placitis propemodum aptiſſima comprehendes: ſunt enim plures, [c] qui nonniſi hypoſtaſim in Deo velint *unam*, qua relationes inde redditæ ſubſiſtentes, [d] Perſonas dividunt ac multiplicant; alii vero, [e] veteribus prorſus incognitam, *quartam* etiam ſtatuunt, ut & Perſonæ propriam quævis ſuam *relativam*, & natura *abſolutam* habeant. Profecto ſi una tres relationes hypoſtaſi ſubſiſterent; tres, non jam ſubſiſtentias, ſed ſubſiſtentes [f] in Deo reperiri edocti fuiſſemus; & ſi abſoluta quarta quadam natura Dei etiam ſubſiſteret, jam Myſterium non ſatis apte exhibuiſſet Concilium, ternarium numerum a ſubſiſtentiis *ſimpliciter* prolatis petens, niſi & has *relativas* inſimul expreſſiſſet. Scio hac in re pro ſecundo hocce placito laudari ſolitam certam Agathonis Papæ *decretalem*, quæ ſic circumfertur: *Confitemur unum Deum non trium nominum ſubſtantiam, ſed trium ſubſiſtentiarum SUBSISTENTIAM*: quaſi quod ultra relativas tres ſubſiſtentias, & alteram abſolutam inibi fateatur. Verum difficultatem non ingerit mens Pontificis; ſed id unice librariorum oſcitantiæ, & amanuenſium vertendum eſt vitio: qui tamen ubi erraſſe deprehenſi ſunt; in codicibus novæ editionis emendationem recepere: in eis, memoratorum loco, ſic legitur: *Sed trium Perſonarum ſubſiſtentiam*: ſeu ſubſtantiam tribus ſubſiſtentiis *perſonalibus* terminatam.

574 Nihil interim, quod te moveat: ſeu naturam divinam conſideres, ut in ſe perfectiſſimam (quaſi iccirco cum perfectione ſuæ ſubſiſtentiæ) ſive ut alii a ſe diſtincto *incommunicabilem* (ſicque cum ſubſiſtentiæ præcipua proprietate ac natura) utroque quidem in caſu a relationibus per tuas ideas, ſi tantum potes, præciſam. Omnem enim, haud inficior, infinitudinem perfectionis habet, etiamnum ita perpenſa,

[a] In epiſt. 3. Synodica.

[b] Actione 11.

[c] Cum Joh. Scoto.

[d] *Verum quũ una perſona ſit alteri incõmunicabilis, jã illa aliam ab hac ſubſiſtentiã habeat neceſſum eſt: ceterum quum tres perſonæ ratione unius deitatis ſint unus Deus, ita unũ ſubſiſtens ratione unius ſubſiſtentiæ.*

[e] Cum Durando, Cajetano & aliis.

[f] *Quantũvis concreta in divinis non multiplicentur, niſi multiplicentur abſtracta: ſic quia deitas non eſt multiplex, neque multiplex eſt Deus.*

Digitized by Google

ſa, natura Dei; ſed quæ naturam decet, non quæ ſuppoſitum. Subſiſtentia autem quum ad lineam ſuppoſiti ſpectet, non naturæ; nil obſtat, quin hæc in ſuo ordine perfectiſſima ſit, tametſi ab illa præſcindat. Et quum omnem omnino in genere naturæ perfectionem excurrat, jam quantuluncunque a Perſonis inde mente tua ſecernatur, *incommunicabilis* cuique diſtincto a ſe, eſt: omne enim quod divinum non eſt, nonniſi ſuppoſitum finitum eſt, longe inde ineptiſſimum, ut infinitam naturam Dei hypoſtatice compleat & perficiat. Id quoque ipſum ob eandem rationem retineret adhuc divina eſſentia, etiamſi ab affiꝗa illa abſoluta hypoſtaſi per animum tuum ſecerneretur. [a]

575 Sed quum relatæ hypoſtaſes tres (quæ quid phyſice ſint, & cur ita dicendæ, ſuperius, [b] ex quadam olim habita cogitatione, expoſuimus) inter ſeſe invicem non communicent; referantur mutuo, neceſſum eſt. Neque enim alii tantum juris tributum novimus, ut divinæ unius Perſonæ prædicata alteri inhibeat, ne aſſumat in identitatem, quam ſoli utrius *relationi*: quocirca ſi nulla hæc in divinis; nullus jam inibi Perſonarum numerus, nullus qui Pater, qui Filius, & nullus qui Spiritus S. Porro relationes hujuſmodi, quod vi proceſſionum extant; *originis* dicuntur: eamque ob rem *quatuor* numerantur quam communiſſime. Neque quidem Paternitate ac Filiatione hi duo, Pater & Filius, Spiritum Sanctum derivant, ſed *Spiratione*, ut ajunt, activa; neque Spiritus Sanctus Patrem novit, ſed *Spiratorem*. Hinc ultra Paternitatem, Filiationem & Spirabilitatem, extat & *Spirativitas* ſeu activa *Spiratio*, quæ tribus illis adjecta quartam integrat relationem.

576 Sed *quartam* ex eo perſonam non timeas: hujuſmodi quippe Spirativitas a Paternitate Filiationeque nonniſi mente ſecernitur, cum quibus in re unum eſt. Nulla igitur Patribus Conciliiſque aſtruendi illam fuit ratio, ſeu proprio vocabulo nominandi: ne nimirum ex expreſſa ejuſdem mentione aliquid reapſe plus quam Pater & Filius, aut non ſatis alibi dictum, crederetur; ubi nulla habita ad Spiratoris nomen ratione, a Patre & Filio proceſſiſſe, docent, Spiritum Sanctum. Ceterum tametſi hic ab illis non profluat per Paternitatem & Filiationem, hæ tamen minime ei communicantur: non quia ipſæ cum Spirativitate unum ſunt (plane ob id nec naturam ipſam, ut quæ cum illis eadem, Divinus Spiritus ſortiretur) ſed quia hanc ambo inferunt; valeatque a Patre Filiove illatio ad Spiratorem. [c] Ut proinde nihil obſtiterit, aut obſtet, quo Spiratoris a Patribus neglecto vocabulo, duntaxat a Patre Filioque dicatur amborum Amor procedens.

577 Quanquam autem præfatis tribus prioribus relationibus perſonæ divinæ invicem diſtinguantur, ſeu niſi referrentur, mutuo communicarent, nulluſq. foret perſonarum numerus; earum nihilominus for-

[a] *Conciliat tamē Card.* Cienfuegos *has, quę videtur pugnare, de ſubſiſtētiis ſententias, ſeu diſcordiam earundē ſyſtemate ſuo tollit; quum ſubſiſtētiæ illæ relativæ ſint etiam in Deo ſecundū eſſendi modum abſolutum: ſic tom.* 2. *diſp.* 9. *ſect.* 2. §. 5. *nu.* 40.

[b] Ut nu. 560.

[c] Ut nu. 553.

formale eſſe non relatio eſt, ſed hypoſtaſis; quatenus tamen per illam veluti ſeſe habentem, *ut quo*, ſic perſonas conſtituit, ut una aliam a conſortio identitatis excludat. Impellit in id me quidem præcitata CPolitana Synodus a tribus *ſubſiſtentiis* repetens ternarium numerum perſonarum. Neque tamen per abſolutum quidpiam, qua tale, auguſtiſſimas eas, conſtituo; dum hoc exinde jam foret unicuique communicatum, & Trinitas prorſus ſublata: ſed per quoddam relativum *eſſentialiter* (puta Intellectus divini operationem, quæ ad intellectionem, ut productam, neceſſario refertur, & Patrem conſtituit) quales ſunt hypoſtaſes illæ; tametſi non formaliter per relationem conſtituant, quam dicunt.

De Miſſione & Circuminſeſſione Perſonarum.

578 SÆpe audiere plures, non dubito, miſſam ad nos eſſe Perſonam a Perſona: miſſum nimirum a Patre Filium ſuum in mundum; miſſumque ab eodem in eundem in nomine Filii Spiritum Sanctum; ſed an ſemel recte, ſeu rectius, quid ſibi velit ejuſmodi *miſſio* quivis intellexerit, non certo ſcio: & ſane quamvis hæc ita conſtet, ſeu nos eam admittere ita cogat ſcripturarum fides, ut cuique firmiter tenenda ſit; eget nihilominus explicatione accuratiori, quoad modum quo Perſonæ, ubique immenſæ, mitti tamen dicuntur. Ut igitur doctrina Patrum rem funditus edocearis, non alium tibi de divinis miſſionibus facias intellectum, quam quod ſint Proceſſiones *ad intra*; connotata exterius ſpeciali perſonæ miſſæ operatione in aliquo termino: ſeu (ducta etiam analogia quadam a miſſionibus creatis) miſſio hæc eſt perſonæ miſſæ exitus a mittente, velut a termino *a quo*, exeuntis non per imperium, nec minus per conſilium & ſuaſionem, ſed per *originem* productionis: terminus vero miſſionis hujus non eſt ſecundum loci novam acquiſitionem, ſed ſecundum novum titulum exiſtendi *ſpecialiter* in dicto termino *ad quem*. Atque hæc eſt ratio, quod nunquam legeris miſſum Patrem, ſed *venientem* ſolum, quippe qui a nullo procedit.

579 At quei fiet, ut exterarum operationum quæ omnes Triſubſiſtenti Deo ſunt communes, aliquæ tamen ob hanc miſſionem ſpecialiter uni Perſonæ addictæ ſint, cui ſimul ſit ſpecialis titulus exiſtendi alicubi? Profecto hac in re non diſplicebit animadverſio doctiſſimi Maignani [a] idoneæ dogmatis intelligentiæ accommodiſſima; quod nempe licet Omnipotentia tribus tota communis ſit, ac eatenus omnis actio & effectus ſit indiviſim a tribus; non tamen propterea deſinit eſſe eadem cuique ſua: id quod & ipſa perfecta communitas exi-

[a] In Philoſophia ſacra cap. 20. de Deo Trino, Propoſit. 16. num. 13. et ſequent.

Digitized by Google

exigit, ut quæ tribus eſt ſua indiviſim, ſit etiam ſua tota ſingulis. Ex eo inde fit, quo quælibet perſona miſſa, dum per communem omnipotentiam operatur tanquam præciſe ſuam(jure nempe miſſionis conceſſam utendam) operetur actionem *ad extra* ut ſpecialiter propriam. Niſi enim res ita ſe haberet, potius venirent omnes perſonæ, quam una ſpecialiter mitteretur. Quæ inde eſſet ratio, ut ad effectum quempiam operandnm mittant Pater & Filius Spiritum Sanctum, ſi non hic quodammodo operaturus eſt, ſed tres illi æque omnes, & qui mittitur, quique mittunt? Hac ſemel autem doctrina poſita, non *appropriative* ac *metaphorice* ei tantum quæ mittitur, perſonæ perpetrandum opus addicitur, ut vulgaris ſententia eſt, ſed & proprie phyſiceque etiam ſatis.

580 Sed non erit fortaſſe nobis difficile aſſignare modum, quo Perſona divina ubique præſens novum habeat in creatura, ad quam mittitur, præſentiæ titulum. Enim vero quum non detur immediata actio in diſtans, neceſſe fit, ut ubi reperire eſt actionem novam effectumve novum uni ſpecialiter perſonæ addictum, addicat etiam ipſe ſibi ſpecialiter eandem perſonam, conſtituatque inibi ſpecialiter præſentem; modo nempe quo non erat antea ibi præſens. Ut propterea dicatur e cælo mitti ac deſcendere. Sic Verbum naturæ noſtræ fit præſens per unionem hypoſtaticam; ſic & animæ noſtræ Divinus Spiritus per ſanctificationem. Hoc genus porro miſſiones ac ſpeciales præſentiæ titulos in ſpecies duas communiter dividunt; quoniam & ſenſibiliter, & *inſenſibiliter* mitti perſonæ poſſunt. Prior modus in *Incarnationis* & *Pentecoſtes* die habitus eſt: ſecundus in infuſione gratiæ & donorum; ob quod mitti Spiritum Sanctum oportet, ut ea piiſſimo adventu ſuo, ſuique donatione, in cordibus noſtris diffundat, & operetur.

581 Ad *Circuminſeſſionem* quod attinet; ea nil aliud vulgo creditur, quam *inexiſtentia* unius Perſonæ in alia, prout ex Johanne audivimus: [a] *Ego in Patre, & Pater in me eſt*: & ex Eccleſia: [b] *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Quandoquidem communis immenſitas Perſonarum, quin & earum cum ſubſtantia unica & indiviſibili *identitas* con-ſedere invicem ſeu intro-ſedere feliciſſime cogit. Eam paullo altius explicatam recipies, ex quo *identitatem* mutuam perſonarum inter ſeſe, quam ſecundum eſſe *relativum*, nedum non habent, ſed reſpuunt; inter eaſdem ſecundum eſſe *abſolutum* intercedere, ac neceſſario, ſtabilivimus. Rem totam ex doctrina Cardinalis *Cienfuegos* nuper exhibita explanatam habes.

[a] Cap. 10. verſ. 38.
[b] In Hymno fer. 2. ad Laud.

DE

DE PERSONIS IN PARTICULARI.

De Patre & Filio.

582 Patris nomen ſi ad creaturas intellectuales referas, triſubſiſtentem Deum, ea ratione ſpectare noveris, qua exteræ operationes toti communes ſunt Trinitati; totaque ipſa in filias ſibi adoptivas beneficentiſſime illas adſumſerit. Huc porro collineare dicitur ea, quam ad Patrem dirigimus in *oratione Dominica* invocationem. Duplex igitur Patris nomen: *eſſentiale* quod modo deſcriptum eſt; & *perſonale*, quo auguſtiſſima prima illa Perſona, totius Trinitatis fons, inſignitur; eo quod de ſubſtantia ſua viviſſimam in ejus imaginem Filium genuerit. Cui profectò dum totum quo pollebat, *eſſe* communicavit, nihilq. produxit, quod prius non erat; hujus ille non *Cauſſa* dicitur, ſed *Principium*; neque hic *effectus*, ſed *terminus*. Quia tamen nulla Græcis ob cauſſæ nomenclaturam poteſtas derivatur, cui ſubjectio in producto reſpondeat; utrunque illud, & Patrem cauſſam, & Filium *principiatum* impune dicunt. Quin admiſſam in Florentino hujuſmodi locutionem, acta illius conteſtantur: [a] *Filium eſſe ſecundum Græcos CAUSSAM quidem, ſecundum Latinos vero Principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Pater.*

[a] In Decret. Unionis.

583 Sed quem ſibi *FILIUM* ille genuerit, qualemque ſubſtantiam hic nanciſcatur; ex nunc atque alibi dictis compertum habes: ipſa immo fidei primordia te docent, lumen clariſſimum de ſuo lumine, Deum verum de Deo vero, coæternum inde & coæqualem Filium a Patre de ejus ſubſtantia progenitum. Quid quidem Patres, quid Traditio, quidve Scripturæ ipſæmet ubiq. locorum aliud profitentur, quam Dei Filium æque ac Patrem, immo & eundem Deum eſſe? Ut propterea in malam abeant crucem *Arius* impiiſſimus, quique modo illum *Sociniani* per Tranſylvaniam ſectantur. Sed te non pluribus moror: neque vero longius nobis circunducenda eſt oratio. Unum & alterum ſeligam, quod Divus Johannes de Magiſtro ſuo, quod de ſe hic protulit rationis monumentum. *In principio*, ait ille, [b] *Verbum erat APUD DEUM; & DEUS erat VERBUM*. Profectò his tu tibi ſatiſaccepta facis & æternitatem Filii Dei, quia longe ante omnia jam erat *penes Deum ipſum*; non quod uti mundus initio temporis productus perhibeatur; & ejuſdem adorandam divinitatem, quia non eſt Deus *datus*, ceu Moyſes; non *vocatus*, ceu quivis juſtus; ſed abſolute dicitur, *Deus erat*. Rectiſſime propterea Hilarius,

[b] Cap. I. verſ. 1.

Digitized by Google

aliud eſt, inquit, [a] *Deum dari; aliud, Deum eſſe: in Pharaonem Deus datus eſt Moyſes; ceterum non ei eſt & natura & nomen, ut Deus ſit; vel ſicut juſti dii dicuntur (ego dixi dii eſtis) ubi enim refertur (ego dixi) loquentis potius eſt ſermo, quam rei nomen.*

584 Celebris eſt alius ex Johanne [b] petitus locus. *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, hi tres UNUM ſunt.* Id quod quum in Græcis pluribus exemplaribus, immo & Latinis nonnullis deſideretur; quin & Auguſtino abſconditum ex ipſius ſilentio, ceteroquin abrumpi debito ſuadeatur; Arianorum crimini, quod inibi textum abraſerint, inſcribunt. Enim vero multo antea Cyprianus, *de Patre*, inquit, [c] *Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: hi tres unum ſunt.* Factum eſt autem, ut quum inde hujus ſectæ homines producere cogerentur, quem male occulere laudatum textum; ultimum ſibi aſylum in ſubſequentibus verbis conſtituerunt: *Spiritus, aqua & ſanguis; hi tres unum ſunt*: ubi ſiquidem expreſſa *unitas* ad ipſorum naturam minime ſpectat. Difficultatem hanc ſuo olim robore conſiſtentem autumaverunt; ut proinde aliqui legerent: *Hi tres IN unum ſunt, vel AD unum*: nempe in unum teſtimonium, vel ad unum teſtificandum. Ita paſſim in Græcorum codicibus. Quin & Doctor Angelicus [d] intruſa putat ab Arianis præfata quatuor hæc verba, quo errori ſuo patrocinarentur. Attamen quum *Vulgata* noſtra Bibliorum editio, ut jacta ſunt, ea referat ac recognoſcat; eique præ codicibus ſingulis obſequendum ſit; illudmet pro ſolutione reſponſum ſuppedito, quod proſcribendo errorem *Joachimi Abbatis* (ut ſuperius intellexiſti [e]) aptum Lateranenſi Concilio viſum eſt.

a Lib. 7. de Trinit. n. 10.

b Epiſt. 1. cap. 5. verſ. 7.

c De Unitate Eccleſię cap. 4.

d Opuſc. 24. ſuper caput *Damnamus*.

e Num. 509.

585 Sed quid de ſe Veritas dicat, intelligamus. *Euntes baptizate omnes gentes, in NOMINE Patris & Filii & Spiritus S.* [f] Cur quæſo *æqualiter* baptizare jubentur Apoſtoli in nomine Filii ac Patris, ſi non æqualis poteſtas, autoritas, & proinde divinitas eſt in Filio ac in Patre? Quæ quidem communitas creaturæ & Creatoris, ſervi & Domini, ut *uno nomine* comprehendantur, unoque ſalvi homines fiant? Cur, ſi non peccata dimittit, *niſi ſolus Deus*, [g] æque in nomine Filii peccatores mundantur? Veritatem hanc ex ejuſdem ore, apertiorem quoque factam, habuimus. *Ego & Pater UNUM ſumus.* [h] Quod ubi Hebræi audiere, lapidibus ipſum obruere, ceu blaſphemum, conati ſunt: cauſſamque ſciſcitanti Chriſto dixerunt: *Quia tu, homo quum ſis, facis te ipſum Deum.* Recte illos interpretatos ſenſum locutionis ejus, ſatis innuit Dominus, qui non redarguit; improbaturus ſiquidem, ſi non æque ac Pater, & ipſe eſſet Deus; atq. a ſe, conflatam ſibi blaſphemiæ invidiam, quam citiſſime exſufflaturus. *Ecce*, ait Auguſtinus, [i] *Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani.* Qui porro ne indebitam textui gloſſam faciant; animadvertere content-

f Matth. cap. 28. verſ. 19.

g Lucæ cap. 5. verſ. 21.

h Johan. cap. 10. verſ. 30.

i Tract. 48. in Johan.

ſint,

Digitized by Google

ſint, illummet ipſum qui ſe *unum* cum *Patre* dixit, eandem cum illo habere manum & poteſtatem etiam oſtendit. *Nemo*, inquit, [a] *rapere poteſt oves de manu mea, quia nemo poteſt rapere de manu Patris*. Rapere ſane Pater poſſet de manu Filii, ſi aliam, & majorem ac Filius, manum haberet; ſi Deus ille, & creatura iſte eſſet.

a Joh. cap. 10. verſ. 28. & 29.

De Hæreſi Ariana.

586 ARianæ in præſenti hæreſeos qua nulla unquam in Eccleſia extitit aut vulgatior, aut truculentior, ut tibi brevem more noſtro paremus epitomen, ipſius de qua agitur, materiæ ratio videtur poſtulare. Ea ſuam male auſpicatam ab autore *Ario* Preſbytero Alexandrino, natione Lybico, dialecticis cavillationibus apprime dedito, circa initium ſeculi IV. nomenclaturam adepta eſt. Adeo hic ſub ovina pelle lupum agebat, ut os humeroſque pio homini cuivis ſimilis, nonnullos incautos ad ſua blande antea pertraxerit, viroque ſuo mox infecerit. Schiſmatibus hæreticæ pravitati viam ſtravit: Meletio quippe res novas molienti ſeſe addixit: ſed in ſpeciem ex hinc converſus, ſacro Diaconatu a Divo Petro Alexandrino Epiſcopo & Martyre initiatus eſt. At non longe poſt Meletio ſuo percuſſo anathemate, quum ipſius ejuſque fautorum excommunicationem indigne nimium tuliſſet, merito ab Eccleſia pellitur. Ferunt *Acta* [b] laudati Martyris, quod quum ab eo in carcere, laureando jam jam, conſtituto, enixe Arius, ut in communionem reſtitueretur, efflagitaſſet; noctu Chriſtus diſciſſa humeros veſte illi apparuerit, ſciſcitantiq; rei cauſſam iſthæc omnia ſignificarit: *Arius mihi ſcidit. Præcave omnino, ne eum in communionem recipias. Quin jubeto Achillæ & Alexandro Preſbyteris, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam, ne eum in communionem recipiant*. Id quod extemplo duobus iis per Petrum edoctis, iidem ad Cleri primarios retulerunt. Verum illatam rei ab eruditis falſi ſuſpicionem is ipſe exitus comprobavit. Petro enim jam vita functo, ab Achilla cujus ſanctitatem laudibus exornat Divus Athanaſius, in communionem (aliter minime ab eo ſperandam) mox Arius reſtituitur, ac deinde ad Sacerdotium provehitur. [c] Qui tandem in vindictam, quod mortuo Achilla, in ſede Alexandrina cui ambitioſe inhiaverat, Alexandrum optimæ frugis virum ſibi noviſſet antehabitum, tunc primo (ut ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis liquet [d]) blaſphemas in Filium Dei, quem nec Patri nec Spiritui Sancto volebat æqualem, coæternum, aut *conſubſtantialem*, protrudere voces eſt auſus: quaſi infelici illi optime notum eſſet, crudeliſſimas, impetendo cariſſimum Sponſum Eccleſiæ, in eam ſe jacturum fore vindictas.

b Apud Surium tom. 6. ad 26. Novembris.

c Ex Epiphanio hæreſi 69. quod tamen negat Gelaſius Cizicenus.

d *Et tamen produnt acta laudata, Ariũ a Petro illo damnatũ propter blaſphemias in Filium Dei: unde ſe magis produnt apocrypha.*

587 Hinc curæ fuit Alexandro prædicto, concreditis ſibi ovibus proviſuro, ab iis adeo nociva paſcua longe facere. Coegit Synodum Alexandrinam centum circiter Epiſcoporum; Arium & fautores quos obſtinatos reperit, anathemate ultimo condemnavit, proſcripſit, extorrem miſit; Encyclicas literas [a] ad quamplures Epiſcopos (quorum nonnullos, præſertim *Euſebium Nicomedienſem*, [b] quos Arius callidiſſimus adiit, eidem adhæſiſſe ſubaudierat) Hæreſiarchæ detecturus impietatem, direxit. Interim Arius ſepoſita omni ſpe ineundæ pacis cum Alexandro, ſchiſma in Ægypto horrendum conflavit, ſuamque inibi hæreſim divulgare cœpit. *Thalejam* inde ſuam pertexuit, ſeu cantilenam quandam a Sotade Poëta veteri mutuatam, effeminatis ac jocularibus modis compactam, quo facilius in hominum & mulierculararum animos ſuæ hæreſeos virus (ut factitatum fuit) derivaret. Eo inde brevi deventum eſt, ut Presbyteros multos, ac nonnullos Epiſcopos ſibi Arius in præſidium aſciverit. Hic erat deplorabilis Eccleſiæ ſtatus; quum piiſſimus & chriſtianiſſimus Imperator Conſtantinus ſuppetias omnes & opes queis Concilium Generale indiceretur, a Sylveſtro Romano Epiſcopo expetitas, diligentiſſime attulit. Celebratur propterea *Nicææ* in Bithynia Proto-œcumenica omnium Synodus: Fides catholica ſtabilitur; cui Euſebius Nicomedienſis timori ſerviens etiam ſubſcribit: Arius ipſus cum ſuis fautoribus rurſus configitur; quem tamen, quod pœnitentem credunt, ſolo exilio mulctant; *Thalejam* ejus & quidquid uſpiam librorum ipſius ſupererat, igni devoveri jubent; pœna capitis per Imperatorem conſtituta [c] in eos, qui illos penes ſe retinerent.

[a] *Quas memorat Epiphanius loc. laud.*

[b] *Qui & Concilium iniit in favorem Arii.*

[c] Apud Socratem lib. 1. cap. 6.

588 Quoniam vero in Cæſaream Aulam occultus quidam Presbyter Arianus irrepſerat, qui tum gratia apud Conſtantiam Conſtantini ſororem plurimum valebat; ab hac, moritura jam, exorari ille fecit Imperatorem, ut tandem Arius exilio ſolveretur. Revocatus hinc ipſe eſt; & CPolim cum Euzoio diſcipulo ſuo profectus, regale palatium ambo adierunt. Inibi, num crederent Nicænæ fidei, interrogati, ſe illi magnopere obſequi dixere; expetitumque a Conſtantino, in teſtimonium cordis, exaratum munitumque ſubſcriptione documentum oppido protulerunt: legebatur in eo formula quædam, catholica in ſpeciem, ſed æquivoca, ac talis, ut errorem minime excluderet. Deceptus Imperator Hæreſiarcham Alexandriam mittit: mandatque Athanaſio (qui Alexandro in Patriarchatu ſucceſſerat) ut in communionem Arium jam reſipiſcentem recipiat; quod ni faciet, depoſitionem ei & exilium minatur. [d] Reſtitit infracta conſtantia, dictoque audiens Imperatori ſuo non fuit magnus ille Sacerdos, ut qui ſummam hominis calliditatem melius, quam Cæſar, internoverat.

[d] Ut ex eod. Athanaſio Apologia 2. pag. 778.

589 Sed quum Hieroſolymis, quo cauſſa Encæniarum extructi a Conſtantino Templi Epiſcopi plures convenerant, juſſi ab eo Patres oblatam ipſi Arii fidei profeſſionem examinaſſent; Euſebianorum factio quæ illo in Concilio plurimum valuit, traductos Arianos pronunciavit, [a] & quaſi per invidiam anathemate olim perculſos. Rurſus igitur ut in communionem Arius reciperetur, præceptum eſt, anno 35. præfati ſeculi. Hunc tamen adhuc Alexandrina plebs ab Eccleſiæ veſtibulo quum arceret; Conſtantinus doli quidpiam ſuſpicatus, ad ſe anno ſequenti impium illum arceſſiri jubet: qui ubi advenit, exhibitæ Nicænæ fidei [b] juramento obſequi præcipitur. Morem illi geſſit, pectuſq. tetigit impiiſſimam perfidiæ ſuæ *formulam aliam recondens*, ac de ea juramentum ſuum *mentali reſtrictione* intellexit. Doli neſcius Imperator litem finire ſtuduit; atque Arianæ cauſſæ Patronus, utpote deceptus, evadens diem conſtituit, quo Arius & Alexander CPolitanam Eccleſiam tunc regens, de ſcripturis palam inter ſe diſceptarent. Sed infelix Arius (Deo ſcelerum vindice ad preces Alexandri ita permittente) mane repentino actus ventris turbine, diſruptis viſceribus ſacrilegam in latrinis effudit animam. [c]

[a] Ut Athanaſius lib. de Synodis *Arimini & Seleuciæ*: & in Apolog. 2. pag. 621.

[b] Ut putat Socrates.

[c] Ex Athanaſio oratione 1. contra Arianos pag. 130. & ex Epiphan. hæreſi 69.

590 Ex hoc factum eſt, ut Ariani aſcito ſibi alio duce, ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, principe Arii fautore, *Euſebiani* & *Nicomediani* quoque fuerint appellati. Progreſſu inde temporis diverſas abeuntes in claſſes, diverſa ſubiere & nomina, ac præſertim tria: ſic qui *Aetium* & *Eunomium*, errore Ariano propriis aggregato, ſecuti, Filium Patri *diſſimilem*, atq. ex non extantibus & ex nihilo factum effutiebant; *Anomæi*: [d] qui vero *homiuſion* ſeu ſimilem in ſubſtantia, ceu duo in eadem ſpecie ſunt homines; non autem *homouſion* juxta Nicænam definitionem, videlicet *conſubſtantialem*, Filium Dei promulgabant; *Semi-Ariani*: qui tandem illum *ómion*, ideſt ſimilem tantummodo in figura, veluti eſt Cæſari imago ſua; non autem in *uſia* ſeu in ſubſtantia, ſomniabant; *Acaciani* ab Acacio Cæſarienſi Epiſcopo dicti ſunt. Interea univerſa pene Eccleſia ſciſſa eſt in Epiſcopis ſuis, ut quaſi ex omni natione ſeu apud Latinos, ſeu Græcos, illorum plures arianarum cuidam ſectæ ſe addixerint; prævalueritque effatum illud: *Fuit Epiſcopus, & non Arianus; miraculum*. Verum inter procellas tot atque tantas floridiſſimum, ac religioſiſſimum Regnum hocce *Siciliæ* in integerrima chriſtiana fide integrum quoad ſuos Epiſcopos permanſit; quin ſemper æque perſeveravit; ſic ut recta de eo Vir Clariſſimus Rocchus Pirrus dicere potuerit: *Sicilia noſtra Hæreſiarcham nullum nec genuit, nec aluit*. Enim vero Socrates refert, [e] appulſis illuc Euſtatii Legatis cum Liberii literis circa fidem *conſubſtantialis*, coactum eſſe *Sicilienſe Concilium*; a cujus Epiſcopis *literas in EANDEM cum epiſtola Liberii SENTENTIAM perſcriptas acceperunt*.

[d] Ideſt, *diſſimiles*.

[e] Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 11. circa finem.

591 Sed quemadmodum ea eſt Novatorum nequitia, ut ipſos ſcripturarum textus fruſtatim decerpant aucupenturque, quo male olentes blaſphemias ſuas firment; ita & Ariani quoque ex ſcripturis quas non bene intellexerunt, dogma ſuum impiiſſimum traxiſſe ſe male fingunt: dum (eo quod omnia per Filium facta eſſe, quin & ſecula ex illis habeamus) Filium Patre *minorem*, ſeu Patris in conſtitutione mundi inſtrumentum purum comminiſcuntur, & quem ſemper, ut Deum, adoravit Eccleſia, in *creaturarum* ordinem redigunt. Verum quidni potuit Scriptura per illam loquendi rationem apte & cauſſam *principem* intellexiſſe, quam ſæpius eandem aliis plerisque in locis adhibita ea ipſa formula ſignificavit: præcipue ubi legimus: [a] *PER me Reges regnant*; atque ubi: [b] *poſſedi hominem PER Deum*? Quidni potuit quoque Filium inibi ut exemplar ac ideam agendorum omnium reſpexiſſe, quin Patre *minor* evaderet? Adeoque ſi quæ ſunt Scripturæ loca, *ſapientiam* ipſam (quæ idem ac Verbum) *ante ſecula CREATAM*, [c] *FACTUMque Filium hominis ante alios* [d] aſſeverantia, Chriſtum hominem duntaxat videntur appellitaſſe, qui initio viarum ſuarum ante omnem creaturam dignitate, electione, prædeſtinationeque prior, ac primogenitus merito exiſtit. *Qui* enim *creavit me*, ea ipſa habet Sapientia de qua loquimur, *requievit in tabernaculo meo*: quaſi errori aggerem opponere velit, ne inde exiliat; de Sapientia *incarnata* ſe locutam ſignificans, ubi in humanitate, ceu in *tabernaculo*, divinitas requievit. Habes etiam, quo *creationem*, ac *factionem* inibi poſita, velut *impropric* adſumta cogitare poteris, non ſecus ac quando dicitur: [e] *ante me non eſt FORMATUS Deus*, quaſi una mecum formatus fuerit, qui nullo quidem modo niſi *improprie* formatur. [f]

[a] Proverb. cap.8. verſ.15. *quin Sapientia divina ſit inſtrumentũ Regum terrenorum.*
[b] Geneſ. cap. 4. verſ. 1.
[c] Eccli cap. 24. verſ. 14.
[d] Juxta illud: *Qui poſt me veniet, ante me factus eſt.*
[e] Iſa. cap. 43. verſ. 10.
[f] *Vide quæ diximus in de Abb. Joach. num.* 509.

592 Neq. præterea negotium nobis faceſſit petitum aliud e ratione Arianorum ſophiſma. Sive enim, ajunt, æterna Verbi proceſſio ab initio *completa* fuerit, ſive *incompleta*; jam ad divinam utroque caſu ea ratione conſurgere nequibit, qua a Deo longe abeſt temporaneum quidpiam, vel imperfectum: nimirum, ſi ex æterno completa fuit, jam eſſe amplius deſiit: ſi vero incompleta; jam & inſimul imperfecta. Sed videſis, num chriſtiana una veritas, tametſi ſimplex, quam pſeudo-iſti-philoſophi, melius philoſophetur? Perpetua completaque generatione prodiiſſe Verbum ea docet, nec tamen hoc prodire ſemper, deſinere: quemadmodum ſic ſeſe Deus perfecte completeque cognoſcit, ut finem cognoſcendo nunquam impoſuerit, aut impoſiturus ſit; ita quoque generatio qua Filius per Intellectum procedit, Patrem ſemper facit eſſe generantem, ſemperq. generaturum. Quem ergo *ante Luciferum* ſe *genuiſſe* Pater teſtatur; [g] hunc *hodie* a ſe *genitum* [h] Filium, opportune locutus eſt.

[g] Pſal. 109. verſ. 4.
[h] Pſalm. 32. verſ.6. *cui cõſonat illud:* Pater meus uſq. modo operatur, & ego operor: *& ſermo eſt de operationib. cũ* ad extra, *tum* ad intra *utriuſque Perſonæ.*

De

De Patribus Ante-Nicanis.

593 FAteor antiquos Patres, qui ante ſubortam hæreſim Arianorum elucubrationes ſuas vulgavere, non ita proprie, ac fortaſſis non ita caute, ſi attendas voces, de *Trinitatis* Myſterio locutos eſſe; propriiſſime tamen & cautiſſime multum, ſi attendas mentem & rem. Secus enim; quæ cauſſa coactis Nicææ Patribus, ut ne Arianam ſummam blaſphemiam audirent, ſuas eorum plurimi profunde aures occluſerint? [a] jam eam longe antea, tu dixeris, in illis intellexerunt. Aut cur ſolus Arius, ac primo, diris impetitur; ſi jam in Eccleſia Chriſti ſolenne erat figmentum ejus; quin & totius Eccleſiæ, ut quæ ex Patribus coaleſcit præſertim, doctrina illa fuiſſet? Recte ergo rigidiſſimæ, æqua minoris, cenſuræ arguit Petavium Jueninus, [b] quod animoſe ſe eo perduxerit [c] (ſi ſuperis placet!) ut Patres omnes qui ante Nicænum I. ſive in Oriente, ſive in Occidente vixerunt, Arianiſmo (paucis exceptis) circa Verbi divinitatem laboraſſe, præfatus ſit. Nodum quidem in ſcirpo quærere eſt, in illis Patribus quoad hoc punctum quærere errorem; ac veritati noxam nocendo, tantummodo *Socinianorum* [d] modo cauſſam juvare. Solum autem Myſterio huic illud accidit, quod & aliis: ut nimirum priuſquam errores adverſus eadem emergerent, ſub quibuſdam quandoque veluti verborum involucris, obſcuritateque quadam ſermonis tractarentur. Conſcii profecto Patres de ingenua credentium fide, ſe magis ſolicitos debere eſſe de curanda ſæpius ac ſemper majori vocum proprietate, haud noverunt: noviſſent autem, ſi errores inſurrexiſſent. *Ab adverſario mota quæſtio* (opportune huc Auguſtinus [e]) *diſcendi exiſtit occaſio.* Vane igitur & inconſiderate hoc ipſo plerique ſcandalizantur, quod minus proprie quodammodo Patres illi locuti ſint.

594 Ut autem ſumma dicam: tota eorum loquendi licentia eo collineat, quo Verbum dixerit *Juſtinus* Martyr, *ADMINISTRUM Dei Creatoris*; [f] Chriſtianoſque ipſum *in SECUNDO LOCO habentes venerari*: [g] Vocem Dei, quam audivit Adam, *Theophylus*, non aliud, *quam ſermonem Dei, qui ejus FILIUS eſt*: [h] Creatorem omnium, *Irenæus*, ſuo *PRÆCEPISSE Verbo*, [i] ut mundum conderet; atq. demum [k] *voluntati Patris Filium SERVIRE*, [l] Sanctus *Clemens* Alexandrinus. Verum quos ſibi Ariani vindicando, ineopte Patres inſimulant criminanturque; nonne iſti expreſſe increati Verbi divinitatem alibi protulerunt, ac fidem catholicam exhibuerunt? Quid quidem eſt in Juſtino clarius? *Verbum*, ait, *DEUS eſt & FILIUS ejus*; [m] ejuſ-

a *In Actis ejuſdem Synodi & apud Athanaſ. orat. 1. contra Arianos.*

b Inſtitution. Theologicarũ part. 2. diſſert. 1. de exiſt. SSS. Trinit.

c Lib. 1. de Trinit.

d *Qui in præſens Arianam hereſim fovent.*

e Lib. 6. de Civitate Dei cap. 2.

f Dialog. cum Triphone.

g Idem Apolog. 2.

h Lib. 1. ad Autolycum.

i Lib. 3. cap. 8. num. 3.

k *Ceteri Patres, ut qui mitius loquuntur, tametſi a Socinianis inſimulentur, prætermittuntur.*

l Lib. 7. Stromatum.

m Dialogo cum Triphone pag. 357.

Digitized by Google

ejuſdemque ſubſtantiæ, *quod non per reciſionem veluti ab eſſentia Patris diſpertitum*. [a] Quid in Teophylo? *DEUS erat ille SERMO*. [b] Quid in Irenæo? *Ipſe Chriſtus cum Patre vivorum eſt DEUS*. [c] Quid demum clarius in Clemente extat? *DEUS qui eſt VERBUM, propter nos homo factus eſt*. [d] Si ergo præfatorum Patrum ſententiæ & textus (ut opus facto eſt) invicem conferantur, vera ſunt, quæ in re ipſi dicunt, ſed falſa omnino, quæ ex ipſis hauriunt Novatores; nec eo prorſus ſenſu accipienda, quem ſimplex cortex verborum oſtentat. Improprie quædam ab eis dicta eſſe, ultro damus, ac metaphorice quidem duntaxat; ſed ita, ut errandi occaſio ab iiſdem accipiatur tantum, non detur.

595 Verum duo iſti, *Origenes* & *Tertullianus*, factiones in duas ipſos Veteres & hodiernos conſcindunt: quidam eos excuſant omnino; quidam autem omnino incuſant. Producto ſiquidem pro ſe ab Arianis Origene, hunc illis Athanaſius eripuit, catholiciſque adſeruit. Eidem favori ſunt hac in re Dionyſius Alexandrinus, & uterque Gregorius cum Nyſſenus, tum Nazianzenus, quos allegant Photius [e] & Danæus. [f] Refragantur tamen præfato Epiphanius [g] & Hieronymus, [h] voluntque omnibus Arianis Origenem unum præluſiſſe, ac latam viam aperuiſſe. Sed ſi inter tantos Eccleſiæ Patres ac tam dignos judicium quoque meum interponi, temerarium non diceres; crediderim Origenis mentem hac in re petendam non eſſe ex libris ſive in juventute conſcriptis, ſive æmulorum aut hæreticorum opera corruptis (qui enim ſacris Bibliis non pepercerunt, ut viſum eſt; [i] fortene antiquorum Codicibus peperciſſe putes?) ſed ex libro *contra Celſum*, quem provecta jam ætate exaravit, in quo illuſtria de Verbi divinitate exhibet teſtimonia. [k] Adhuc tamen in eo nonnulla exſufflanda vel explicanda [l] deprehenduntur, ut quæ antea produxit, catholicum & ſanum ſenſum redoleant: quod nempe ſolus Pater primarius ſit Orbis opifex; quod Pater & Filius unum ſint concordia & voluntate; quod hic non ſit univerſorum Deus, ex textu illo: *Pater major me eſt*.

596 Ad Tertullianum autem quod attinet: quoniam ipſe in libro contra Praxeam, *FILIUM unius & INDIVISÆ ſubſtantiæ eſſe cum PATRE, ipſi æqualem & ab eo genitum*, cetera; aperte adfirmat; [m] viſus eſt benigne interpretandus, ſi quidpiam alibi paullo aliter locutus videatur. Quanquam igitur *adverſus Hermogenem* [n] hæc talia habuerit: *Fuit tempus, quum & delictum, & FILIUS NON FUIT, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret*; non aliam in his mentem habuiſſe creditur, niſi eam, qua voluerit, quod non ſemper Pater ſit *extra ſe* manifeſtatus ut Pater, quemadmodum non ſemper fuit manifeſtatus ut Judex, nec fuit ſemper *extra ſe* manifeſtatus Filius.

a Ibid. pag. 358.
b Loc. cit. ad cap. 1. Johan.
c Lib. 4. adverſ. hæreſes cap. 5., alias 11.
d Lib. 1. Pædagogi cap. 5.
e Cod. 232.
f In librum S. Auguſtini de hæreſibus.
g Lib. de Synodi Nicænæ decr.
h Lib. 1. & 2. adverſ. Rufinum.
i Num. 384.
k *In quod concedunt Cardd. Bellarm. & de Aguirre.*
l *Ut facit Jueninus Inſtit. Theol. p. 2. diſſ. . de exiſt. Trinit.*
m Capp. 8. 17. & 21.
n Cap. 3.

lius. Enim vero recenſitum Hermogenem materiam Deo coæternam venditantem impetituro, ſatis ſane eſſe debuit, ut Filium per quem illam fieri oportuiſſet, extra ſe a Patre nondum manifeſtatum proteſtaretur.

De variis Arianorum Conciliabulis.

597 NImius futurus eſſem, ac brevitatem cui hucuſque ſtudui, oppido proditurus, ſi varia variarum hac in re factionum conventicula vellem explodere. Percurram itaque ſingula, tametſi calamo non adeo veloci, ut valde parcam ac fere nullam eorum notitiam ſubjiciam. Ut autem dem manus. Peſſimi omnium Ariani homines ubique inter ſe diſciſſi, variis coactis Synodis, varias ac diverſas edidere *fidei formulas*, & quidem numero *quatuordecim* intra totidem fere annos, ad teſtimonium Socratis, Athanaſii, Hilarii & Epiphanii. Nimirum incipiendo ab anno 42. ſeculi IV. *Antiochiæ* convenerunt, ibique infra triennium, quinque illarum diabolo ſuggerente compoſuere. Dein *Philippopolim* ſe recipientes anno 47. in pſeudo-Synodo Sardicenſi, legitimam hujus nominis priorem [a] diris devoventes, ſextam condiderunt. Poſt duo inde luſtra [b] collecti *Sirmio* Pannoniæ inferioris, nunc Hungariæ, in Urbe, *tres* omnium famoſiſſimas exararunt formulas fidei: quarum tamen alteram plurimi ſequenti anno *Ancyram* adventantes, irritam haberi voluerunt; & decimam moliti ſunt. Sed annus 59. præ ceteris Eccleſiæ fatalis fuit: nedum enim *Seleuciæ*, *CPoli* & *Antiochiæ* condendis aliis tribus ſeſe addixerunt, Synodoſque coegerunt; verum prius *ARIMINI*, ubi olim obſecuti Nicænæ Fidei Valentem, Urſacium & Demophylum Arianos anathematis orthodoxi Patres in Concilio [c] inſectati fuerant; hi poſtmodum inibi adhuc, Imperatoris Conſtantii edicto, qui Arianorum nequitiæ ſerviebat, conſiſtentes, longioris moræ victi moleſtia, exhibitæ a Valente & Urſacio, illuc armata manu convolantibus, tertiæ *Sirmienſi* formulæ præcipitanter & incaute nimium ſubſcripſere. Has omnes fidei ſeu perfidiæ conſcriptiones, tametſi nonnullæ manifeſtam hæreſim non redoleant (ut de prima Sirmienſi renuente Athanaſio [d] ſentit Hilarius [e]) proſcribas velim omnino; ſive ab iiſdem caveas: quæ enim errorem non includunt, non tamen excludunt: quin neque etiam, niſi virus occultum præcontinerent, novas eas Ariani edidiſſent; [f] atque a recepta Nicæna formula receſſiſſent.

598 Celeberrimæ autem tres illæ *Sirmienſes* quæ duobus Eccleſiæ luminibus, *Liberio* Summo Pontifici, & *Oſio* Cordubenſi Epiſcopo ſcandalo fuerunt, diſtinctiorem (ut horum lapſus exhibeatur diſtin-

[a] Ut num. 86.
[b] Vel cum Natali Alexan. poſt annos 6.
[c] *Quam Synod. quoniam abſolutã, priuſquam laberetur, nonnulli inter œcumenicas, ſeu Nicænæ appendicẽ, reponunt.*
[d] Lib. de Synodis.
[e] In lib. quoq. de Synodis.
[f] *Quare Hilarius lib.* contra Conſtantiũ *totum Conciliũ Sirmienſe dãnat, in quo prima formula edita eſt.*

ctus) diſquiſitionem promerentur. *Prima* quidem quæ græce conſcripta fuit, cum 27. anathematiſmis, his verbis concepta erat: *Eos qui dicunt, de nullis extantibus Filius, vel de ALTERA ſubſtantia, & non ex Deo; alienos ſcit Sancta & Catholica Eccleſia*. Et hic erat primus anathematiſmus: poſtremus autem ita proponebatur: *Si quis autem Chriſtum Deum & Filium Dei ante ſecula ſubſiſtentem & MINISTRANTEM Patri ad omnium perfectionem, non dicat, anathema ſit*. Profecto duorum iſtorum prior, ſecluſa ad autores ſuos Ariano fermento conſperſos ratione, catholicus videri poteſt, & uti talem Divus Hilarius qui eam formulam latine reddidit, commendat: poſteriorem autem vox illa, *miniſtrantem Patri*, non parum facit ſuſpectum, ut quæ diverſo a Patribus, quorum fides probata erat, idem loquentibus, [a] animo & mente uſurpari debuit. *Secunda* plane plene que hæretica eſt, & Ariana prorſus, iſtiſque verbis exprimebatur: *De HOMOUSION, ſeu quod dicitur, HOMÆUSION, nullam omnino fieri oportere mentionem... Nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, majeſtate & ipſo nomine Patris MAJOREM eſſe Filio*. Jure igitur ac merito ſic eam inſcribit Sanctus Hilarius: [b] *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per OSIUM [c] & Potamium conſcriptæ*. Semi-Ariana erat *Tertia*, & iis comprehenſa: *Quod in ſcripturis non continetur, de medio tolli, & nullam omnino SUBSTANTIÆ mentionem in Deo faciendam eſſe placuit. Patri autem Filium ſecundum omnia ſimilem dicimus: etſi quis dixerit Filium Dei creaturam, UT SUNT cetera creaturæ, anathema ſit*.

599 Ad hanc offendiſſe inconſuete *Ariminenſes* Patres jam modo notatum eſt: [d] ſed inconſulte magis ob id exultare hodiernos Sectarios, Eccleſiæque *univerſitatem*, exemplo Donatiſtarum & Pelagianorum, [e] probris inceſſere, compertum fiet. Licet enim Synodo in illa orthodoxi Patres deliquerint, quod a voce *conſubſtantialis* œconomiæ cauſſa ſe abſtinentes, Arianis occaſionem fecerint jactitandi, [f] *ſe Filium creaturam non negaſſe, ſed ſimilem ceteris creaturis*: id tamen ſincero feciſſe animo, *nec cogitaſſe ſuam fidei formulam ſententiæ NICÆNI Concilii adverſari*, Damaſus Papa & cum eo Romana Synodus conteſtantur. [g] Enim vero vox illa *ſimilis*, tametſi ſubſtantiarum diſtinctionem exigere videatur; hunc etiam quandoque intellectum reddere poteſt, ac *non diverſus*, ſeu *non diſſimilis*, catholicamque veritatem minime impetere. Annon Athanaſius qui ſcripſit: [h] *Filius ÆQUALIS Patri ſecundum divinitatem*; vocem illam *æqualis*, quæ non minus in rigore æqualia diſtinguit (nemo enim ſibi nec ſimilis nec æqualis eſt, ſed ſolum *idem*) pro eodem accepit, ac *non diverſus*, ſeu *non inæqualis*? Nonne, quum de Filii generatione, proceſſiſſe illum dicimus viventem a vivente in *ſimilitudinem* (ſeu in non diverſitatem)

a Ut nu. 594.

b Lib. de Synodis.

c Oſius *hic eſt celebris ille Epiſc. Cordub., de Catholica Relig. præclare olim meritus, qui primæ œcumenicæ Synodo præſedit, Arianos ſæpe compeſcuit, a quibus multoties quæſitus ad necem: nunc fere cętenarius eiſdem ſubſcribit. Reſipuit ante mortem teſte S. Ath. epiſt. ad Solitarios: quidquid dicat Blŏdellus deceptus a Marcellino Schiſmatico, a quo & Iſidorus deſumſit.*

d Num. anteced.

e Apud Aug. lib. 1. contra Julian. cap. 7.

f Apud Hieron. infra.

g In epiſt. ad Epiſc. Illyrici ap. Theodorit. lib. 2. cap. 22.

h In Symbolo *Quicunque.*

Digitized by Google

tatem.) naturæ? Error igitur iſte (ſi ad Patres referatur) in ſpecie fuit, & non in re; deque eo intelligendum eſſe illud Hieronymi: [a] *Ingemuit totus orbis*, [b] *& ſe eſſe Arianum miratus eſt*; ex Alexandrina Synodo evincitur, in qua ſtatuitur: [c] *Ut exceptis Autoribus Hæreſeos, ARIMINENSES Eccleſiæ ſociarentur; non quia Epiſcopi poſſent eſſe, qui Hæretici fuerant; ſed quia conſtaret, eos qui reciperentur, Hæreticos non FUISSE.*

600 Interim conſciſſis adeo Arianis, diverſaſque, prout cuique factioni libebat, fidei formulas fabricantibus, regnum eorum perfidiæ in ſe ipſum diviſum eſt, ac tandem deſolatum, ita ut extremum Arianiſmo exitium illatum fuerit. Igitur poſt varia hinc inde coacta Concilia, poſt ærumnas plurimas Patribus, Athanaſio præſertim (quem de fracto calice, de Arſenii nece, & de ſtupro quodam traductum, in Synodo *Tyria* Epiſcopatu exuerunt, moxque *Treviros* in exilium amandarunt) invicto Arianorum oppugnatori inflictas, ſepulta, quin & extincta penitus jacuiſſet Ariana lues, ni Lælius Fauſtuſque *Socini* [d] eam noviſſimis hiſce temporibus infauſte ab inferis reductam malis artibus ſuis excitaſſent denuo, perditæque memoriæ hominibus pleno ore propinaſſent.

a In Dialogo adverſus Luciferianos.

b In Concilio enim Chriſtianus orbis repræſentatur: vid. num. 590.

c Apud Hieronym. loc. cit.

d Ut ſupra num. 498.

De S. Liberio Papa.

601 EO ſane Arianorum perfidiam graſſatam novimus, ut in ipſos Eccleſiæ Patres, quo eos in ſuam ſententiam pertraherent, impetuoſe deſævierint: quin & ipſum (ut percuſſo Paſtore totius gregis oves diſpergerentur) Summum Pontificem Liberium, de Chriſtiana Religione tunc uſque optime meritum, qui *Arelatenſe* non minus, quam *Mediolanenſe* Concilia in Athanaſii damnationem conſpirantia voluit proſcripta, varie exagitare cœperunt, ac tandem e Sede Pontificia dejectum exilio *Beream* in Thracia relegarunt. Verum Liberius diu exilii ſqualores infractis quum tuliſſet viribus, perferre tandem non valuit. Animum iccirco induxit injuſtam Athanaſii condemnationem formulamque *primam* Sirmienſem (quæ nihilo tamen ſecius ſecundum ſe inſpecta etiam catholica videri poterat [e]) miſere ſubſcribere, inireq; cum Urſacio quoque ac Valente Arianis communionem. Aſt interim caveſis, Liberium ne propterea hæreſeos reum, Arianæque perfidiæ ſectatorem incauto pronuncies judicio. Hæreſimne ſapit, quod in Athanaſium, innocentem alias, ob afficta illi crimina ſententiam coactus pronunciarit? quod formulæ Sirmienſi catholicum quoque ſenſum non fugienti minis terroribuſque victus autoritate ſua incautus

e Ut numero 597.

Digitized by Google

acceſſerit? Humani tamen paſſum fuiſſe quidpiam, haud inficior; ſed eam turpiſſimæ inconſtantiæ labem quam inconſulte ſubſcribendo contraxerat, viſus eſt obliteraſſe, quum *ſecundam* formulam Sirmienſem puro putoque Arii dogmate conſperſam, dein ad teſtimonium Socratis, Hilarii & Sozomeni, omnino ac prorſus reſputum ivit. Nec Sirmium prius deſerere voluit, quin adhibito vocabulo *Homouſion*, quod Catholichorum; rejectoque *Homæuſion*, quod ſemi-Arianorum teſſera erat, glorioſam edidiſſet confeſſionem. Ut propterea quemadmodum cadendo opprobria, ita & ſincere reſipiſcendo laudum præconia ſibi promeruerit.

602 Quia vero *Communio* quam Liberius iniit cum Arianis; Athanaſii Nicænæ Fidei propugnatoris invictiſſimi (cujus cauſſa cum cauſſa Religionis conjuncta erat) *damnatio*; ac demum primæ formulæ Sirmienſis *ſubſcriptio* facta ad nutum Arianorum; ſatis hæc tria ſuperque erant, ut Liberius hæreſi admoviſſe manum & animum putaretur; hinc Divus Hilarius [a] recta illum, quem ter anathemate percutit, [b] *perfidiam Arianam* amplexum teſtatus eſt; hinc Athanaſius, [c] Hieronymus, [d] Auxilius, [e] & antiquum hinc Breviarium Romanum 19. Cal. Septembris [f] id ipſum teſtati ſunt. Ecquis enim hæreticus non videbitur, qui cum hæreticis communionem iniens, decretis eorum, quantumvis hæretica, in ſe inſpecta, non ſint, ſubſcribit tamen, ac Fidei Catholicæ profeſſionem in Eccleſia receptam illis poſtponit? Quid, ſi viros etiam piiſſimos propter ſanæ religionis defenſionem ab heterodoxis exagitatos juncta cum illis manu execretur impie atque damnet? Eam ob rem qui nō *expreſſe* Liberium, hunc *interpretative* ſubſcripſiſſe hæreſi nonnulli ajunt, eoque ſpiritu adducta Patrum teſtimonia interpretantur. Enim vero quum illud temporis, ceu teſſera ſinceræ fidei, communio cum Athanaſio exiſtimaretur, Nicæniq. Symboli profeſſio Catholicos ab Acatholicis diſcerneret; jam nil reliquum eſſe debuit, quo minus damnare Athanaſium, aliamque a Nicæna probare formulam, aliud quam Fidei cauſſam prodere, hæreſique adhæreſcere videretur. Quam tamen vulgarem ſuſpicionem enervandæ Apoſtolicæ in Pontifice definiente *infallibilitati* aptam non eſſe, opportune ſupra [g] monuimus.

603 Quoniam autem plerique [h] contendunt, non Sirmienſium formularum primæ, ſed alteri ex tribus [i] Liberium acceſſiſſe; noſtrarum videtur partium eſſe, illorum qui ſic loquuntur, perpeſſam deceptionem detegere. Quod quidem facile, ut credo, adſecuturus ſum, teſtiſque eſt mihi Hilarius, quia non mentior. Is enim [k] tres eorum quinque, qui ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis in adſtruendam ſecundam incubuerunt, *perfidiæ Sirmienſis* cui Liberius ſubſcripſit, autores non facit: nullus enim *Oſius*, *Potamius* nullus nullusque *Germinius*

a In Fragmētis poſt 2. ep. Liberii ad Orientales, quæ incipit: *Pro deifico timore &c.*

b *Id quod forte Hilarianis fragmentis irrepſit fraude hæreticorū (ſicuti hæc alia verba:* Quid in his literis non ſanctitatis &c. *quæ Athanaſii dānationem ſequūtur; in fragm. poſt epiſt. 1. Liber. ad Orient.) eo nempe tēpore quo hæc ſcripſit Hilarius, jā Liberius reſipuerat; unde maledictis non amplius inceſſendus.*

c Ep. ad Solitarios.

d In Catal. Scriptor. Eccl. cap. 97.

e Lib. 1. de ordinationibus Formoſi cap. 25.

f Ex Martyrol. Adonis.

g Num. 113.

h Petavius, Nicol. Fabrus, & Blondellus.

i *De tertia formula nō eſt dubium, quia poſt Ariminenſe conſtructa fuit.*

k Loco laud.

minius inter viginti duos Epiſcopos Liberianæ formulæ recenſentur. Quei inſuper Sirmienſi perfidiæ obſecutus incautus Pontifex, hanc eſſe illam quam Orientales profitebantur, ipſis conſcribens, [a] adſerere potuiſſet, ſi confixæ jam per eoſdem in Ancyrana Synodo, [b] Sirmienſi ſecundæ formulæ fuiſſet a Liberio ſubſcriptum? Et quei Conſtantius hunc Borea Sirmium arceſſens, ut probatam illic ab eo formulam heic coram ſe confirmaret, ſicq. exilio ſolveretur, Sirmienſem ſecundam repeti paſſus eſſet, quam tantopere execrabatur? Nimirum quum Baſilius Ancyranus qui tum gratia apud Imperatorem plurimum poterat, in eo verſaretur congreſſu, uti Conſtantium jam ad confingendam ſecum publico edicto ſecundam formulam induxerat, ita amplecti eam Liberium (qui nonniſi ad eorundem Arianorum aſſentationem perpetraturus erat id ſceleris) omnino prohibuiſſet. Solum autem, ut proſcriberet *Homouſion*, inibi ulterius ab eo poſtulatum eſt: quod quum reſpueret; ad verſutias Ariani tunc confugerunt: *Antiochenam* quandam definitionem (vi cujus adſumtam a *Paullo Samoſateno* ad ſignificandam perſonam, *homouſion* vocem orthodoxi olim Patres confixerunt, una & declararunt, ne Filius homouſios Patri diceretur) porrexere Papæ Liberio; quam quum ſubſcripſiſſet, exilio, ut notat Socrates, [c] a Conſtantio (per Matronas Romanas cæteroquin ſatis rogato [d]) extemplo ſolutus eſt. Hic tamen, quum mox ſpargeretur, ſe damnaviſſe homouſion ad intelligentiam Nicænorum, priuſquam Sirmio diſcederet, rumoris falſitatem detegere curavit.

a Penes Hilar. laud. loc.

b Ut n. 597.

c Lib. 4. Hiſt. cap. 15.

d Ex Theodorito lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 17.

De Perſona Spiritus Sancti.

604 SPiritus nomen non heic materia quendam expertem reddit (ſic enim hocce vocabulum tres totas auguſtiſſimas Dei Perſonas complectéretur; has nempe omnes adverſus *Antropo-morphitas* puriſſimum ac perfectiſſimum Spiritum ſuperius faſſi ſumus) ſed *impulſum* aliquem & *Amorem* procedentem, quo inde tertiam ſpeciatim Perſonam exprimit. [e] Quælibet quoq. illarum *Sancta* eſt, vulgateq. extat in Eccleſia *triſagium* illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*: ſed iccirco tertiæ Perſonæ ſpecialius appropriatur ſanctitas, quod hæc ſpectare videatur ad voluntatem, per quam illa procedit. Iſthæc autem Perſona dicitur tertia, uti & Filius ſecunda, non poſterioritate & prioritate *in quo*, ſeu *temporis*, ſed prioritate ſolum & poſterioritate *a quo*, ſive *originis*: omnes enim tres coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Neque etiam hujuſmodi prioritas, prioritas eſt *naturæ*, quum hæc una omnibus & eadem inſit. Porro Spiritus Sanctus eandem omnino eſſentiam & divinitatem cum Patre & Filio per eoſdem, a quibus unica ſpiratione pro-

e *Hæc in re carpta fuit cẽſuris per Univerſitatẽ Duacenſem propoſitio* 20. Thomæ Angli ex Albiis, *quæ exhibebat nomine Spiritus S. venire Patrẽ, his locis*: conceptus eſt de Spiritu S. *&* Spiritus S. ſuperveniet in te: *ita iſipſe in opuſc.* Exceptiones duorũ Theol. adverſ. doctr. Albianã f. 122.

Digitized by Google

procedit, communicatam quum habeat; diris inde ac maledictis devovendi ſunt Ariani Macedonianique impiiſſimi, qui Spiritum Sanctum in creaturarum ordinem redegerunt: qui Deum Patrem & creato *Verbo* loquentem, & amantem creato *Amore*, deſipientiſſime commenti ſunt.

605 Enim vero niſi ipſamet illius divini Paracleti a Patre proceſſio tria hæc in eodem privilegia deitatis oſtenderet, & ut in perſona peculiari ſua ſubſiſtere, & abſque ullo durationis termino permanere, & de eſſentia met ipſa Patris exiſtere probaretur (non enim ſcriptum reperimus; qui a Patre creatus eſt, ſed *qui a Patre procedit* [a]) jam ipſius in potentia cum Patre ſocietatem, omninoq. in ſubſtantia *identitatem* ſummam divini Codices abundantiſſime aliunde conteſtarentur. Quandoquidem Ananiam inſectatus Princeps Apoſtolorum, quod ex ſuggeſtu Satanæ *Spiritui Sancto* mentitus fuiſſet, in illum ceu *Deo* injurium inſultavit: [b] *Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te SPIRITVI SANCTO? ſcias, quod non es mentitus homini, ſed DEO.* Eadem quoque Corinthios Spiritus Sancti divinitatem docturus Paullus Apoſtolus phraſi & methodo uſus eſt: *Neſcitis*, inquit, [c] *quia templum DEI eſtis vos?* moxque ſubjungit: *An neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt SPIRITVS SANCTI?* atque etiam quum præmiſiſſet: [d] *Diviſiones gratiarum ſunt; idem autem SPIRITVS*: exinde ſubſequitur: *Diviſiones* gratiarum *ſunt; idem vero DEVS*. Faciunt etiam pro *AMORE* Dei nonnulla quæ pro ejuſdem *Verbo* ſupra retulimus: [e] (*Tres* nempe auguſtiſſimas Perſonas in ſubſtantia *VNVM* eſſe; illarumque trium *in nomine* æque principaliter creaturas in regeneratione ſanctificari) necnon conſtantiſſima Eccleſiæ Traditio ab Apoſtolis in Patres, [f] & a Patribus in nos derivata.

[a] Joh. cap. 15. verſ. 26.

[b] Act. cap. 5. verſs. 3. & 4.

[c] Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 16. & cap. 6. verſ. 19.

[d] 1. ad Cor. cap. 12. verſ. 4. & 5.

[e] Num. 584.

[f] Præſertim S. Baſilius Cæſarienſis, de quo tamen infra.

De Hæreſi Macedoniana.

606 CIrca idem fere tempus quo Ariani de Filio Dei nefarie inſaniebant, alia quoque ſecta inſurrexit *Macedonianorum* nomine, quæ Spiritus Sancti divinitatem execrabatur. Eam etiam foviſſe Arium, propius a vero abeſt; qui nempe in *Verbum* Patris, & in ejus *Amorem* facile invehi debuit; nec præterea increato amore amat, qui verbo creato loquitur. Verum de hac in illo expreſſa inſania apud Patres & Concilia mentio quidem nulla; totaque hæc de *Macedonio* Epiſcopo CPolitano, ut primario ſaltim propagatore, habita eſt. Enim vero magno jam inter Arianos, quænam inter tot formulas ubique pro vera cunctis amplectenda foret, orto diſſidio; contigit, ut Macedonius *Acacianis* diſſentiens

ſede

Digitized by Google

ſede (arrepta occaſione) fuerit dejectus. Tranſtulerat is ipſe, Conſtantio inconſulto magnaque populi multitudine reluctante, ex una in aliam Baſilicam Conſtantini Magni cadaver, multæq. cædis ea propter occaſio fuerat: quo facto, indignatus Imperator Macedonium in pſeudo-Synodo CPolitana deponi juſſit, ac per ſuos quorum ille invidiam ſubierat, Arianos illico obtinuit. Quocirca ſuam Macedonius ut injuriam ulciſceretur, novum aliud cujuſdam ſectæ caput ſeneſcente IV. ſeculo, ſeſe efficere conatus eſt: ac interim Filio divinitatem reſtituens (*de Patre* enim *& Filio RECTE ſentiunt Macedoniani*, ait Auguſtinus [a]) ſe in Spiritus Sancti deitatem unice infenſum declaravit, quem ſubſtantia longe duabus aliis Perſonis diſſimillimum, utriſque exinde ſervum conſtituit. Vix ſuborto hocce delirio, in ipſum pleraque Provincialia Concilia [b] ac Patres [c] invecti ſunt; diroque mox anathemate per generale II. ſpeciatim perculſum fuit.

a Lib. de hæreſ. cap. 52.
b Ac primo Syn. Alexādr. an. 362.
c Præcip. Athanaſius epiſt. *ad Serapionem.*

607 Interea vero nos minime latet, Macedonianos præſumtum de Spiritus Sancti divinitate ſcripturarum *ſilentium* [d] in ſuæ profeſſionis aſciſcere patrocinium: quin & cauſſari, non æqualem de tribus Perſonis in illis reperiri loquendi rationem: Pater ſiquidem [e] *ex quo omnia* dicitur; *per quem omnia* Filius; & *in quo omnia* Spiritus Sanctus: voceſque in iſtas, non caſu quodam, qui ſacro Scriptore foret indignus, irrepſiſſe diverſitatem ajunt, ſed ut ex ea illorum quoque de quibus agitur, naturæ diverſitas detegatur: præterea Spiritum *gemere*, *interpellare*, *poſtulare* divinæ paginæ ſæpius quum innuant, [f] ejuſdem reſpectu illius a quo oratur & interpellatur, nonne inferioritatem ſtatuere videbuntur? Verum quam longe aberrent à vero, vel ex eo maxime liquet, quod hactenus profati ſumus: quas enim de Spiritus S. divinitate loquentes ſcripturas audivimus; earum nonnullas audiendas in medium attulimus: adeoq. equidem clamant, ut vel ſurdi etiam intelligant. Quod ſi tamen ſilerent; nonne ſilentium iſtud ſuppleretur per loquaciſſimam quam habemus, *Traditionem*, unum cum Scriptura adæquantem *Fidei principium*? Quid vero de inæqualitate loquendi in ſacris Bibliis reperta garriunt? eam enim ad ornatum locutionis adhibitam [g] ex eo clare novimus, quod iidem de eodem Deo pronuncientur termini, quum habetur: [h] *Quoniam EX ipſo, & PER ipſum, & IN ipſo omnia ſunt.* Et tandem quid de gemitibus, clamoribus, interpellationibus Spiritui Sancto appropriatis dicam? niſi quod *improprie* & *metaphorice* ei conveniant, quatenus ille eſt, qui nos gemere & interpellare facit, [i] perinde ac quando dicitur: [k] *Tentat vos Deus, UT SCIAT, ſi diligatis eum.* Non enim Deus ex tentatione prius id diſcit, ut antea forte ignoraverit; ſed tentat nos (opportune heic Auguſtinus [l]) *ut ſcire nos faciat*, utrumne vere eum diligamus.

d *Quod nimirum nullibi legatur:* Spiritus S. eſt Deus.
e 1. ad Cor. cap. 8. verſ. 6.
f Ac præſertim ad Rom. cap. 8. verſ. 26.
g *Vel quod appropriative (ut in Symb.) ſoli Patri Creatio inſcribitur.*
h Ad Rom. cap. 11. verſ. 36.
i *Hoc tamen non obſtante, Pater non dicitur interpellare, quia a nullo eſt: ſicut enim mitti, ita & interpellare reſpicit alterū, a quo vel recipitur aliquid, vel expectatur.*
k Deuteron. cap. 13. verſ. 3.
l Epiſt. 121.

608 Si ergo in ea verba incideris, quibus Spiritus S. *a ſemetipſo non loqui* dicitur, ſed ea loqui quæ *audit*; [a] longe alium, quam ſibi perperam Macedoniani, tu tibi rectiſſime facias intellectum. Communicatam ipſi a Patre & Filio naturam hæc produnt: quin mihi videre videor indigitatam per eadem, expoſitam alibi, *Cienfuegoſianam* ſententiam. Enim vero quum Deus ita loquatur, quia ſuam intellectionem ſibi producit; divinuſque *Amor* in ſua met notione nec Intellectus ut *generans*, neque intellectio ſit prout *genita*; a ſemetipſo hic inde minime loquitur, ſed quæcunq. *audit*, quæ nempe ipſi communicantur [b] (audienti profecto loquens conceptus ſuos communicat) hæc cum Patre & filio loquitur. Si ergo Patres quoque & Concilia tibi occurrant, Deum ſpiraſſe ab æterno, & inde *libero*, conteſtantia; caveſis, ne illorum teſtimonia, de libertate *a neceſſitate* intelligas, quæ de altera *a coactione* loquuntur. Et ubi Baſilius in Sanctum Dionyſium Alexandrinum animadvertere viſus eſt in his verbis: *Hic Spiritum Sanctum a conſortio deitatis SEGREGASSE, & creatæ naturæ adnumeraſſe FERTUR*: [c] facile tibi notatu erit, hoc Baſilium teſtimonium non de ſuo addidiſſe, ſed adhibendo particulam, *fertur*, ſignificaſſe ſatis, rumore quodam (ab hæreticis Dionyſii æmulis forte ſparſo) ſe id didiciſſe.

a Joh. cap. 16. verſ. 13.

b *Divino nempe Amori, qui in ſuo formali volitio æterna eſt ut producta, communicatur entitas intellectus & intellectionis.*

c Epiſt. 42. *qui tamen etſi acerrimus fuerit Spirit. Sancti defēſor, aliquando de illo loquens, a voce* Deus *abſtinendum ſibi judicavit œconom. cauſſa: & hoc impune: ne nimirum* dum unam voculam mordicus retinerent, omnia perderent: *ait de ipſo Gregor. Naz. orat.* 20.

De Ingenerabilitate Spiritus Sancti.

609 CLamat expreſſe fides, priorem ſolum ex duabus procedentibus Perſonis vere eſſe genitam ſeu generatione productam: ſolumque Verbum in Deo eſſe Filium, & inde Unigenitum. *Vidimus gloriam ejus*, inquit Johannes, *gloriam quaſi UNIGENITI a Patre*. Ubi nemini venire debet in mentem, eam vocem, *quaſi*, quodammodo detrahere de vi illius, quæ eſt Unigeniti: auget eam quinimmo, dum ſenſus eſt, vidimus gloriam ejus talem, *qualem* decebat eſſe Unigeniti. [d] Sed quum generatio, prout heic ex communi omnium conſenſu ſumitur, Patrum & Scholaſticorum, aliud non reddat, niſi *Originem viventis a vivente, principio vitæ conjuncto, in ſimilitudinem naturæ*; magnam res iſta in Trinitatis Myſterium videbitur ingerere difficultatem. Enim vero quum utraque dimanantium Perſonarum *vivens* ſit, & *a vivente* oriatur; utraque pariter a *principio conjuncto*; quippe ex cujus *intellectione* Verbum, & *volitione* Amor vi productionis [e] ambo conſtituuntur; utraque tandem *in ſimilitudinem naturæ* prodeat, quatenus eandem a producente communicatam accipit naturam, qua tres ſimul ſunt unus Deus; jam non aliud videbitur eſſe reliquum, quam ut ambæ per generationem profluxerint. Aſt interim aliquid intercedat diſcrimi-

nis

d *Quemadm. alibi habetur:* Sicut Prophetam eū habebat: Matth. 14. 5. *itant peſſime ex illo Joh. loco errorem ſuū Ariani petant.*

e *Vide num.* 568. *in adnot. ad lit. F.*

Digitized by Google

nis inter utranq. originem ſecundæ videlicet & tertiæ perſonæ, quidpiam inſit uni ſpeciale, quod alteri haud congruat, ſub pœna infidelitatis firmiſſime tenendum eſt. Quale autem id; nec ſe Patres prorſus noviſſe ajunt: *Quid inter naſci & procedere INTERSIT* (ingenue Auguſtinus [a]) *explicare quis poteſt? DISTINGUERE inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio.*

[a] Lib. 3. contra Maximinū cap. 14.

610 Tamen ſi conjecturis quidpiam indulgendum eſt; ſi hinc ex illis quæ revelata ſunt, hinc ex aliis quæ naturali cognitioni ſubjiciuntur, nonnihil proferre licet, non prorſus impoſſibile erit invenire diſcrimen aliquod, quo utcunque fiat credibile id quod ceteroquin omnino credendum eſt. Multi profecto multas excogitarunt hujus diſcriminis rationes; licet non omnes ad traditam generationis, ut par erat, acceptiſſimam definitionem attenderint: & qui attenderunt, non illud quod ſatis eſſet idoneum, diſcrimen exhibuiſſe viſi ſunt. Repetunt plerique ab ultimis illis particulis, *In ſimilitudinem naturæ*, totam divinarum originum differentiam. Volunt enim, quod quum ſecunda Perſona ſit *Verbum*, & *Imago* propterea Patris ſe cognoſcentis, tertia vero Perſona non; inde fiat, quo illa *ex vi* ſuæ *proceſſionis* præferat Patris ſui cujus eſt Imago, *naturam*; non ſic autem Spiritus Sanctus, qui quum ex vi proceſſionis ſit tantum *Amor*, hujuſque non ſit, Amantis eſſentiam exprimere; non præfert iccirco *formaliter*, ut opus eſſet, naturam Patris, ſed *materialiter* ſolum & duntaxat. At hæc nobis dicendi ratio viſa eſt ad propoſitum parum conducens: [b] quia Verbum, prout ab iis intelligitur, non habet, qua Verbum eſt, niſi ſecundum *intentionem* ac *repræſentative* tantum ſimilem cum objecto cognito eſſentiam & naturam (liquetq. id in creato Verbo) non vero, ut ad *propriam* generationem requireretur, quoad *entitatem*: & quanquam Verbo divino *entitative* etiam eadem cum Patre natura debeatur; æque tamen ipſi cum divino Amore eadem eſt. Præterea *genitum* hoc ſibi proprium vindicat, ut cum ſuo genitore in ſimilitudinem ſit qua principio; Verbum autem, qua Verbum, non eſt in Patris ſimilitudinem, quatenus Principium ejus eſt, ſed quatenus objectum ejuſdem. Si nempe Pater aliud a ſe cognoſceret, jam ipſius tum Verbum non Patris producentis imaginem & ſimilitudinem, ſed ſe Patri objicientis alterius præſeferret.

[b] *Plauſibilem tamen eã reddit Syſtemate ſuo* Card. Cienfuegos *ſupponens naturam conſiſtere in Intellectu, ſicque Filius qui Patris eſt Intellectio, in ſimilitudinẽ cũ eo naturæ procedit.*

611 Medias laudatæ definitionis particulas; quo præfixum ſibi finem ſortiantur, nonnulli adſumunt: totamque ex verbis illis, *principio vitæ conjuncto*, levari ſibi blandiuntur difficultatem. Conjunctum autem Principium eo iſti animo accipiunt, ut perinde idem ſit ac principium *maritatum*, quod videlicet producit una cum alio com-principio fœcundante ipſum. Hoc modo Intellectum ſolum ſe habere ajunt, ut qui *verbum* ſuum producit inſimul cum objecto, ſeu

ſpecie objecti eum fœcundante; ex eoq. communi proloquio datam fuiſſe occaſionem: *ex objecto & potentia PARITVR notitia*: voluntatem autem non ſic; quum ſuum ſe ſola in *amorem* exeat: exindeq. ori-ri, ut Verbum divinum procedat a principio conjuncto, non vero divinus Amor; ac propterea illud genitum ſit, iſte autem non. Sed bona pace horum Doctorum, quid quæſo prohibet, quo minus eodem ratiocinio dicatur; proceſſiſſe quoque a Principio maritato æternum Amorem, qui juxta illud; *nil volitum, quin præcognitum*; a voluntate proceſſit præhabita cognitione? quin Spiritus Sanctus, quam Filius, a principio conjuncto potius dimanat, ut qui, dum Verbum a ſolo Patre, ipſe a Patre ſimul & Filio derivatur. Interim quid ſibi ea velit principii vitæ *conjunctionis* antehac inaudita expoſitio; prorſus ignoro: certe *Filius* Beatæ Virginis dictus eſt Chriſtus, qui a principio tamen *maritato* haud proceſſit: nec Spiritus Sanctus de quo ille conceptus eſt, ex propria unquam ſubſtantia *MARIAM* reddidit fœcundam, ſed tantum ſubſtantiam ejus diſponendo. Fruſtra inde Evam objectant; hæc enim, non quod, ut putant, a principio maritato neutiquam progreſſa, Adæ filia dicta non eſt; ſed quia hic in eam nullam habuit actionem; fuit equidem per coſtam emiſſa, quæ per ſe ad generationem non ordinabatur.

De ſententia FARDELLÆ.

612 EDoctus a. *Paſqualigo* noſtro, Præceptore ſuo, ſubſequentem ſententiam novo clariorique in lumine (ut merito Autor ejuſdem vocari poſſit) *FARDELLA* collocavit: quam enim magiſter ille præformaverat; ſuis hicce numeris (quæ tamen adhuc uberior prodit) diſcipulus abſolvit. Magni ambo iſti viri ad primas definitionis particulas, *viventis a vivente*, ſeſe convertunt. Quapropter tu velim modo animadvertas, *duas* in nobis ineſſe vitas, unam *ſubſtantialem*, quæ & principium operationum vitalium; *accidentalem* & alteram, quæ ipſam actualem vitæ operationem complectitur: recto inde tramite duplicem etiam in Deo vitam conſiderabis, *eſſentialem* & *notionalem*; illa, quæ veluti radix operationum vitalium, intelligendi nempe ac volendi, ſe habeat; iſta, quæ operatione ac productione *ad intra* conſtituatur. Priori vita tres omnes Perſonæ gaudent, quod ad Deum, qui æque in tribus unus eſt, proprie ſpectet; totæque intelligunt, totæque volunt: poſteriori non omnes, ſed Pater & Filius; quivis enim in ipſis Fidei rudimentis vel rudes nihil *ad intra* Spiritum Sanctum *vitaliter* produxiſſe norunt. Hæc autem quum ita ſint; tam pinguis ſane minervæ non ſumus, ut quo-

a *Vt habet ipſe FARD. in ſuis MSS. Inſtitutionib. Logicis.*

Digitized by Google

quoties in definitione generationis ea verba ponuntur, *origo viventis a vivente*, utcunque ad Deum referenda autumemus. Nos quidem non fugit, in Deo debere intelligi, quod ſit origo viventis *notionalis* a vivente *notionali*, ob eam potiſſimum rationem, quod in eo debet eſſe vivens aliquod, ut ſit *genitum*, in quo eſt *productum*. Quum ergo in Deo non producatur Eſſentia, ſed notio & *Perſonalitas*; [a] inde fit, ut in illo Perſona aliqua, quo ſit genita, debeat eſſe vivens vita notionali: ſecus ac contingit in creaturis, ubi filius *ſubſtantiali* vita vivere debet, quia hæc a genitore producitur. Et ecce, cur Verbum eſt genitum, non vero divinus Amor! illud quidem *ut vivens* a vivente (notionale nempe a notionali) progreditur; iſte vero a vivente, ſed non *ut vivens*: procedit ſiquidem a Patre & Filio, qui vivunt *notionaliter*; ipſe autem *notionaliter* neutiquam vivit.

[a] Joh. cap. 5. verſ. 26.

613 Huc autem ſi reſpexiſſe increatam Veritatem dixeris, ubi ait: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: non receſſiſti, credas, a vero. Quandoquidem perfectiſſimo Numini, ſummo Deo ut abjudicare vitam *eſſentialem* totius deſipientiæ fines exceſſiſſe foret, ſic de vita in illo *notionali* quam manifeſtet, proprior ac prudentior nunc eſſe debet Chriſti locutio; utriuſque, Patris & Filii, notiones propriori aptiorique modo reſpexiſſe videtur geminata vox illa, *in ſemetipſo*. Neque etiam a Servatore noſtro manifeſtatum nobis, ait Auguſtinus, Dei nomen, *quo vocatur Deus, ſed quo vocatur Pater*. [b] Se igitur Chriſtus Dominus *Filium* prodit, illumque Patrem, quod vivens ipſe eſt a vivente; atque hoc; quod quam vitam habet Pater *in ſemetipſo*, hanc & Filio habere dederit in *ſemetipſo*. Huc ſe pariter relatum ivit Florentinum Concilium, a vita Verbi notionali repetens in eodem conceptum *Filii*, & inde *geniti* rationem. Nimirum apertiſſime ab eo ſinguli inſtruimur, oportere, Verbum ut Filii proprietatem illico exuat & omnino, ſi virtutem productivam ad intra, qua vivit ipſum notionaliter, erga Spiritum Sanctum neutiquam induere contingat. *Credentes Spiritum Sanctum*, ſic ait, [c] *a Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt Verbum non eſſe FILIUM*. Quid quidem clarius adferri poterat, quidve deſiderabilius?

[b] In cap. 27. Joh. *Pater manifeſtavi nomẽ tuum hominibus.*

[c] Contra Græcos.

614 Verum eſt autem, quod ea ipſa qua Pater, ſeu qua ab ipſo Filius progignitur, notionali iſte vita non vivit: neque enim Verbum divini Amoris Pater eſt, ſed ſpirator. Aſt quid? exigereſne tu a nobis, fallacis alias ſententiæ pœnam ſubituris, ut generativa quoque Filius vita viveret? plus quidem tunc, quam generationis eſſentia, ipſe exigeres: illi etenim ſatis eſt, ſi vivens a vivente oriatur (modo in eo genere, in quo & producitur, quod in divinis perſonalitas erit & notio) unique ei, totam perfectamque ſimilitudinem ſola

eorundem natura habeat, curæ eſt. Multo magis in Deo; ubi vivens a vivente per notiones unas mutuo ſecernuntur; adeo ut ſi a Patre Filius progreditur, hic Pater non ſit, oporteat. Adhuc tamen habet (liberaliores tibi eſſe cupimus) eandem, quam Pater; & Filius vitam notionalem: ſicut enim Pater habet vitam *ſpirativam* in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere *ſpirativam* vitam in ſemetipſo.

615 Hanc igitur diſcurrendi rationem noſtram amplectere, ſi ſingulas quas prælaudatæ ſententiæ ſuperare non valent, difficultates diſcutere una & elidere cupis. Nec tamen terreri te ſinas, eo quod quemadmodum Amor in ſe *vivus* eſt, ita & Spiritus Sanctus procedens ut Amor (qui quum in creatis vitalis ſit, in Deo vitæ rationem ſubit) acceperit etiam in ſemetipſo, huic noſtræ rei ſufficientem, vitam notionalem, fueritque a vivente is quoque *vivens*. Enim vero quod te modo terreret, purum phantaſma eſſet, nec illud carnem & oſſa habere videbis, tantum ſi palpaveris. Porro vanitatem ejus *Paſqualigus* detegit, [a] ubi monet, eo ferme pacto quidpiam in Deo vitam eſſe, quo in creatis vitale eſt: in iis aliud eſt ita, qua *exercitium* vitæ ac *formaliter*; aliud, qua hujuſce exercitii *terminus*, & nonniſi *identice* duntaxat: iſtud in divinis in vitam tranſit *eſſentialem*, illud in vitam *notionalem*. Viden' interim, num in creatis ad exercitium vitæ, an potius ad exercitii terminum amor pertineat? Viden' inde, ſi eſſentialem in Deo præ notionali vitam rectius exquiras?

[a] Loco cit. ad num. 44. §. dices 2.

616 Quum igitur divinus æternus Amor *ingenerabilis* ſuapte ratione ſit, totamque unum Verbum, ut quod omnimodam Patris infinitamque fœcunditatem adæquat, perfectionem & gradum *Filii* abſorbuerit; jam nec ille in Filium proceſſit, ſed in impulſum & Spiritum, nec Patrem noviſſe potuit, ſed Spiratorem. Propterea ſummo jure fit, ut ſe deinceps aut ſilentio damnent, aut riſui promtiſſimo exponi ſe Macedoniani patiantur. Hi enim quo Spiritum Sanctum a *conſubſtantialitate* Patris & Filii, divinitateque eorundem extrudant, blaſphemias more ſuo una & ineptias pronunciant: fore, nimirum ajunt, ut Spiritus ille almus & Verbi frater & Patris nepos dicatur, ſemel ac a Patre & Filio progreſſus eſt. [b] Anathema profecto iſtis & latiſſima ſubſannatio: jam neutrum horum contingere ſatis norunt: a Patre quidem eſt Verbum, a Patre Amor, ſed fratres non ſunt; a Filio Patris hic eſt, nec proinde hujus nepos. Expediret nempe ad primum, ut a Patre Amor Patris generaretur; atq. ad alterum, ut a Filio, per eandem individuam operationem Patre non ſe immiſcente, utriuſque Impulſus, perque etiam generationem, procederet. Quum ergo Spiritus Sanctus genitorem non noverit, unaque a Patre & Filio ſpiratione dimanet, jam nec filius eſt Filii, & inde nec nepos Patris; neque hujus eſt filius, ac propterea nec Verbi frater.

[b] *Hanc poſtea dicendi ratione a Macedonianis mutuarũt Græci Schiſmatici.*

De

De Prædicatis notionalibus cujuſcunque Perſonæ.

617 SUas vi quarum in *notionem* unius ut ab alia diſtinctæ, vel duarum a tertia deveniamus, auguſtiſſimæ Trinitatis Perſonæ Notiones, ſeu prædicata notionalia, quævis habent. Earum numerus non unam apud plures Theologos ſententiam promeritus eſt: communius ad quinque diſtinguunt; idque rectius. Enim vero æterna tria illa ſuppoſita his profecto nominibus ex Divo Thoma [a] invicem diſcernuntur: ut aliud ſit *principium non a principio*, aliud *principium a principio*, ac tandem *non principium a principio* aliud: in prioris illius notionem tribus prædicatis quiſque deveniet, *improducibilis*, *Patris*, & una cum Filio *Spiratoris*; in alterius, his aliis duobus, *Filii*, & cum Patre inſimul *Spiratoris* communis; demum in tertii, hoc prædicato unico *paſſivæ ſpirationis*. Quæ quidem Notiones divinæ quum ad exprimendam dignitatem heic adſumantur, jam hoc ipſo *infæcunditati* ad intra quæ ceteroquin in Spiritu Sancto invenitur, inter ſe locum non faciunt; non enim ceu *improducibilitas* in Patre, ita & in hoc *improductivitas* ad dignitatem ipſius pertinet, ſeu ut dignitas deprehenditur. Et quia etiam geniti notio *inſpirabilitatem*, & ea Spirati *ingenerabilitatem* involvunt (qui enim infinita actione producitur, ſecundam, ex ſuo *formali* conceptu, paſſionem excludit) propterea duo hæc prædicata ſpecialem in ſuis reſpective Perſonis notionem non fundant. [b] Ita ſuis tandem gradatim numeris totum jam hocce Trinitatis *MYSTERIUM* abſolutum damus: [c] habebis enim in ipſo Deum *unum*, Proceſſiones *duas*, *tres* Perſonas, Relationes *quatuor*, & *quinque* denique Notiones. Illud interea oramus, ut noſtris nos quoque numeris Deus abſolvat, quo illius cæleſtem in Patria notionem feliciter capiamus.

a Part. 1. q. 32. art. 3.

b *Non ſic tamen Paternitas improducibilitatem fundat in ſuo* formali, *ut hæ nō ſint quodāmodo duæ notiones diſtinctæ: quia quis eſſe poteſt Pater et ab alio produci.*

c *Tractant autem heic inſuper Scholaſtici de prædicatis* appropriativis, *quæ aliud non ſunt, quam prædicata quædam cōmunia, uni tātū appropriata Perſonæ: ſic* omnipotentia *dicitur de Patre*, ſapientia *de Filio*, bonitas *de Spiritu Sancto, cetera.*

Digitized by Google

DE ACTIONIBUS DEI ad extra.

618 EXacta jam *abſolutorum Nominum* quæ præſtantiſſimam Dei naturam & eſſentiam concernunt; *Sapientiæ* item operatione ſua ſublimiſſima [a] cognoſcentis, quæ Patrem; amantis æquo modo *Voluntatis*, quæ Spiratorem; *Providentiæ* mox Intellectus Voluntatiſque beneficentiſſimi operis; ac SSS. denique *Trinitatis* exinde auguſtiſſimarum Perſonarum, utrorum illorum actione & paſſione immanentibus interniſque provenientium, notitia quidem exacta; recta poſthac ad illas quæ his tribus communes ſunt, externas Dei actiones & exeuntes, ut vocant, faciendum nobis gradum cum Angelico Præceptore duximus. Bonus ille, atque ſumme, ſua ſibimet ex ſeipſo perfectiſſima, omniq. genere voluptatis completa beatitas; quaſi non ſatis felix ſibi videbatur, niſi & in ſuarum perfectionum participatum quas advocaret, creaturas extra ſe conderet: niſi & torrente voluptatis ſuæ quas potaret, non paucas progigneret; niſi quidem & nihilum (quod extra ſe & ſine ſe ſolum nihil poterat eſſe) in aliquid efficaciſſima Omnipotentia illa ſua quaſi converteret, ſeu ex nihilo creaturas omnes ſatis plurimas procrearet, aſſiduaque cura mox conſervaret, & ad ſuum quamque finem dirigeret.

[a] Juxta laud. Syſtem. *Cienfuegoſianum*.

DE CREATIONE UNIVERSI.

619 MUndum igitur mente cordeque gerens, ſimili ſub imagine, pulchrum formavit pulcherrimum Numen: ac ſuis ita numeris, ponderibus & menſuris omnibus perfecit, ut eum ipſum poſt formationem inſpectum, ceu ſibimet illico gratulatum, divinæ ſuæ delectationis objectum maximum appellitare non dubitarit, unaque cum illo eſſe, delicias ſuas immodicas amantiſſimum conſtituerit. Quidni quidem? putaſne nos doctas fabulas ſecutos notam feciſſe Domini noſtri Creatoris virtutem, potius quam ſpeculatores factos

illius

Digitized by Google

illius magnitudinis? Suſpicere te monet Tullius cælos vel ethnicus, [a] cæleſtiaque contemplari, & tecum ipſo dein ſerio animo evolvere, num aliud, quam præſtantiſſimæ mentis Numen quo hæc regantur, luculentius ut poſſunt, & inviċtiſſime indicent? Quæ igitur ex ſe vel caſu quoquam non habent, quo inditos motus, uti vides, rectos perficiant, ſuaq. jam mirabili ordinatione abſolutos iterum adſumant ad currendam priſtinam viam; putabis hæc prodiiſſe nulla creante cauſſa, nulloq. artifice applicante manum ex ſe ſibi perfectionis tantum, ſuaque natura promeruiſſe? Certe, quod hujuſcemodi fuit; ut nulla cauſſa, ut eſſet, indiguit, ita nec indigere ulla cauſſa videtur ad ſui moderationem, *aſeitate* nequaquam præſtantiorem illico conſequendam. An etiam credibile eſt, Univerſi adeo eminentem naturam, ut quæ exiſtendi initio & cauſſa caruiſſet, poſſe ab iis quibus aut eſſet antiquior aut æqualis, ita mox pulcherrime ordinari, regi, animadverti?

[a] De natura Deorũ lib. 2.

De Erroribus Ethnicorum quorundam & hæreticorum.

620 ECce qui involvunt ſententias ſermonibus imperitis; ecce quos iterum magnopere oportet redargui: eos enim, exiſtentiam Numinis dudum nobis demonſtraturis, [b] deliraſſe jam profundiſſime oſtendendi facta copia fuit. Rerum principia, quas *atomos* Ethnicorum plurimi appellitabant, & extitiſſe ex æterno infecta, improducta, a ſe ſuaque vi propria huc illucque convolaviſſe, ſibique invicem occurriſſe, & conſtitiſſe tandem, ita ut *caſu* ſummo & fortuito variæ valde ac præſtantiſſimæ Univerſi partes ex iis compactæ inſperato emerſerint, eadenque fortuna ſe moderari, iidem autumare veriti non ſunt. Caſusne poſuit fundamenta terræ, ſuper quibus baſes ejus ſolidatæ ſunt; aut ipſius demiſit lapidem angularem? Caſusne concluſit oſtiis mare, circundeditque terminis ſuis, poſuitque vectem & aggerem, ne procedat amplius, neque convertatur operire terram? Caſusne præcepit diluculo, & oſtendit auroræ, Soli planetiſque aliis locum ſuum? Caſusne . . . ſeu hæccine ſunt *caſualitatis* indicia? Extructam urbem vel turrim rectæ menti adſcribis, quin & librum recte digeſtum, ſeu rectam unam periodum; non caſu jactis vocularum elementis; & rectiſſimum Orbem ex indirectiſſimo caſu nanciſceris. Quanto, ſatis noviſti, naturæ opere modo homines progignuntur; ut tibi, ſim certus, ſubrideas, primum omnium caſu quodam formatum eſſe. Adſumam interim quaſi exploratum pro omnium Gentium hiſtoriis, humano generi initium fuiſſe. Quandoquidem olim fuere, qui quum id re ipſa co-

[b] Num. 171.

gente

gente confiterentur, priorem hominem ex terra, perinde ac virentes plantæ ſuccreſcunt, ortum cenſebant. Sed ſi hoc unquam fuit factum, & id alicubi fieret: anne totam nobiliſſimam hancce terræ *humanam* fœcunditatem prior ille unus exhaurire potuit? Non ſic in allato virentium exemplo factum experimur. Præterea oportuiſſet ex ſemine, qualia ſunt plantarum ſemina, exortos homines: ſed quis id tantæ virtutis ſemen formavit? quis terræ commiſit? quod ubi caſu effectum fuiſſe cuique ſanæ mentis ridiculum apparebit, jam hoc ipſo ad Deum ſummum artificem perveniemus.

621 At pejores iis Heterodoxi operibus attendentes, non agnoverunt, quis eſſet artifex. *Apud Philoſophos habes*, inquit Tertullianus, [a] *qui mundum hunc innatum infectumque defendant, ſed multo melius, quod omnes fere Hæreſes natum & factum Mundum annuentes, conditiones Deo noſtro adſcribant*. Simon Magus hæreſeon omnium proto-parens ſublatam Deo mundi fabricam unis Angelis adſeruit: ejuſdem dein erroris fuligine ſeſe I. ſeculo tinxiſſe eum, qui a ſolis *ſeptem* Angelis præter ſcientiam Dei Patris conditum illum *Saturninus* effutiebat; *Nicolaitas* quoque, *Carpocratianos* & *Cerinthianos* quamplures in mundi creatione fabulas intermiſcentes; autor eſt Auguſtinus. [b] Tertio vero ineunte, impiiſſimus *Manes*, [c] ſectæ Manichæorum princeps, multa de rerum opificio commentus, Gentem tenebrarum adverſus Dei regnum rebellantem induxit; a qua Deus ut ſe expediret; ſuam & virtutem & animam, ut dicebat, ad illam miſit, ex quarum mox commixtione factus eſt mundus, inque eo ab iiſdem homines, jumenta, arbores & quæcunque hujus ſunt: ita tamen ut *ipſam fabricam mundi, quamvis ex commixtione BONI & MALI, Deo bono artifici tribuat, animalia vero & cuncta quæ naſcuntur e terra, & ipſum hominem, opera eſſe dicat malignæ mentis, quam Genti adtribuit tenebrarum*. [d] Id ipſum ſeculo IV. *Priſcillianiſtæ* in Hiſpania, Gnoſticorum & Manichæorum miſera ſoboles, amplexi ſunt, opificium carnis non Deo *bono*; ſed malignis ſpiritibus tribuentes; [e] ac propterea ex eo deducebant, ut in bona indole animam, quippe a bono Deo progenitam, ſuis ſæpiſſime turpibus motibus caro inſoleſceret.

622 Porro iſtis erroribus ſemper a Patribus & Conciliis [f] anathema dictum eſt. Quid quidem aliud vel ipſa fidei rudimenta in Symbolo docent, quam Deum eſſe *Omnipotentem Creatorem cæli & terræ*, in quo, ait Paullus, [g] *condita ſunt univerſa in cælo & IN TERRA, viſibilia & inviſibilia*? quid & omnium antiquiſſimus Moyſes: *In principio Deus creavit cælum & terram*; & ſingula omnia, quæ cum ſumma rerum a Deo geſtarum diſtinctione ſequuntur? In quo quidem textu tametſi habeatur illa majoris numeri vox, *Eloim*, ſeu *Dii*, [h] vel *Judices*, duas alias inibi Trinitatis Perſonas creanti Patri

fuiſſe

[a] Lib. de Reſurrect. Carnis cap. 11.

[b] Lib. de hæreſ. a cap. 1. ad 8.

[c] De quo n. 200.

[d] Auguſt. lib. 3. operum imperf. contra Julianum cap. 186.

[e] Idem lib. de hæreſ. cap. 70.

[f] *Præcipue Bracarenſe I. can. 3. in hæc verba*: Si quis dixerit creationẽ univerſæ carnis nõ opificiũ eſſe Dei, ſed malorum Angelorum, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

[g] Ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 16.

[h] Calmet *autẽ advertit in* diction. *vocem hanc, quum de noſtro veroque Deo agitur, ſumi in ſcrip. in minori num.*

Digitized by Google

fuiſſe comites (opera enim *ad extra* omnia communia ſunt) non Angelos, dictante Spiritu Sancto, adumbrare Moyſes debuit : ſequitur nempe vox, *bara*, ſeu *creavit*, quæ trium illarum naturæ ſingularique Omnipotentiæ explicandæ applicandæque unice eſt.

623 Nec mihi interim latet, accepta a Deo virtute Angelis agentibus, æque illi primario cuncta opera inſcribi poſſe : [a] compertum tamen & quoque eſt, non eadem Creatorem phraſi locutum de operibus unice ſuis, ac ubi per inditam creaturis virtutem, in iiſdem & cum iiſdem ſe operatum loquitur. Satis hoc innuit, quando accidit; *GERMINET*, ait, *Terra herbam virentem*; atque etiam, *CRESCITE & multiplicamini*. [b] Ceterum dubitationem omnem dum nos Iſaias pellere cogit, *Ego Dominus*, inquiens, [c] *faciens omnia, ſtabiliens cælos NULLUS MECUM*; hanc Patres veteres uſque ad unum [d] menti recte philoſophanti impoſſibilem faciunt : ita ipſi enimin Deo propriam habent creatricem virtutem, quo nec divinitus in alio ab ipſo reperiri queat. Audio tamen conſtantem hanc Antiquorum ſententiam factam jam eſſe quorundam jocum Philoſophorum, qui vim ſaltim, neſcio quam, *inſtrumentalem* creatricem & *communicabilem* ſpeculati ſunt : quaſi nihilum ipſum materia quædam ſit, ut inſtrumento aliquo exagitari debeat, quo ex eo quidquam creetur.

[a] *Attamen ante ſeptimam diem hoc pacto requieviſſe Deus dicendus eſſet.*
[b] Geneſ. cap. 1. verſ. 28.
[c] Cap. 44. verſ. 24.
[d] Contra Arianos.

De Opere ſex dierum.

624 PUlcherrimam pulchriorum a Deo rerum geſtarum exhibiturus adamuſſim narrationem, ſuum librum *Geneſis* (ita dictum, quod de mundi generatione ſit) elegantiſſime Moyſes adornavit. In quo quidem quæ ſcripſit, ut ſumma conſenſione fatemur, Deo autore hæc omnia illum conſecutum; ita rebus quoque divinis arcaniſque plane cæleſtibus, eodem ſe diffundente, non tam aſperſiſſe, quam referſiſſe. Auſpicatur autem ſic : *In principio creavit Deus cælum & terram*. Ubi quum plures ſcirent, Filium Dei in ſcripturis nominari *Principium*, [e] & hebraica phraſi particulam, *in*, pro eo quod eſt *per*, ut frequentius adſumi, nonniſi hunc hujus ſententiæ ſenſum eſſe animadverterunt; *PER FILIUM creavit Deus cælum & terram*. In his & Auguſtinum, & ante ipſum, Origenem, Hilarium, & melioris notæ Patres reperire eſt. Profecto de Filio locutus Apoſtolus, *IN IPSO*, ait, *creata ſunt omnia, ſive quæ in cælo, ſive quæ in terra*: qui quippe Filius quum ea ipſa ſit Dei Patris *ſapientia genita*, non inde longe abiiſſe crederes *Thargum* Hieroſolymitanum, qui legit; *IN SAPIENTIA creavit Deus cælum & terram*. Quoniam autem operationes *ad extra* triſubſiſtentem

[e] Apocal. 22. verſ. 13. & alibi.

Deum autorem habent, non alio videtur heic adſumtus titulo Deus Pater, qui veluti ſolus mundum creet, quam quem dicunt *appropriationis*; perinde ac illi ſoli creatio juxta & omnipotentia in Symbolo fidei tribuuntur. Hoc autem; niſi velis pro tribus æque Perſonis uſurpatum Dei nomen a Moyſe, qui per vocem *Elohim* [a] illud expreſſit, ſicque dictum *principium*, vel ad principium ſuæ locutionis, vel ad initium temporis [b] retuliſſe.

625 Sed *Terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, [c] impleturuſque illam, luceque perfuſurus *Spiritus Dei ferebatur SVPER AQVAS*. Et quidem permulti Patres Baſilio antiquiores ſignificari heic poſtremam Trinitatis Perſonam aptius exiſtimant: [d] qui quoniam omnes in Philoſophia *Platonica* imbuti maxime reperiebantur, iccirco Domini Spiritum ſupernataſſe, ſeu aquis incubuiſſe voluerunt, quod ex hac indigeſta Elementorum congerie tenebroſaque abyſſi voragine componere, venuſtare, implere mundum cogitaverit. *Accepit*, inquit Plato, [e] cujus philoſophandi ratio ex fontibus Moyſis emanavit, [f] *Mundi Opifex non quietum & tranquillum, ſed temere agitatum & fluitans, idque ex inordinata jactatione redegit in ordinem*. Sed quum non in eo tantum eſſet Spiritus Domini, ut perficeret exornaretque aquas, ſeu totam illam fluitantem elementorum materiem, verum ut & cælis ornamenta ſua quibus deſtituti prodierant, ſtellas nempe ac planetas conferret; ideo tamen ſuper aquas magis, quam ſuper cælos ſeſe agitaſſe credendus eſt, quod cælos quoque ipſos (uno excepto Empyreo) [g] in illa aquarum incompacta congerie moleque immenſa creatos prius, & inde deinceps eductos iidem Patres intelligerent, qui ex eadem ſive inferna, ſive ſuperna omnia prodiiſſe creata corpora voluerunt. In quo quidem cogitando ſyſtemate, non unum cui inniterentur, Platonem habuere, ſed & firmiorem propheticum ſermonem. Penetrarunt ſiquidem altius Moſaica oracula, atque maxime iſthæc alia Petrum ſcribentem: [h] *Cæli erant prius & terra DE AQVA & per aquam*. Verum quia externæ Dei operationes totis tribus Perſonis juxta conveniunt, uni tantum hoc loco aquarum iſta incubatio inſcribi propterea creditur, quod ex illo erga homines beneficentiſſimo amore profecta ſit, qui, ut aſſolet, Spiritui Sancto appropriatur. Recta ex eo Cajetanus, Spiritum illum *virtutem* Dei creatricem (quæ ipſemet Deus Creator) fuiſſe ait, ſuper illas de quibus cuncta formaret, aquas ſeſe verſantem. Animum igitur primigeniis perpetrandis orbis operibus, atque manum intendens, ſex cuncta dies Omnipotens Creator omnium abſolvit, requievitque die ſeptimo, quem proinde Sabbatum, ſeu *quietem*, appellavit.

626 *Prima* autem die poſt creatum a Deo cælum & terram (quo-

a Ut ſupra num. 622.

b Cui conſonat Later. IV. cap. *Firmiter*, ſic: *Ab initio temporis utrãque condidit creaturam.*

c Quam Baſilius *Aquam* eſſe dicit.

d Inter quos Hieron. in epiſt. ad Oceanum, ſic: *Solus Spiritus Dei in aurigæ modum ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundũ in figura baptiſmatis parturiebat.*

e In Timæo.

f Ut habet S. Clemens in *Stromatibus*.

g *De quo nu. ſequenti in adnot. ad lit. a.*

h Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 5: *quẽ quidem textũ pro ſe maxime allegant Oleaſter, Ferrerius & alii.*

Digitized by Google

runce nomine Empyreum [a] inordinataq. aquarum elementorumque ea maſſa venire ſolent) de *luce* primum cogitavit: nec mirum eſt, ſupremum Artificem hanc voluiſſe ornamentis ceteris anteire, cujus hæc tota vis, ut ea poſita colores varios adipiſcantur conſpiciunturq. corpora reliqua, illaq. ſubtracta, cæca ſint omnia, & vix quidpiam ſit, quod poſſit ornamentum dici. Quum ergo abyſſum caligine quaſi pannis infantiæ obvolviſſet, eſſentque tenebræ ſuper faciem illius, procedere hanc ex iiſdem quaſi ex vulva Deus juſſit, atq. in lucem erumpere, *& facta eſt lux.* [b] Subtiliſſimas aquæ partes ita amplius attenuavit craſſitieq. ab omni ſecrevit, ut ſplendorem illico induerint, ſeu fulgor evaſerint lumenq. huc illucq. ob inditum motum (de fluitanti quippe natura prodiit) nunc diſcurrens, nunc iterum revertens. Auguſtinus qui nomine cæli ſubſtantiam omnem Angelicam, & illo terræ, oppoſitam aliam corpoream intelligendas omnino duxit; [c] heic ſub lucis creatione adumbratam voluit [d] Angelorum in accepta gratia confirmationem; quos a conſortio malorum diviſos ea verba referant, quibus Deus *diviſiſſe* perhibetur *lucem a tenebris.* Et vix dici poteſt, quantum hic mihi dicendi modus probaretur, niſi ad myſticum magis, quam ad hiſtoricum quem in præſentia inveſtigamus, ſenſum pertinere videretur: ac niſi (ut me ipſa litera cogit) veros in creatione ac diſtinctos ſex dies admittere cogitarem. Literis ergo inſiſtendo; ut anteriores tenebras Creator Deus *noctem* dixit, ita & *diem* lucem: cui quum in aliam Hemiſphærii partem motu ſuo tranſmeanti viciſſim tenebræ ſuccederent; *factum eſt veſpere & mane dies* primus.

627 *Secunda* vero die *Firmamentum* productum eſt in medio aquarum, quod aquas ab aquis diviſit. Æternus quippe Opifex maximam illarum partem in eminentiam prope ſummam extulit; deque ea ſidereum cælum, in quo, veluti piſces in mari, aſtra omnia nunc altius, nunc demiſſius [e] percurrerent, formavit. Hæc porro aqua illa eſt, quæ ſupra Firmamentum conſiſtere hac die recenſetur, alteri oppoſita, quæ ſubtus illud incumbit, quæque mare, in locum unum cras congregata, dicetur. Neque enim poſſum, quin ab illis recedam, elevatam eam aquam nonniſi pluvialem & nubes ipſas putantibus. Ubi ſane tunc Sol, aſtra vel ignis, virtute quorum exhalare undique vapores aquei potuerint, in nubes concreſcere, inque aëre medio ſe ſiſtere? præſentes quippe hacce die ſupra Firmamentum aquæ, non futuræ pronunciantur. Sed Firmamentum iſtud quod aquas duas intermediat, cæleſtem nempe & æquoream, quid aliud dixeris, quam totum iſtum expanſum *aërem?* in hoc enim illius characteres cognoſces: dividit ipſe aquas ab aquis, qui parte inferna ſua, quæ & concava, ut marinas undique circum-ambit; ita ſuperna & convexa cæleſtes ſubſtinet. Videlicet ſi aliud ab aëre ſupraque hunc Firmamentum eſſet,

[a] *Niſi verba illa:* In principio creavit cælum & terram: *fuerit quædam propoſitio adſumta, quam dein Moyſes exponeret; & per cælum, id ipſum intellexerit, de quo 2. die loquitur; ſicuti id per terram, de quo 3. die. Propoſuit autē Moyſes cælum & terram veluti duo extrema (ut ait Baſilius) quæ omnia creata intercludũt. Quare nullam heic factã mentionem de Empyreo putat Cajetanus.*

[b] *In guttis enim aquæ marinæ facile videre eſt excitatam lucem, ut infra.*

[c] De Geneſ. ad lit.

[d] Ibidem.

[e] *Eſt enim inter planetas, qui modo eſt ſuper alio, modo ſub illo.*

ſet,

Digitized by Google

ſet, jam non inter aquas & aquas, ſed inter iſtas aëremque divideret. Hinc qui aquarum maximam molem ſupra ſidereum cælum (hocque ſolidum) neſcio quo fine, [a] reponunt; ex iis inde duobus, aëre ſidereoque cælo, unum Firmamentum integrant, quod inter aquas perfecte ſeu vere dividat.

628 Hac igitur die formatus eſt aër [b] (conſonatq. illud Eſdræ: [c] *Secunda die creaſti Domine AERIS auram*) ex ſubtilibus aquarum partibus erumpens, quem Deus & Firmamentum (*quod divina virtute firmatum ſit*, ait Ambroſius) & cælum vocari voluit. Hinc ſacer Chroniſta: *Volatile* poſuit *ſub* [d] *firmamento cæli*; hinc Regius Vates, ut *piſces* ſemitas *maris* perambulantes, ſic & *volucres cæli*, ait: [e] atq. hinc ut Firmamentum (quod proprie aër) cælum dictum eſt, ita & cælum (quod proprie ſtellarum locus) Firmamentum etiam fuit dictum, poſitæque in eo *ſtellæ, in firmamento cæli* poſitæ dictæ ſunt. Deſcendit itaque, ut ſupra aërem elatæ aquæ, ſuper cælum conſiſtentes pronuncientur. Nec vox illa, *cælos*, in pſalmis: [f] *Et aquæ omnes, quæ ſuper CÆLOS ſunt*: magnum nos agere negotium cogit; quaſi quod ſupra cælum utrunque, & aëreum & ſidereum, collocare aquas debeamus: quandoquidem familiaris extat Hebræis quibus morem geſſiſſe interpres credendus eſt, dialectus ille, ut majori numero exprimant cælos, ſicut & aquas, quod, ut notat Cajetanus, [g] hujus vocis ſingulari careant. Ob id etiam potuit & Eliu penes Job *ſolidiſſimos* adfirmare *cælos*, *quaſi ære fuſos*, [h] de ſolo Empireo intelligendus: niſi quoque ſententiam iſtam adnumeres inter illas, quas *involuiſſe ſermonibus imperitis* reſpondens mox Dominus [i] eum redarguit.

629 *Tertia* deinde die imperio ſupremi Numinis aquæ omnes, quæ ſub cælo erant, *congregatæ ſunt* in locum unum, unde extemplo *Arida* apparuit; vocavitque Deus congregationem illam aquarum, *Maria*, atque aridam, *Terram*. Hanc autem in unum locum aquarum omnium confluentiam trifariam evenire potuiſſe innuit Divus Thomas; [k] tum per elevationem ſeu *aſcenſum* aquæ deſuper ſeipſam in locum unum; tum per ejus *deſcenſum* excavata terra, & magnum hiatum aperiente, ubi Oceanus & reliqua maria nunc ſunt; tum per *condenſationem* illius, ſuppoſita aqua initio valde rara, intra ſuam tamen ſpeciem, ſicuti una aqua delicatior & tenuior eſt altera. Horumce autem modorum non unum tantum, ſed tres æque omnes fuiſſe adhibitos idem putat: quod tum nimirum multis in locis altiſſimos montes mare ſupereminеat; tum quod in maris litore appareat, ita illud in profunditatem magnam paulatim deſcendere, ut fundum attingere non poſſimus; tum tandem quod aqua maris denſior & craſſior ſit aqua fluminum vel fontium. Sed quid de terra illa extracta & effoſſa ex recenſita concavitate ac voragine factum eſt? præſto ſane

foret,

a *Quidã futuri diluvii cauſſa repoſitas illas arbitrãtur: quidã ad æſtus ſiderum temperandos.*

b *In tres diviſus regiones, ut ajunt, infimam temperatam, frigidam mediam, & calidiſſimam ſupremam.*

c Lib. 4. c. 6. verſ. 41. juxta tamẽ quoſdam interp. *Quare qui Spiritum Domini ſeſe ferentem ſuper aquas, ventum putant, hac autoritate ſatis impugnantur.*

d *Id quod Recẽtiores hebraice legi teſtantur;* Et volatile volet IN Firmamẽto cæli: *& Auguſt. Steuchus legit:* Super Firmamento.

e Pſalm. 8. verſ. 9.

f Num. 148. verſ. 4.

g Hoc loco.

h Cap. 37. verſ. 18.

i Cap. 38. verſ. 2.

k Hoc in loco art. 1. ad 1.

Digitized by Google

foret, reſponderetque; ſuper-adjectam eſſe aliquibus in locis ſuperficiei terræ diſcoopertæ (ex quo una regio altior eſt altera) & in montes undique diſtributam. Sed cur non ſic initio terra digeſta, prominentiis nempe collibuſq. ſuis, & cavitatum ſinibus effecta potius, quam in orbem perfecta, nulli quæ ita uſui deſerviret? non ſatis quidem cauſſa apparere poteſt. Neque etiam generatim inter Patres eſt verum, quin & falſum, mare terram, quo ceteroquin *SUPER aquas* [a] *extenditur*, altitudine excedere. *Terram ſuppoſuit, aut etiam ſuperpoſuit*, ait Gregorius Nazianzenus: ad quæ THOMASIUS hæc reponit: [b] *Terram iccirco ſuppoſitam dicit, quod rebus omnibus ſubjecta ſit, infimumque locum teneat; ſuperpoſitam autem, quod SUPRA mare emineat, montium colliumque ratione*. Sed neque video quomodo in confuſiſſima illa elementorum perturbatione aquæ tunc temporis rariores eſſent.

[a] Pſalm. 135. verſ. 6.

[b] to. 1. Theol. PP. fol. 86. ex Andrea Cretenſi & Billio.

630 Jam vero quoniam ex Divo Petro ſupra relato *Terra erat DE AQUA & per aquam conſiſtens Dei Verbo*; ſic modo illi philoſophandum erit, qui non in propria ſpecie vel forma [c] initio creatam, ſed ex perturbata confuſaq. aquarum elementorumq. miſcella primum hac tertia die eductam eam voluerit: nimirum non mediocrem illarum partem (craſſiorem utique) ſic per inditum a Deo motum coarctatam concretamque heic illicque evaſiſſe, ut exſiccata prorſus humiditatem omnem excluſerit, & in pulverem aridiſſimum ſe redegerit, atque in duriſſimos etiam lapides (ſæpe nempe in cavernis & fontibus, eam quæ diſtillat, aquam ad ſaxa uſque indureſcere & fieri videmus) ſicque etiam inæqualiter; ut varios, extrinſecus variæ molis montes & colles, intrinſecuſque viſcera quædam, cavernas præterea & fiſtulas, meatus ſpecuſque & longe ac late omnes patentes in ſe paſſa ſit, in quos, quæ potior remanſit aquarum partium humida & fluitans, ſeſe ultro colligeret, terræque faciem apparere ſineret. Quæ quidem ut apparuit, ampliſſimam Numinis recepit benedictionem virtutemq. ut germinaret & produceret herbam virentem ac lignum pomiferum, quorum ſemen in ſe ipſis maneret, ut inde voluentibus annis propagarentur: & factum eſt ita.

[c] Ut etiam Gregor. Magnus lib. 32. Moral. cap. 10. ſic: *Rerum ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt*, cetera.

631 Quum autem in montium latebris terræque viſceribus ſpiritus quidam aquæ ſubtiliores occluſi remanentes maximopere ſeſe agitaſſent, formam ignis illico induerunt, inibiq. (prout in Ætna *Siciliæ*, Veſuvio Campaniæ, Hecla Islandiæ aliiſque) accenſus eſt ignis magnus. Quæ ſane aquarum partium attenuatio, agitatioque ſi alibi etiam evenire contingit, & quoque illic ignem & lutem efficit. Id quod in fulmine, in ſtellis trajicientibus, in fulgetris, & maxime in coruſcationibus manifeſtum eſſe deberet, quorum cauſſa exhalationes ſunt & vapores non leviter agitati. Sæpe etiam in aqua ſuper ignem reſper-

Digitized by Google

reſperſa, in nonnullis liquoribus, præcipueque in ſpiritibus vini, ex iis flammam excitari, ſeu totos illos in flammam erumpere animadvertimus, quoties admoto igne amplius attenuantur cienturque. Fœnum pariter madidum alicubi concluſum, calcem aqua aſperſam, quin & guttas aquæ marinæ aut ignem aut lucem emittere, opportuniſſime memorat eximius Philoſophus *Renatus des-Cartes*. [a] Monſtrat rem antiquum portentum; quum aſſervatus in puteo ſacer ignis Hebræorum in aquam ceſſante partium motu rediit; extractuſq. & excitatus a Sole in ignem denuo erupit: *Ergo ex igne* (ad rem myſticam id transferens Damianus ait [b]) *aqua naſcitur, & ex aqua ignis invicem procreatur*. Quia vero ſine craſſiuſculis corporum terreſtrium particulis quibus ſuo uſui attenuatis alatur & renovetur, ignis eſſe non poteſt; fit, ut centrum hujus in terræ viſceribus (bitumine ac ſulphure abundantibus) ſit, non in aëre, ubi ſi apparet; & mox diſparet. Mirum profecto videtur, ſupremam aëris regionem quam ignem incolere plerique putant, nec vel nocte lucentem aſpici: at in ſuo illum centro, in quo tamen ardeat, [c] neutiquam lucere, omnino arbitrarium. Quod vero ignis flamma ſuapte vi ſurſum tendere ſeſe exhibeat, eorum cauſſam non juvat, ſed ſolum pluribus ſe oſtentat refertam ſpiritibus; non ſecus ac omnes quæ de tellure emergunt, herbæ atq. germina vi ſpirituum ſuorum cacumine cælum petunt, quum in terra centrum habeant.

632 *Quarta* mox die totam ſuam Creator ornandis cælis operam impendit: ab inferioribus nempe ad ſuperiora progrediens rectus Opifex, æquum erat, ut exornata jam terra virgultis & plantis, de cælo nunc cogitaret. Juſſit igitur, ſeu dixit (Verbo enim omnia fecit) ut in illo fierent luminaria duo magna, præeſſentque diei ac nocti, & in ſigna eſſent & tempora & dies & annos: deque illa anterius præformata luce (quæ certe quidem corrupta non fuit) ſidera omnia effecta ſunt. [d] At Sol & Luna ceteris majora luminaria haud dicuntur, quod fortaſſe amplitudine ſui axis præ illis polleant (aſtra enim omnia planetæque, uno excepto Mercurio, Luna majores ſunt) ſed quod profuſiores ſuæ lucis radios hæc duo in terras evibrent. Hæc omnia cæli ſidera queis ineſſe animam *locomotivam* nonnulli Philoſophorum olim docuerant (quod quidem propius a vero abeſt, ſi abeſt; dum quæcunq. naturaliter circa centrum moventur, animantia eſſe conſpicimus) num & *intellectiva* quoq. congaudeant, nonnulli poſt Origenem Patres dubitaſſe quondam feruntur. Id Hieronymus [e] idq. Auguſtinus, qui [f] *Nec illud quidem certum ſe habere* ait, *utrum ad* Angelorum *ſocietatem pertineant Sol & Luna, & cuncta ſydera; quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu vel intelligentia videantur*. Angelicus etiam Præceptor ubi in Averroëm & contra Gentes invehitur, [g] permultis argumentis contendit cæleſtia corpora eſſe mente animata; licet tandem

a In Principiis Philoſophiæ p. 4. nu. 91. & 92.

b Opuſc. 13. cap. 13.

c *Eam nempe regionem calidiſſimã volunt*.

d Ita S. Maximinus in ſcholiis ad c. 4. Dionyſ. de divin. nominib. *Lux quæ primo die creata eſt, quarto in Solem trãsformata fuit*.

e Ad illa verba Eccleſiaſtæ: *in circulos ſuos revertitur ſpiritus*: cap. 1.

f In Enchirid. ad Laurẽt. cap. 58.

g Contra Gent. cap. 70.

Digitized by Google

dem in *Summa* ſua Theologica poſtremis ab eo conſcripta diebus inficiantis ſententiæ [a] momenta pariter exhibeat; ita ut Vielmius Æmoniæ Epiſcopus, Dominicanus, [b] neutri parti conſtanter adhæſiſſe eum velit, SS. Hieronymi & Auguſtini exempla ſecutum, quod utranque rationibus muniri poſſe, uti ait, internoſceret. Attamen quum adducta Veterum loca non ſatis perſpicue ipſorum ſenſum aperiant, ſintq, alia iis clariora, quibus inanimes ſe profiteri cælorum orbes oſtendunt; [c] philoſophatuſque ſuperius fuerit Divus Thomas ad Ariſtotelis, quam commentabatur, fortaſſe mentem; jam omni Catholicæ vetuſtatis patrocinio deſtitutum videtur Origenis illud, ab Ethnicis mutuatum, placitum inventumque, nec temere Chriſtianorum animis inſinuandum. Quin proſcriptum hac in re ab œcumenica V. Synodo Origenem (in quem tamen illius acta non extant) Nicephorus fidem facit.

a Part.1.q.70. art. 3.

b Lib. *de ſex diebus conditi orbis* Lectione 19. folio 233.

c *Uti abunde apud Petaviũ lib. 1. de Opif. ſex dierũ cap.* 12.

633 Novum interim de ſtellis hiſce ac planetis amœnumque placitum obortum eſt: ea nimirum ſoli ornatui cælorum, terræque hominumque quibus crebris influxibus proſpicerent, utilitati facta fuiſſe, minus plauſibile videbatur cuidam recenti Scriptori: [d] illuſos nos inde in hac ſpecie ſerio-jocoſe deridebat, eoq. deceptionis genere miſere decentos, quo olim quidam, illuſtre cujus ſubjungebat exemplum, maleſanus Athenienſis. Is enim quotidie ad Phalerum portum proſiliens, ubi illuc a longe adventaturas videbat naves, lætitia inenarrabili perfundebatur: qui poſtmodum, ut cerebro per quoſdam reſtitutus fuit, in eoſdem invectus eſt, quippe ſua propterea beatitate privatus; quum illa in dementia, ut ajebat, *uni ſibi* appellere Athenas naves perſuaderetur congauderetque. Ea igitur cæleſtia corpora non nobis facta, ſed ſuis habitatoribus, intellectualibus quidem, ſaltim ex parte, Autor iſte lepide fabulabatur: qui quum ſibi objectaret: & Angelos omnes in cælo conditos, & homines a primo ad præſentes in hoc terrarum orbe formatos fuiſſe; quaſi nulla exinde ſupereſſet intellectualium creaturarum ſpecies, quæ cæleſtes orbes incoleret: non adeo reſtringendam, ajebat, Omnipotentiam divinam, ut inter Angelos hominesque intellectualem creaturam mediam producere minime valeret. Ut ut vero de hoc; nos ſtulti, ipſe autem prudens; ſed crediderim, videamur oculis inſipientium deſipere, qui ceteroquin in veritate ſumus. Se feciſſe teſtatur Deus luminaria in cælo, *UT lucerent ſuper terram*; *UT præeſſent diei ac nocti UT*que forent *in ſigna & tempora & dies & annos*.

d Cui proluſit quidam Virgilius, quẽ epiſt. 10. *ad Bonifaciũ Zacharias Papa carpit:* Si clarificatũ fuerit, ita eũ confiteri, ut ſit *alius mundus* ſeu *Sol & Luna*, hunc ab Eccleſia pelle.

634 *Quinta* mox die, quum anterius viventibus quibuſdam *vegetativis* tellurem, *locomotivi*ſque aliis (fortaſſe etiam viventibus) cælum ornaſſet; rectum propterea, prout decebat, gradum faciens, ad perfectiora rectiſſimus Artifex progreditur: *ſenſitivis* itaque piſcibus volu-

volucribuſq. mare & aërem implet. Utroſq. hos ex aqua fuiſſe factos divina eloquia conteſtantur: *Producant AQUÆ reptile & volatile*; putatque Auguſtinus, [a] ea ratione aves ex illa dici formatas, quod nempe prodierint ex vapore aqueo ſimul & terreno per aërem in ſublime evecto. Debuit enim Sol antecedenti die productus, igniſque ſubterraneus nudius tertius excitatus, quamplures ex aquæ vaporibus hic emittere & ille extrahere in eam aëris regionem in qua aves volitant, ex quibus iſtæ commode conficerentur.

735 *Sexta* die, quæ poſtrema, ad terras revertitur, ſenſiliores ibi animantes æternus Opifex producturus: obtuſiores nempe volucribus piſces ſunt, ut qui olfactu, auditu & voce carent; amboque ii univerſis quæ de terra oriuntur, beſtiis, quippe ad homines propius accedentibus. Inde adornato regno, omnibuſque in promtu jam, quo Princeps ingrederetur, poſſeſſionemque caperet univerſorum, nobiliſſimum animalium genus HOMO conditur, pulcherrimam Creatoris ſui imaginem referens, ſtatimq. dominandi piſcibus maris, volucribus cæli & beſtiis terræ ſupremam adipiſcitur poteſtatem. Eo facto, *perfecti ſunt cæli & terra & omnis ornatus eorum*: id quod hebraice *Sabaoth* quum legatur, ſeu *militia cælorum*; expreſſos heic primum (de quo inferius) *Angelos* quiſque noverit, qui, ut par eſt, militiam illam pro Angelis intellexerit, retuleritque ſe illuc, *facta eſt cum Angelo multitudo MILITIÆ cæleſtis*. [b] Denique poſt cæli & terræ ultimam perfectionem illuxiſſe dicitur dies *ſeptimus*, quando Deus *requievit* ab univerſo opere quod patrarat. Sed & nobis etiam ab eomet exponendo requieſcendi ratio præſentatur: nimirum de homine & Angelis fuſius peculiariuſque alibi differendum duximus.

636 Aſt ubi ſucceſſiva quadam creandi ſerie primigenia mundi corpora creata volumus; ea id profecto ratione explicandum eſt, quæ cum ſumma ſupremi Artificis in agendo virtute conveniat: cauteque ſimul cavendum, ne quid ſuperflui aut multiplicis eidem in rebus perpetrandis tribuatur. Utrique, & ſucceſſivæ effectioni operum & æternæ Majeſtati operantis, conſuluiſſe videbimur, ſi dixerimus; extractam e nihilo a Deo materiam aquarumque indigeſtam immenſam pene molem; hanc illum *virtute* ſua ſtare juſſiſſe; *ſapientia* quoq. varios aptoſque rebus conſtituendis motus imprimentem, effeciſſe illud, ut eiſdem aquarum partibus paullatim ſeſe explicantibus, liberiorique in campo convolventibus, demum invicem juxtaque inditi motus legem occurrentes, atque cognatæ ſimul particulæ in unum coaluerint, earumq. ex complexu, qualem modo videmus, univerſus orbis emerſerit: [c] interim primigenios hoſce motus ſapientia Creatoris & ſpiritu qui ſuper aquas omnes ferebatur, directos, ſex dierum ſpatio manſiſſe, poſtquehac a producendis rebus ſolennem requiem fuiſſe factam;

[a] Lib. 3. de Geneſ. ad lit. cap. 3.

[b] Lucæ cap. 2, verſ. 13.

[c] *Quo quidem ratiocinio evaneſcit Auguſtini in nos difficultas; qui ſucceſſiva rerum creatione inferri in Deo otium putabat; quaſi oportuiſſet, ut primo inſtanti cujuſq. diei opus, huic adſignatū, creaſſet, & totas reliquas horas requieviſſet uſque ad primum inſtans ſequentis.*

Digitized by Google

ctam; eſto iis conſervandis ac dirigendis nunquam a Deo ceſſatum: quoniam autem communi materiæ motu difficilius quædam conſtitui potuiſſent, ut homo, plantæ, animalia; iis Deum efficiendis certo temporis ſpatio illorum dierum ſeſe applicaſſe, tum materiam diſponentem, tum in certam formam dirigentem, tum demum ſpiritum imprimentem; eiſdemque in ſui conſervationem ingenium conferentem & ſemen, ut proprio generi providerent, acceptaque damna repararent.

De duabus hac in re Auguſtini opinionibus.

637 Viventem in æternum perfectiſſimumque rerum omnium Conditorem cuique ſuum ab initio ordinem contuliſſe, ſimulque omnia diſpoſuiſſe; itaut nulla tunc incompoſita materies, ex qua paullatim ordinatiſſime ſingula formarentur; nullaq. indigeſta elementorum mixtorumq. moles, quæ mox in ordinem redigeretur, & confuſiſſimum ſic chaos tolleretur; notiſſima, poſt Philonem & Origenem, tanti Doctoris ſententia fuit. [a] Uno igitur nutu, uno tempore, momento uno diſtentum cælum & lucem, confectas collocataſq. in eo ſtellas, firmamentum inter aquas & aquas poſitum, ſuo in loco mare adunatum, aridamq. apparuiſſe terram, ſeminibus fœcundatam (non tamen plantis vel animalibus locupletatam [b]) ac proxime aptam, quæ germinaret; ſive ut ſumma dicam, mundum hunc talem, qualem inſpicimus, una ſimul & factum & ordinatum ſtetiſſe voluit. Ea propterea laudata Moyſis verba non ſex dierum, ſed rerum & operum ab Angelis ſucceſſive cognitorum ordinem, [c] qui diebus adtribuitur, denotare locutus eſt; *veſperem*que illum ac *mane* nonniſi Angelicas intellectiones, quæ tum creaturas in Verbo Dei clariores, ceu mane, attingerent; tum mox in ſe ipſis ſubobſcuriores, ceu veſperem, comprehenderent.

638 Ab hac autem *ſubtiliori*, ut ait Divus Thomas, [d] dicendi ratione, abſit, ut hocce dubio recedere cogitem, quod forte *reapſe hæreticam* putem, ac niſi ab Auguſtino defenſam, fore ut illam jam Eccleſia proſcriberet: quemadmodum nonnullus apud Noriſium [e] a quo carpitur, animoſius effutire auſus eſt; ſcio enim Albertum Magnum, [f] Bonaventuram, [g] Ægidium, [h] Carthuſianum [i] & alios eam adeo laudare ac probare, ut ſine piaculo in illam invehi nemo poſſit: ſed tota recedendi cauſſa in præſens cuſtodia *Literæ* eſt, ut quæ ſine ſumma neceſſitudine deſerenda minime videtur. [k] Quandoquidem pro metaphorico ſenſu quæ hactenus adferuntur, tametſi non leviter hunc ſuadeant, nec evincunt tamen omnino. Vero quippe ſat conſonat, quod *qui vivit in ÆTERNUM, fecit omnia SIMUL*; [l] ſed exploratum non ſatis, num ea vox, *ſimul*, univerſa creata omnia ad unum tem-

[a] Lib. 4. ſuper Geneſ. capp. 22. & 34. *quam ſententiã modo ſuſtinẽt Cajetanus, Canus aliique. Quare vult Auguſt. dici prius in Script. terram inanẽ & coopertã* prioritate naturæ, *quia illius nomine intelligit* ſubjectũ primum, *& per firmamentũ, diviſionẽq. aquarũ, intellig.* formas.

[b] Penes D. Thomã in Sũma par. 1. q. 74. art. 2. §. *Reſpõdeo* ſub finem.

[c] Penes D. Th. laud. loc.

[d] In 2. Sent. diſt. 12. q. 1. art. 2.

[e] In Vindicia Auguſtiniana.

[f] q. 2. de 4. Coævis.

[g] In 2. diſt. 3. art. 1. q. 1.

[h] 1. p. Hexamer.

[i] In cap. 1. Geneſ. art. 1.

[k] Juxta regulam ejuſdẽ Auguſt. ut ſupra num. 43. ſuadetque rem præſentem hic textus: *Sex diebus operaberis &c. ſex enim diebus fecit Dñus cælũ & terram &c.* Exod. 20. v. 9.

[l] Eccli cap. 18. verſ. 1.

Digitized by Google

tempus momentumque aſtringat (conſeſſa nempe Auguſtino quoque eſt res, animantia & plantas in prima rerum inſtitutione haud fuiſſe [a]) quam ſignificet potius, nulla re excepta, ab uno Deo Creatore *ſimiliter* omnia prodiiſſe, perinde ac ubi dicitur; *SIMUL inſipiens & ſtultus peribunt*: [b] vel num per ſibi adjunctam vocem, *æternum*, ſimul omnia Deo faciat æternitate unice ſua; [c] ſecus equidem aptius dictum fuiſſet, qui *Omnipotens* eſt, quam qui *æternus*, ſimul ipſum omnia perpetraviſſe. Sed nec minus facile duo alia quæ videntur adverſa tibi, ſcripturæ loca ſummo fœdere cum tua communique intelligentia ſociabis. Refert ſane Moyſes, *IN DIE creatum cælum & terram, & OMNE*, [d] cujus in vulgari tamen dierum recenſione fit primum mentio tertia die, *VIRGULTUM agri, priuſquam oriretur.* Aſt ibi, *in die*, nonne commodius eodem recidit, ac *in tempore*, quemadmodum ubi legimus; [e] *exultavit Abraham, ut videret DIEM meum*? Refert etiam quarta die Solem formatum, nec tamen intelligendis antea veris diebus viam claudit: quos enim deinceps Sol motu ſuo dies conſtituebat, ſegregabatque a noctibus; hos lux illa primigenia efformabat prius, motu item ſuo, dum unum & alterum hemiſphærium decurrens, tum diem præſentia ſui, tum ſui abſentia noctem faciebat.

639 Altera eſt circa mundum Sancti Doctoris poſt Plinium, Macrobium [f] & Nazianzenum opinio: nullos in eo dari *Antipodas*, qui nobis dicantur figere adverſa veſtigia, cælumque ſuper ſe habeant. Sed mirum interim magnopere, quam in illum ob id exultent Auguſtini obtrectatores: profecto in idem conceſſit etiam poſt tria ſecula & amplius (fortaſſe veritus Auguſtinianam ſententiam) Zacharias ſummus Pontifex, qui contra Virgilium ad Bonifacium hæc ſcribit: [g] *Si clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alii homines SUB TERRA ſint; hunc habito conſilio ab Eccleſia pelle, ſacerdotii honore privatum*. Quamobrem accenſitam olim hæreſibus præfatam Antipodum opinionem poſt Aventinum [h] nonnulli exiſtimant; ac nuperrime *Raphael Bluteau* ex noſtratibus, de Republica literaria ſatis præclare meritus, ita habet; [i] *à inſtancia de Bonifacio, Biſpo de Moguncia, parante o Papa Zacharias foy Virgilio accuſado, & finalmente condenado por Herege, por dizer, que havia Antipodas*. Scimus etiam quot difficultates ante ſecula duo perpeſſus ſit, quot Principum repulſas, quot eruditorum deriſiones (ipſe enim enarrat omnes) [k] glorioſiſſimus ille unus novi orbis inventor *Chriſtophorus Columbus*.

640 Neq. ſane Auguſtini ævo apta quædam videri poterat, quam nonnulli poſt factum adhibendam animadverterunt, cujuſdam ſcripturæ textus interpretatio. Scriptum erat de Apoſtolis: *In OMNEM terram EXIVIT ſonus eorum*; [l] quem quoniam pro comperto habebatur ultra hemiſphærium hoc noſtrum non exiviſſe; id nullam extra illud extare terram, ſin minus habitabilem, ſuadebat. Experientia tamen mo-

a Ut nu.637.

b Pſalm. 18. verſ. 11. *nimirum ſimiliter in* codē *genere mortis peribunt: ita omnia ſimul, ſeu ſimiliter* codemq. genere *conditionis ex nihilo, Deus creavit*.

c Ut ſupra num. 222.

d Gen.cap.2. verſ.4. *& dici etiā poteſt quod virgultum factum ſit eodem die cum cælo & terra quoad virtutem, non quoad actum; dicitur enim*: priuſquam oriretur.

e Joh, cap.8. verſ. 56.

f *Quem tamē Hofman in Lexico Univerſali, negantibus accenſet ex Cicerone.*

g Epiſt. 10. circa medium.

h In Annalibus BAVARORUM.

i In Vocabulario Luſitano & Latino.

k In opuſc. cui nomen: *Viaggio del nuovo mondo*.

l Pſalm. 18. verſ. 5. *cui & illud conſonat*: Prædicate Evangeliū omni creaturæ.

modo doctiores effecti, vocem illam, *exivit*, pro eodem accipimus ac *indubitanter* certiſſimeque *exibit*; ceu petenti amico futuram rem aliquam; non raro in propenſi devinctique animi argumentum, jam illi a nobis ſervitum eſſe reſpondemus. Hanc quidem tradere interpretationem nedum ſinit, ſed jubet inconcuſſum Eccleſiæ oraculum, quo videlicet nuper edocti fuimus, illuxiſſe ultimo ac tandem & reſonuiſſe Apoſtolorum lucem ac vocem (quæ ceteroquin ubicunque ab eorum tempore ſparſæ dicebantur) cuidam vaſtiſſimæ infidelium regioni, hujuſce quoque noſtri hemiſphærii, in qua *nunquam* antea effulſerat, *nunquam* reſonuerat. [a] Admirandum eum virum de tanto opere Eccleſia celebrat, *Congregationis* noſtræ atq. *Patriæ* immortale decus, Venerabilem *Antoninum Ventimiglia*, magnæ Inſulæ *Bornei* Apoſtolum. Cujus profecto laudes (& utinam maximæ ſufficerent!) ſine piaculo præterire non poſſum, qui ſcio, alterum in eo *Moyſen* ultimis hiſce temporibus apparuiſſe; dum poſt redditum iterum ac ſæpius claudis greſſum, cæcis viſum, demortuis vitam, maximam etiam e cælo *oryzarum* copiam (ante Prophetam illum & poſtea inviſum ſemper portentum) præfati vaſtiſſimi *Bornei* incolis qui fame adigebantur ad mortem, iterato ac tertio pluere fecit. [b] Æquum nempe erat, ut qui primus illic Chriſtianam legem tulerat, & quoque, ceu Legiſlator ille, novos fideles pane cæli ſaturaret. Haque propter non laborans populus & manducans, benefactorem ſuum in novum ſibi Regem ſalutavit gratiſſime, ſed humilius ipſe tam altum honorem reſpuit. Is ergo Regno illi (quod prodigiis ſibi parans ingreſſum, adiit) Chriſtifidelibus antehac inacceſſo, Crucifixi Servatoris crucem & fidem intulit, innumeras eidem gentes progenuit, oraculum Prophetarum ineopte complevit, qui *exituram certiſſime* Apoſtolorum vocem, illuc tandem, ad recenſitum Eccleſiæ teſtimonium, primus omnium ac ſolus *exire* fecit, *ubi NUNQUAM Lux Evangelica effulſerat.*

[a] *Ut in Brevi Pōtificio ad* Ven. Antoninū Ventimiglia *demādato, quo illum Apoſtolicum Vicariū Innoc. XII. renunciat: apud* Barthol. Ferro, *to. 2. Apoſtolicarū Miſſionum noſtræ Cōgregationis.*

[b] *Ex relatione de eodem ad Portugalliæ Regem, qui ſūmis votis eam cōfici curavit: apud* Ferro *loco laud.*

De ſacra Chronologia.

641 NOnnulla quæ in de *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, conſulto quidem, prætermiſimus; heic repoſita vides: tunc enim longiores plus æquo fuiſſemus, & nunc propria debitaque ubertate materia deſtitueretur. Maximo fore lumini addiſcendæ hiſtoriæ inter alia *Chronologiam*, ſeu *doctrinam temporum & Epocharum*, inibi diximus; ejuſdem autem rationem diſcutere huic ex tunc loco reſervavimus. Interim quarundam vocum notione imbutum iri animum ducimus: neque enim ambigo futurum eſſe, ut totum Chronologiæ ſtudium inextricabile videatur, ſi non pauca ipſam ſpectantia penitus ignorentur. Quo fit, ut de *Æris* & *Epochis* præcipue nonnihil præfari cupiam. Quæ quidem duo tametſi ferme in

idem recidant; quum utrunque eorum fixum quoddam & certum ſit punctum, de quo annorum numeratio serieſque deducitur, ab homine recto ſane conſilio adſumtum; ſatis autem inter ea diſcrimen intercedit: Æra enim *populum* aut *nationem* determinantem eam habet, punctumque figentem; Epocha vero ſolos *Chronologos*.

642 Sunt qui ab *ære* hanc noſtram Æram derivant; [a] favetque iis, quod ab Hiſpania primum, occaſione impoſiti ſolvendi æris ingentis, eam vocem uſuveniſſe exiſtimetur: alii ab eo, quod ex iſtis notis A. E. R. A. ideſt *Annus erat Regni Auguſti*, male interpunctis, Æræ nomen conflatum ſit. [b] Ærarum celebriores hæ ſunt: *Olympiades* apud Græcos, quarum quævis ſpatium annorum *quatuor* intercludebat; [c] ſic dictæ, quod juxta Olympiam urbem Elidis, quinto quoque ineunte anno fieri certamina gymnica in honorem Jovis Olympici conſueverunt. Per has ſua Græci tempora ſupputare cœperunt ante Chriſti adventum vulgarem (qui & vulgaris æra) anno 776. Babylonienſes ſuam ſibi *Nabonaſſaris æram* conſtituerunt, ab initio Regni illius deductam. [d] Suam & Macedones *Seleuci*, ab imperio hujus, qui primus poſt Alexandrum in Syria regnavit. Æra hac Hebræi poſtquam in Macedonum ditionem devenere, potiſſimum uſi ſunt; mentioque ejuſdem in libro *Machabæorum*. [e] Extat & *Annus Julianus* ab illo correctionis Calendarii Romani ſub Julio Cæſare manum Soſigene apponente excellentiſſimo Aſtronomo, derivatus: [f] tum primum totidem anno conſignati dies perhibentur, quot Sol integrum Zodiacum perluſtrans impendit: factuſq. eſt exinde 365. dierum. Accedit *Hiſpaniarum Æra*, [g] quum per Domitium Calvinum Proconſulem Auguſto devotæ ſunt, magnam æris ſummam quotannis ſoluturæ. Illam uſos olim Hiſpanos, Eulogius Toletanus Antiſtes fidem inconcuſſam facit: [h] ſolenniſque erat in antiquis eorundem conciliis.

[a] *Æra neutro genere veteres Romani appellabant in rationũ libris, qui vulgo articuli dicuntur, Italice* Capi di partita.

[b] Vid. Voſſii Etymol. quam tamen non approbat Baſil. Fabro.

[c] *Verũ apud Lycophronem Interpr. ſpatiũ 50. menſium.*

[d] Anno 747. ante ærã vulg.

[e] Ante æram vulg. 312.

[f] Ante æram vulg. 46.

[g] Ante æram vulg. 38.

[h] In memoriali SS.

643 *Sexta* deinde ordine, quæ tamen ſingulis celebrior, *Æra Chriſtiana* eſt. *Duplex* hæc: atque prima *Vulgaris* dicitur, quam ineunte ſeculo VI. *Dionyſius Exiguus* invexit. Alio prius in Eccleſia, quam ab initio orbis regeniti tempora numerabantur: ab eo inchoanda putavit ille magnus *Exiguus*; quæ quum Chriſtianæ Majeſtati maxime faveret, facile cogitatio ejus obtinuit, ſummoque cum plauſu per fideles omnes *vulgata* eſt. Secunda chriſtianarum æra per longe poſteriores Chronologos inducta fuit: imparem numerandis annis prædictis Dionyſium iſti dilapſo ſeculo incuſarunt, ac de vero computo quatuor ſubtraxiſſe: qua ratione hicce præſens quo ſcribimus, annus non 1732, ſed 36. numerandus eſſet. Attamen & de hoc, in de *Annis Chriſti*, [i] ſermo redibit, & interim *Dionyſianæ* æræ, ut omnes faciunt (quod intolerabilem aliter ingererent confuſionem, majoremque ea, quam ob ſubtractos in *Correctione Gregoriana* [k] ſolos *decem* dies experti ſunt) deſignandos a nobis annos, cum additione

[i] Parte 3.

[k] *Anno æræ vulg. 1582. ſub Greg. XIII.*

ne *vulgaris*, accommodabimus. Eſt tandem Arabibus Æra ſua, quam *Hegira* (ſeu Mahometis fugam) appellitant. Ab eo enim propriæ conſulturo vitæ, cui ob diſcoopertos in Religione errores periodus ultima imminebat, fugam capiente, [a] ſuos Arabes annos auſpicantur.

[a] *Id quod ad an. æræ vulg. 622. contigit 16. Jul. die Veneris, quare hæc dies Mahometanis ſacra eſt.*

644 *Epochas* autem quas quorundam Chronologi in hiſtoria factorum memorabilium rationem habentes, ſibi annis computandis præfigunt; harum triplex eſt genus: aliæ *Sacræ* ſunt, *Eccleſiaſticæ* aliæ, aliæ *Civiles*. E Bibliis *primæ* eruuntur, Judæorumq. hiſtoriam ſpectant: ut univerſale diluvium, Abrahami vocatio, exitus Iſraël de Ægypto, abſolutio Templi Salomonis, cetera. *Alteras* rerum in Eccleſia geſtarum narratio ſuppeditare ſolet; ut pacis per Conſtantinum Chriſtianis demum conceſſæ, Nicænæ Proto-œcumenicæ Synodi convocationis, ac ſimilium. *Poſtremæ* tandem Principatus Regnorumque viciſſitudines concernunt, hujuſmodi ſunt Trojæ captus per Græcos, Romanæ urbis conſtructio, aliique eventus.

645 Æras omnes & Epochas una *Periodus Juliana* in ſe continet, ſeu vices illarum ſola agit. Sic dicitur, quod *annis Julianis* ſuperſtruendam periodum artificialem ad explicandas res non modo illius inſtitutione poſteriores, ſed priores etiam & ab ipſo orbis initio geſtas *Joſeph Scaliger* [b] cogitaverit. Conſtat ea e tribus *Cyclis* Solis, Lunæ & Indictionum in ſe ductis; adeoque annorum ſummam 7980. complectatur, neceſſe eſt. Enim vero *Solaris* Cyclus 28. annis totus revolvitur; quod *Dominicales literæ* (quippe a Dominica, quæ & dies Solis, Cyclum illum ſolarem vocant) denuo poſt dictum ſpatium priorem ordinem reſumant: *Lunaris*, qui & *Aureus numerus*, annis 19. & *Indictionum* 15. ex toto abſolvuntur, poſtquehac in priſtinum redeunt. Hos numeros ſi invicem conferas multiplicesſque, ſummam tibi præfatam reddunt. Interea mirum eſt, quam eruditiſſimi viri periodi hujus utilitatem commendent: cum ea, ſecum quenque ambulantem Chronologiam præferre volunt; ſine ea, omnia illi eſſe cæca & obſcura, ambagibuſque refertam Annalium ſeriem. Profecto id hæc periodus peculiare habere dicitur, quod intra annos 7980. nullus eorum occurrit, qui tres illos Cyclos omnino eoſdem complectatur, ac alius; ſicque inter ſe miro modo annorum ſinguli diſtinguuntur. Quocirca ſi in tradendis hiſtoriis cujuſque anni cyclos illarum ſemper autores appoſuiſſent, nulla jam in Chronologia extaret ambiguitas, quæ nunc occurrit inextricabilis.

[b] *Nimirum immerito adtribui id operis Roberto Lotharingio, Antonius Pagi demóſtrat in ſua Critica tom. 1. diſſert. de Periodo Græcolat. fol. iii. num. xi.*

646 Quoniam vero ante mundum regenitum ignoti erant hi cycli, inde fit, ut non ea quæ ab ipſa exſpectari ceteroquin potuiſſent, Juliana Periodus commoda pariat. Immo id ſolum præferre videtur utilitatis, ut tam certorum quam incertorum ante Chriſtum temporum certam menſuram ſtatuat; ſeu ſit menſura communis minime controverſa,

Digitized by Google

verſa, quæ ab omnibus, cujuſcunque ſint opinionis, Chronologis ex æquo uſurpari poteſt. Exemplo rem demonſtramus. Chronologi omnes qui annos ab orbe condito enumerant, in tanta ſententiarum varietate verſantur, ut vix alter ab altero non diſſentiat: alii quippe quater milleſimo anno, alii pluribus, alii paucioribus ante natum Servatorem mundi, hujus natalem conſignant. Qui tametſi in ſubſequentium annorum computo omnes conveniant; illud tamen quod ab initio profluit, diſſidium in conſequentia prorſus porrigitur, nec ullatenus ſedari poteſt. Recte ergo propterea conſtituta fuit ea Periodus; quippe quum nullis certis alligata ſit circumſtantiis, cuilibet Chronologorum ſyſtemati apta eſt quæ accommodetur. Itaque quum retrograda numeratione facta, primo æræ vulgaris anno decimum Solaris cycli, ſecundum Lunaris, & quartum indictionis adtribuant; jam illam in annum Periodi Julianæ 4714. ea ratione incidiſſe conſtabit, qua nullus alius annorum ejus 7980. præfatum cyclorum ordinem ſibi vindicat. Profecto duntaxat ille numerus in tota Periodo diſtributus per 28. (quot ſunt Solares anni) neglecto *quotiente* [a] relinquit 10. diviſus per 19. (quot & Lunares) relinquit 2. ſectus per 15. (quot alii indictionis) relinquit 4.

a Qui eſt numerus partiũ in quas alius numerus major æqualiter dividendus per aliũ datum numerũ abit, nihilque amplius ex diviſione reſiduũ ſupereſt; ita noſter Hieron. Vitalis *in Lexico mathematico.*

647 Quocirca ſi ut verior (alibi diſcutienda) cenſetur ſententia; natalis Servatoris noſtri dies ad finem anni mundi 4000. ſit conſignandus, communemque æram quatuor integris annis præcedat, jam præſens annus 1732. quo hæc ſcribimus, erit Julianæ Periodi 6445; atque primus creati orbis nonniſi 710. Periodi ejuſdem. Interim tibi mirum minime appareat, ſi hanc Univerſi conditi initium 709. annis antecedere dicatur; id enim ex illorum eorundem cyclorum multiplicatione dimanat, qui omnes nec ſimul inſtituti ſunt, nec niſi intra ſpatium annorum 7980. communi initio concurrere poſſunt; adeo ut ſimul ſingulorum primus annus in capite Periodi currere incipiat, non rediturus niſi in ejuſdem fine, qui ad annum 3267. æræ vulgaris, quo illa completur, eveniet. Periodi hujus exactiorem notitiam aptioremque methodum ſe exhibere ait Antonius Pagi, [b] qui & maximi illam facit, & multis commendat. Et quidem etiamſi per retrogradam annorum æram Chriſtianam vulgarem antecedentium computationem, certus fortaſſe cuique rei annus conſignari poſſit (ut ſi dicatur, Olympiadem primam inſtitutam ante Chriſtum anno 776, vel conditam Romam ante 753.) hic tamen numerandi modus cyclos cuilibet anno ſuos repræſentare non poteſt, ex quibus varia commoda in Chronologiam redundant.

b In ſua **Critica** tom. 1, diſſert. de Periodo Græco-Romana fol. iii. num. x.

648 Quoniam autem ultra characteres hos temporum artificiales & inconcuſſos qui ex prædictis cyclis conficiuntur, alii quoque ſunt, ſeu diverſæ quædam *Eclipſes* Solis & Lunæ, a natura nobis ſuppeditati; par eſt, ut de utilitate earundem (tantoque magis quod, ut alibi dictum

dictum fuit, Chronologiam plurimum fulciunt) quam breviſſime diſſeramus. Enim vero quum non omnes & ſingulæ annos ſuos communi initio, dierumque numero auſpicarentur olim abſolverentque nationes, magnam rerum narratarum experiuntur Chronologi confuſionem. Huic ergo levandæ, pellendæque etiam penitus, Eclipſium notitia maxime eſt: quandoquidem adeo illarum una ſuum quo accidit, annum notat, inſignit, ut ab infinito aliorum numero condiſtinguat; nec melius profecto, ſeu planius, habitæ notabilis rei cujuſdam incertum tempus quiſque certum ſibi reddet, & ipſipſum eventus annum deprehendet, quam per Eclipſis notitiam alicujus, quæ ipſo die rei geſtæ aut paullo ante vel poſtea contigiſſe dicatur; quippe ſatis compertum fiet Aſtronomicarum Tabularum beneficio, nonniſi certo illo anno acciderit, neceſſum eſſe, quam tali die contigiſſe Eclipſim narraverunt hiſtorici. Hinc animadvertente Juſtino [a] inſolitam terribilemq; eveniſſe quondam Solis defectionem, ita ut dies ceu nox nigreſceret; ſtellæque apparerent, quum e *Sicilia* in Africam Agathocles illius Rex bellum Carthaginienſibus illaturus transfretaret; Aſtronomi ratiocinati fuerunt, annum illum 3649. mundanæ æræ fuiſſe, ac diem 15. Augusti. Ut propterea parum ſibi ſperent chronologicis in rebus illi proficere, quibus aſtronomicarum tabularum uſus non eſt. Has multi tradunt eruditiſſimi viri, ſed eruditior (liceat hoc mihi dicere) *Guarinus* noſter de *Guarino* in ſua *Cæleſti Mathematica*, dignis ab eo in hoc etiam *Siciliæ* Regno [b] erectis matheſeos monumentis commendatiſſimus, probatuſque omnium ſui temporis ſublimiſſimus.

[a] Lib. 22. cap. 6.

[b] *Præſertim Meſſanæ, ubi Propylæū quod omniū oculos, purgatos quoque, & admirationem trahit, ad noſtrum Templū Ss. Annūciatæ poſuit.*

De Temporis diviſione.

649 DEſcendimus modo, Chronologiam amplius indagaturi, ad univerſi Ævi partitionem, quam variam extitiſſe conſtat pro variis variarum Religionum & vitæ ſtatibus. Gentiles illud *Hiſtorici* apud Varronem in *tres* tantum partes ſecantes, tria totius illius veluti *ſecula* condiderunt. Primum *Ignotum* dixere, ab initio rerum ad *Cataclyſmum* ſeu diluvium *Ogygis* ſe extendens; quod de rebus intra illud tempus patratis prophanæ hiſtoriæ omnino ſileant. Alterum *Fabuloſum*, ab origine poſthac Deorum Græciæ ad Olympiadas; quod de illius ſcribentes eventibus ita hos fabulis permiſcuerint, ut vix inter ea duo diſcerni poſſit. Talis creditur de Argonautis, de Ulyſſe, Helena, Hercule, deque incendio Trojano aliiſq. contexta narratio; a quo etiam fabulandi ingenio Herodotum quem Patrem Hiſtoriæ vocat Cicero, eximere nonnulli dubitant: multa nimirum in eo ſunt, quæ ad ſolam animi voluptatem intruſa apparent. Tum tertium *Hiſtoricum* ſeculum, ab Olympiade prima & deinceps; quod id temporis rerum præclare geſtarum genuina fere narratio in hiſtoriis illuxerit.

650 *Poëtis* autem quoque Ethnicis quadruplex eſt totius Ævi partitio; ſeculumque primum *Aureum* nuncupavere, quod ab exordio regni *Saturni* ad ejus uſque expulſionem peractum eſt, quo terra, uti ajunt, hominibus laborare neſciis ex ſe ſuos prodebat fructus, invicemque juſtitia & pax oſculabantur: ut propterea tempori illi quo Adam in Paradiſo innocens vixit, optime alludat. Secundum *Argenteum*, ſub *Jove* qui penes Virgilium ſerpentes veneno imbuit, lupos & monſtra hominibus nocituros immiſit, terræque ubertatem mortalium labori ſudoriq. demandavit; eaque propter multæ artes adinventæ ſunt; ut inde temporis fluxum ab Adæ caſu ad diluvium adumbret. Tertium *Æneum*, quod Heroas ſeu ſemi-Deos, qui Thebano Trojanoq. bello & Argonauticæ expeditioni præfuere, complectitur, diverſis illis a diluvio ad Samuelem, in quibus quamplura regna extructa ſunt & bella geſta, temporibus accommodandum. Quartum denique *Ferreum* ab *Oreſte* incipiens primaq. Olympiade in poſterum; quod ab eo ſane tempore, ut habet Ovidius illud deſcribens, abruptis totius verecundiæ habenis vitia cuncta in orbem irrepſerint; hinc fraudes, hinc ſævitiæ, hinc violentiæ, hinc omne ſcelerum genus. Quod quidem ei tempori alludere videbitur, quo poſt Salomonem duritiem ſeculi ferrei gens Hebræorum experta eſt: tunc Aſſyriis ſub Rege *Ful* tributariæ factæ Tribus; tunc cædem, Samaria per *Salmanaſarem* devaſtata, in ſervitutem abductæ, regnumq. Iſraël extinctum; tunc Sedecias Rex Juda, mancipatus jam cum exercitu ſuo, in Babyloniam tractus ſub Nabuchodonoſore, qui capta Hieroſolyma Palatium Regale igni devovit, & Templum deſtruxit.

651 Suas etiam Patres, non tamen omnes inter ſeſe convenientes, totius ævi diviſiones produxerunt. Auguſtinus, Nicetas, [a] Gregorius Magnus [b] ab ortu mundi ad interitum *ſex* tantum *Ætates* numerant; *ſeptem* Johannes Damaſcenus cui nonnulli recentiorum plurimum deferunt; alii diverſas efformando partitiones, has ad *decem* uſque perducunt; alii denique pauciores admittunt. Porro hac in tanta dicendi varietate, quæ utique ex cujuſque arbitrio pendet, ſi unius ſententiæ præ alia rationem habere deberemus, ſepties mundi ætates exiſtimaremus potius numerandas, & quod totidem illæ hominis ſint, quarum analogiæ quidpiam priores deferre debent; & quod diebus ſeptem hebdomada quæque evolvatur, ex quorum revolutione ſingula abſolvuntur ſecula. Ita autem exinde harunce ætatum ordo texendus eſſet; videlicet: a creatione ad diluvium; a diluvio ad vocationem Abrahæ populique Dei electionem; ab iis ad ejuſdem liberationem de Ægyptiaca ſervitute per Moyſen; ab hac ad conſtructionem Templi per Salomonem; ab ea ad finem Babylonicæ captivitatis ſub Sedecia Rege Juda; [c] a fine illo, & libertate donata per Cyrum ad CHRISTUM natum; ab hoc ultimo tandem ad Anti-Chriſtum.

[a] In Orat. 42.
[b] Homil. 19. in Evangel.
[c] *Anno ejus XI.*

DE

De Annis Antiquorum.

652 AD rem Chronologicam conferre maxime videtur eorum qui tempore non minus, quam dierum plenidine longe nos præceſſiſſe dicuntur, annorum narratorum diligentiſſima computatio. Invenies profecto, ante-diluvianos homines ad fere *millenarios* duxiſſe annos ſuos; fereque omnes poſt *centeſimum* & *quinquageſimum* annum ætatis progenuiſſe filios, perhiberi. Quod ipſorum optima corporis valetudo, cibique quibus veſcebantur, etiam optimi tantum iis boni contulerint, ut, quam nos, ſuum longius ævum protraherent; miraberis quidem; at penitus obſtupeſces, dum ipſa eadem generandi virtutem ac proximam facultatem quam præformare potius debuiſſent, hanc valde ſero, ac in nobis, perfeciſſe in illis viſa ſunt. Profecto credibile non eſt, patres illos tam longa ætate, aut impuberes fuiſſe, aut conjugibus caruiſſe. Quod ſi eo ſeriorem proportione velis tunc pubertatem, quo vitæ illorum totius annoſitatem majorem; annon etiam & expeditus illis *rationis uſus* maxime quoque ſero præ nobis turpiter illuxiſſet? Quum igitur poſt *decimum quintum* ætatis annum hodierni homines generando plerunq. ſint; nonnullis propterea opinari æquiſſimum viſum fuit, illorum veterum annos menſibus noſtris unice reſpondere, ac menſes triduo: ſicq. centeſimum illud ac ſexageſimum annorum ſpatium quo primum genuiſſe perhibentur, *ſextum decimum* hodiernum præferre, [a] quo communiter modo homines generant; atque adeo ut illi decem ſint unus noſter, & decem noſtri centum illorum.

653 Hos exactiſſimus omnium retulit Auguſtinus [b] juxta ac rectiſſime carpſit: quandoquidem ſic antiquorum nemo, qui ceteroquin pleniſſimi dierum prædicati ſunt, ad centeſimum ætatis annum [c] perveniſſet, quum nullus ad millenarium ſane pertigerit; quin & *Malaleel* & *Henoch*, quum eſſent circiter annorum *ſex*, jam ante novem menſes conceptos genuiſſent filios ſuos, qui 65. parentum anno effuſi in lucem ſcribuntur. [d] Mihi tamen non latet, LXX. Interpretum verſionem veris horum duorum annis & centum alios ſuperſtruere exhibereque, ineunte jam 165, relatos filios progenuiſſe. At quæ unquam de græca ſolicitudo nos tenet, quippe ab hebraicis fontibus, æque ac a Vulgata noſtra longe in hoc diſcordante, quippe vitio Scriptoris qui ex Ptolemæi Bibliotheca primus exſcripſit, facile depravata, quippe inde paſſim in codicibus poſteris corrupta? Nimirum ſi ſupputatio iſthæc græca obtineret, jam univerſali diluvio quod omnem animam viventem (reſervatis in Arca exceptis) extinxit, delevit, Mathuſalem

[a] *Computato anno ex X. mẽſibus qui diebus 36. conſtarẽt, ut Auguſt. infr. citand.*

[b] Lib. 15. de Civit. Dei a cap. 12.

[c] *Quem tamen etiam longe poſt diluviũ pleroſq. exceſſiſſe, novum non eſt.*

[d] Geneſ. cap. 5. verſ. 16. & 21.

omnium maxime longævus [a] quatuordecim annos ſupervixiſſet: porro cum Henoch patre ſuo qui in cælum translatus fuerat, aliquantulum fuiſſe, atque ſecum, quoad diluvium præteriret, vitam degiſſe, quum in Arca commode ſervari potuiſſet; inanis eſt eorum qui LXX. verſioni, corruptæ quoque, in annorum ſupputationibus nimium deferunt tranſverſique etiam aguntur, ac leviſſima perſuaſio.

654. Ut ut autem de hoc; aperte videtur Moyſes, quaſi præfatam litem ex tunc ſibi præſentem habens, ita illam dirimere ac penitus exſufflare, Narrat, diluvium duraſſe annum integrum, atque hunc fuiſſe unum ex numeroſiſſimis illis vitæ Noë: nimirum a die *decimaſeptima ſecundi* menſis, *ſexcenteſimi* anni Patriarchæ hujus quum inceperit, abſolutum deinde eſt die *viceſima ſeptima* menſis item *ſecundi ſexcenteſimi primi* anni Noë, qua univerſa *arefacta eſt terra*. Porro præfatum annum *duodecim* menſibus conſtitiſſe, ac menſes diebus ferme *triginta*, vel luculentius inibi exprimitur: nempe quum facta eſſet pluvia ſuper terram *quadraginta* integros dies., ac mox poſt *centum quinquaginta* alios minui aquæ cœpiſſent; ſtatim inſediſſe Arca ſuper montes Armeniæ die *viceſimaſeptima* menſis *ſeptimi* perhibetur: [b] quo fit, ut *centum nonaginta* hoſce dies ab initio diluvij per *triginta* nos numerantes, profluxiſſe ſtatim noverimus menſes *ſex*, dies *decem*, qui & illis *decem* & *ſeptem ſecundi* menſis Noë diebus ſuperadjecti, jam vitæ hujus *ſeptimum* menſem dieſq. *ſeptem* ſupra *viginti* formabunt. Euntes inde ac decreſcentes aquas ad *decimum* uſq. menſem, cujus die *primo* cacumina montium apparuere, Moyſes deſcribit: expectavit autem Noë *quadraginta* dies, & corvum dimiſit, deinde ſemel & iterum columbam; *viginti* & *unum* diem hiſce tribus miſſionibus complectentibus; [c] ut propterea dies *primus* ſupra menſes *duodecim* illuxerit: & ecce Moyſes: *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram*; & paullo poſt: *Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die menſis arefacta eſt terra*. Quum igitur *primus* Noëtis annus ſupra ſexcenteſimum, primiq. *decem* menſes ultra ſecundum, hi diebus triginta, ac duodecim ille menſibus conſtiterint; prudenterne dixeris (ſi forte dixeris) antediluvianos ejus annos menſeſque omnes alia, parca quidem & valde, menſura Moyſen metitum? quod ſi te modo prudentem jactitas, imprudentiſſimum accuſas ſcriptorem illum, ac peſſimum; ut qui tam altam æquivocationem ab hiſtoria ſua non ſuſtulerit. [d] Qui ergo unam ſemper in toto *Pentatheuco* anni ideam tradidit, nec ſemel traditam unquam mutavit, æquam illius ſemper habuiſſe rationem credendus eſt: ac propterea ſi longe diluvio poſteriores annos noſtris reſpondere minime inficiaberis (ni puta Abraham qui in ſenectute bona defunctus eſt, *provectæque ætatis & PLENUS dierum*, [e] ſolos annos ſeptendecim, 175. illis comprehenſos, vitæ ſuæ conſummaſſe velis) & anteriores quoque fatearis æquales neceſſum eſt. Ut

a *Qui annos 969. feliciter attigit, paullo que ante diluvium ipſomet anno obiit.*

b Geneſ. cap. 7. verſ. 4.

c *Inter corvum enim & primam columbæ emiſſionem ſeptē dies pertranſiſſe innuere videtur ipſe textus, ſic:* Expectatis ultra ſeptē diebus *aliis*, rurſus dimiſit columbam: *hoc enim, aliis, expectationē totidem antea dierum ſignificat.*

d *Multo magis quod poſt diluvium adſtruit Noë vitæ alios 349. annos.*

e Geneſ. cap. 25. verſ. 8.

655 Ut autem redeat, unde divertit oratio; credendum non eſt, haud habentes homines continentiæ propoſitum, eam in matrimonio cælibes ad illam uſque, qua in ſcripturis genuiſſe feruntur, ſervaſſe ætatem. Quapropter *non heic PRIMO GENITI filii commemorati ſunt*, ait Auguſtinus, [a] *ſed quos ſucceſſionis ordo poſcebat, ut perveniretur ad Noë, a quo rurſus ad Abraham videmus eſſe perventum.* [b] Cujus rei quoddam illuſtre ſubdit ex Chriſti Domini Genealogia, quam Divus Matthæus rectiſſime contexuit, exemplum rectius petitum: inibi ſane videre eſt, non priores a parentibus ſuis ſatos filios, ſed qui tantum ad ſuſceptæ generationis ordinem collineant, recenſitos fuiſſe, illorum pluribus prætermiſſis. Ab Abraham genitus Iſaac commemoratur, quanquam hunc *Iſmaël* anteceſſerit; ab Iſaac Jacob, non *Eſau*; a Jacob *Judas & fratres ejus*, qui ceteroquin illum anteiverunt; a Juda *Phares & Zara*, qui tres alios fratres priores ſecuti ſunt; & inde paſſim eadem ceteri ratione. Sed neque profecto minus abſque ſuis prædeceſſoribus fratribus nonnulli antiquiorum referuntur, quam & (ubi opus facto judicatum eſt) quandoque ante illos. Celebris eſt illa *Abrahæ* patriſque ſui *Thare* annorum computatio, in ſcripturis maxime obvia: hunc quem defunctum 75. anno filii ſui Abrahæ perhibent, vix 70. annos natum genuiſſe Abram & Nachor & Aran ſcribunt; ut propterea collatis invicem duobus his numeris, anno 145. oppetiiſſe apparebit, cujus *dies ducentorum quinque annorum* factos fuiſſe ajunt. Negotium hoc quod quibuſvis (nec excipe Divum Hieronymum) alias faceſſitur, ſuſtolles prorſus, ſi quem ceteris ratione dignitatis prælatum, tertio poſt illos genitum Abrahamum credas, atq. centeſimo anno & triceſimo patris ſui, qui ſeptuageſimum agens, Nachor & inde Aran genuerit, [c] Quo quidem tranſpoſitionis genere Matthæus quoque uſus fuit, ubi Judam, ut viſum eſt, fratribus reliquis antepoſuit. Fit inde, ut quemadmodum non qui primo nominatur genitus, ipſe fuit primogenitus, ita nec illos qui longa parentum ætate ac valde ſero nati dicuntur, fuiſſe filiorum primos, credibile videatur.

656 Integrum interea maneat, non eandem ſemper *Ægyptiis* apud quos uno fere ſeculo ab ipſa nativitate Moyſes diverſatus eſt, periodum anni fuiſſe: hic enim menſem olim æquabat, tum auctus ad bimeſtrem, tum quadrimeſtris effectus. *Apud Romanos*, inquit Plutarchus, [d] *ab exordio annus conſtitit decem menſibus, ut apud nonnullos barbaros tribus, & in Græcia apud Arcados quatuor, ſex in Acarania, ÆGYPTIIS menſtruus annus fuit, mox quadrimeſtris*, cetera. Nihilo tamen minus progreſſu temporis eo deventum eſt, ut *duodecim* quoque menſes apud illos æquaret, [e] noſtriſque, additione quinque dierum per Regem *Piſonem* habita, conformaretur. Id quidem nonniſi

[a] Lib. 15. de Civ. Dei cap. 15.

[b] *Et quamvis alios filios qui ad hûc ordinem nõ pertinent, Moyſes recenſuerit; id tamen non obſtat, quoniam id quoq. fecit Matthæus, ubi ait:* Jacob genuit Judam & fratres ejus; Judas genuit Phares & Zaram; *cetera.*

[c] *Ut recte animadvertitur in tabula Chronologica Bibliorum editionis Vitrè; neque enim ſimul eodemque anno illi tres geniti credendi ſunt.*

[d] In vita Numæ Pompilii.

[e] Cenſôrin. in die natal.

vetuſtiſſima ætate obtinuiſſe [a] iccirco tenendum eſt, quod inſtitutus Moyſes educatuſque in Ægypto, non alium quam duodecim menſium annum tenuerit: ſin minus; Hebræorum conſuetudinem reſpexiſſe videbitur, quam Henoch ab Angelo Uriele, quæ ratio eſſet menſium, quæque anni, edoctum inter ſuos induxiſſe nonnulli tradunt.

657 Quoniam vero in *Romanorum* annos hic ſermo noſter evaſit; eos olim decem menſibus conſtitiſſe comperimus, ita ut inchoati a *Martio*, *Decembri* clauderentur. Exinde ſucceſſu temporis duo alii illis menſes ſuppoſiti ſunt *Januarius Februarius*que, quos Numa Pompilius præponens, ab illo annum, quod ad noſtra tunc Sol revertatur, auſpicandum curavit. [b] Quia tamen hi menſes (ſicut & hebraici) ſinguli olim *Lunares* erant, Soliſque curſui minimum reſpondebant, adeo ut nonnunquam frigus æſtivis menſibus, & hyemalibus calor proveniret; intercalaris inde menſis, *Epactas* dies continens, Hebræorum adinſtar [c] inſtitutus eſt. Verum confuſa adhuc hæc ratio admodum viſa fuit, ut quæ menſium initia ad novilunia non referebat; quam ob rem Imperator Julius Cæſar, [d] neglecto lunari, ſolarem annum invexit 365. dierum, queis quarto quoque anno quem *Biſſextilem* vocant, [e] unum amplius ſuper-addendum mandavit. Atque hic (accedente Gregorii XIII. P. M. correctione [f]) ille eſt, quo in præſentia utimur, annus.

a Vide Calmet in Diſſert. de Chronol. commentariis Geneſis præfixa.

b Plutarchus loc. cit.

c Cujus tamẽ intercalaris menſis quẽ fere omnes cõmẽtatores Hebræis fuiſſe uſui dicunt; nullum eſt in ſcripturis veſtigium: vide Rupertum lib. 4. in Geneſ. c. 12.

d Ut ſupra num. 642.

e Quod menſe Februarii cui tunc dies alius ſuperadditur, bis dicatur ſexto Calend. Martii.

f Ut ſupra num. 643.

De conſummatione & fine temporum.

658 Vetus fama eſt, quam e *domo Eliæ* [g] Hebræi deducentes per manus Patribus tradidere, *ſex mille* duntaxat *annos* mundum hunc duraturum: cujus profecto rei ita poſtea in ſuo *Talmud* [h] expreſſam iidem mentionem fecerunt: *Sex mille annorum mundus, & deinde conflagratio: duo millia inane; duo millia Lex; duo millia Meſſias; & propter peccata noſtra quæ multa ſunt, deerunt anni, qui deerunt.* Quæ quidem horunce duorum millenariorum unicuique parti temporis aſſignata portio certam quandam indeterminatam in re menſuram, [i] illo determinato licet vocabulo comprehenſam, ſignificet modo apud ipſos neceſſum eſt; ni alias (quod jam quater annorum mille ab initio orbis defluxerint) adventurum inde Meſſiam adveniſſe velint, fruſtraque ab iis expectari. Aſt eam ſemper veteres pro *veris* ſex millenariis traditionem intellexerunt: quam rem inde etiam quidam colligunt, quoniam *ſex diebus* creavit Deus venuſtavitque mundum, & *ſeptimo* feriatus eſt; ut propterea totidem eidem conſervando annorum millenaria impenſurus credendus ſit. Ait enim Petrus Apoſtolus: [k] *DIEM UNAM apud Dominum eſſe MILLE ANNOS & mille annos ſicut unam diem,*

quin

g Sive hic fuerit Thesbites, *ſive alius.*

h Fol. 9. c. 1.

i Sicut in Apocal. mille anni *ad quos Satanas detruſus eſt in infernum, certum quoddam longũ tempus deſignat.*

k Ep. 2. cap. 3. verſ. 8.

Digitized by Google

quin & ante ipſum Regius Vates : [a] *MILLE ANNI ante oculos tuos tamquam DIES.* Eodem etiam recidit, quod poſt *dies ſex* adſumſerit Jeſus tres diſcipulorum ſuorum in montem excelſum & transfiguratus ſit ante illos ; [b] cui præſto Gloſſa : *Quum autem tranſcenderit ſex dies, novum Sabbatum ſabbatizat exultans in monte excelſo, in eo quod videtur transfigurari ante oculos cordis noſtri.* Sed neq. aliam præterire expedit petendam conjecturam ex *Henoch*, qui *ſeptimam* humanam complens generationem, [c] vivus in cælum translatus eſt ; quo & *ſeptima* mundi alia futuram omnium reſurrectionem non incongrue præſignat.

659 At quoniam juxta LXX. Interpretum verſionem olim jam credebatur nonniſi poſt quintum ab orbe condito millenarium aliquotque annos Servatorem hominum in terris apparuiſſe ; hinc ab Eccleſiæ ferme incunabulis ſupremum vitæ diem mundo imminere, magnos viros ſuſpicio tenuit. Hæc Theſſalonicenſes vivente Paullo invaſit, quos is graviſſimis propterea verbis conſolatus eſt,& longius quam quum putarent, abeſſe docuit. Hæc *Severo* in fideles ſæviente, Tertulliani tempora ſubiit, quod in dies perſecutio graſſaretur, & AntiChriſtum præcurrere videretur. Hæc, *Arianiſmo* ingruente, ſupparium Patrum animos occupavit, ut Hilarius [d] jam adeſſe diem Domini præ foribus exiſtimaverit; uti etiam Baſilius, [e] Ambroſius, [f] Chryſoſtomus, [g] Gregorius Magnus [h] aliique ſuorum temporum calamitatum rationem habentes. Poſt decimum Eccleſiæ ſeculum, quod juxta veterum opinionem finis fuit ſexti millenarii, decreſcere a timore de proximo fine orbis paullatim animi cœperunt : hinc templa & ædificia ſuperbiora erigere adgreſſi ſunt ; multumq. contulit, ne proxime poſtremus dies inſtare crederetur, translatio Bibliorum per Hieronymum habita,in qua nonniſi 4000.conditi orbis ante Chriſti nativitatem anni ſupputantur ; [i] ac proinde duo amplius ab eo millenaria, ſextum illud mundi completura, ſupererunt, diemque ultimum præceſſura.

660 Verum quum neque Angeli Dei nec *Filius hominis*, ut homo eſt, diem Domini revelatam habere dicantur, [k] queis ceteroquin ſcripturarum cunctarum ſenſus ac latebras patere ſuaſum eſt, ſapientiſſimi enim ſunt prophetæque omnium maximi ; vanum propterea videbitur adfirmare, Spiritum Sanctum in ſacris Bibliis hinc inde multa ſcripſiſſe ac veluti ſeminaſſe, quibus myſtas ſuos de poſtremo mundi die,qualis nempe hicce futurus ſit,admoneret. Enim vero congruentia illa ſuperior de ſenis creationis mundi diebus, qui totidem annorum millenariis ejuſdem conſervationis reſpondeant ; planiorem qua elidatur, alteram patitur ; *in medio* ſcilicet *annorum notum factum* orbis Reparatorem, [l] atque adeo uti *quater* eum mille anni præceſſerunt, ſic & quater totidem alii ſubſequentur. *Octavo* quoque millenario futuram omnium generalem reſurrectionem (æquo momento ac jam

dicto)

a Pſalm. 89. verſ. 4.

b Matth.cap. 17. verſ. 1.& 2.

c *Nimirum Adam genuit Seth, Seth Enos, Enos Cainan, Cainan Malaleel, Malaleel Jared, Jared autem Henoch.*

d Contra Auxent. num. 5.

e Epiſt. 71.

f Lib. 10. in Luc. cap. 3.

g Homil.33. in Johan.

h Lib.4. ep. 34.

i Ut in de Annis Chriſti parte 3.

k Marc.cap. 13. verſ. 32. *Chriſtus enim homo ſcivit judicii diē nō qua homo, ſed qua homo-Deus:nēpe vi nō humanitatis, ſed divinitatis ſuæ : ita Ath. ſer. 4. contr. Arian.*

l Habacuc cap. 3. verſ. 2.

Digitized by Google

dicto) præſignaſſe Chriſtus Dominus viſus eſt, qui octavo, hoc eſt, ſeptimum proxime ſequenti die, reſurgere voluit. Interim ſuis plene auſis excidiſſe quamplurimi deprehenſi ſunt, qui de die illo omnibus tacito certam quandam, ut revelato ipſis aut noto, ſententiam protulerunt. *Fluentius* Florentinus Epiſcopus [a] an. 5. ſeculi XI. jam natum Anti-Chriſtum dixit; Abbas *Joachimus*, poſt an. 60. ſeculi XII. *Arnaldus* de Villanova ipſo an. 26. ſec. XIV. S. *Vincentius Ferrerius* XV. ſec. ſcripſit ad Bened. XIII. Anti-Chriſtum in limine eſſe, cujus ortum jam inde a 9. annis per pium quendam Anachoretam reſciverat; Franciſcus *Meletius* an. 40. & *Johannes* Pariſienſis 60. ſec. XVI. Cardinalis *Cuſanus* duobus abhinc annis elapſis 1730. Quas omnes prædictiones jam ex eventu falſas deprehendimus, uti & ſequentes ceu non ſolido fundamento innixas non temere reſpuimus. Petrus enim *Duillæus* ad an. 89. noſtri hujus ſec. Hier. *Cardanus* ipſo 1800. & Joh. *Picus* Mirandulanus ad an. 94. ſec. XX. Anti-Chriſti adventum conſignant. [b] Recole etiam quæ ſuperius [c] fati fuimus, S. Malachiam Hiberniæ Primatem inter hodiernum feliciter regnantem CLEMENTEM XII. atque ultimum illum qui Chriſto claves reſtituet, *decem* & *novem* ſolos alios conſtituere Eccleſiam univerſalem recturos; de quo tamen accipiet unuſquiſque, prout volet.

[a] *Quem propterea Synodus Florentina eo anno dãnavit.*

[b] *Quos omnes congerit Calmet in ſuo Dictionar. Sacræ Script. verbo*, Anti-Chriſtus.

[c] Ut numero 136.

De Anti-Chriſto.

661 PEccati hunc hominem & filium perditionis, quo truculentiorem neminem (nec excipe Judam) aut vidit unquam, aut viſurus eſt Chriſtianus orbis, ſibiq. infernus obſequentiorem, intentis præfixiſve ab eo diu ſceleribus, in Creatorem ſuum blaſphemiis, in Chriſti nomen injuriis & vindictis promtiorem aptioremque miniſtrum inſtrumentumve, *unum fore de hominibus*, Hieronymus conteſtatur, [d] *in quo Satanas habitaturus ſit corporaliter*. Dæmonem quoque ac perditiſſimam feminam, illi ad libidinem morem ſolitam gerere, ejuſdem futuros parentes nonnulli arbitrati ſunt: [e] quidam vero ex inceſtu patris cum filia, vel filii cum matre eum derivant; quemadmodum vulgo parentes alii ex viro & muliere ambobus Deo ſacris. Qui quidem poſtremi ſi ſcirent, de gente ſua oriturum Hebræos Pſeudo-Meſſiam expectare, ſecus non recipiendum (ut qui minus implere videbitur, quæ a Prophetis ſibi prædicta Judæi norunt) hæc ſane illos ſuſpicio minimum ſubiret: quei enim tunc ex matre profeſſione religioſa Deo mancipata (more apud Judæos inuſitato) Judæus homo prodibit, & ab iiſdem recipietur? Quapropter unanimiter ſenſerunt veteres, Anti-Chriſtum parentes ſuos

[d] In Daniel. cap. 7. *cui & illud Apoc. cõſonat*: Beſtia aſcendet de Abyſſo, &c.

[e] Beda in Apoc. cap. 13.

Digitized by Google

ſuos (matrem ſaltim) e ſtirpe Judaica ſortiturum ; cujuſdamque prophetici ſermonis rationem habentes, de *Tribu Dan* futuros interpretantur. *A Dan auditus eſt* (ſic enim Jeremias lamentabatur [a]) *fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra, & venerunt & devoraverunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitatores ejus* : atque hæc porro Patribus cauſſa viſa eſt, cur Tribus Iſraël Johannes in *Apocalypſi* [b] recenſens, eam *Dan* unam omiſerit ; quæ quum in regione *trans Euphratem* adhuc ſubſiſtere crederetur, ex eo inde loco Anti-Chriſtum profecturum dixerunt : id quod in Eccleſia, ætate Divi Hieronymi, [c] vulgatiſſimum habebatur.

662 Natione deſignata, *nomen* inveſtigandum venit : interim *qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ ; numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* [d] Quandoquidem quum tam apud Hebræos, quam Græcos & Latinos alphabeti literæ ut frequentius in numeris uſurpentur ; vulgo inde creditur, relatum numerum 666. valorem literarum nominis Anti Chriſti in præſentia deſignare. At quis ſane ſpiritus revelavit, num beſtiæ nomen hebraice, græce, ſyriace, num vero latine ſcribendum ſit ? quis, num illud perſonam aut dignitatem concernet potius; num nomen erit ab aſſeclis impio illi deferendum; num tandem aſciſcendum ſibi ipſi pro merito criminum ſcelerumque ? Sed ubi quiſquam, inter hæc nobis dubia & obſcura nimis, paullo liberius ſibi lumen affulſurum pollicebitur, ſeq. certiorem efficiendum ; irrito adhuc conatu de inveſtigando Anti-Chriſti nomine laborabit. Profecto isipſe numerus 666. occurrere in variis diverſiſq. nominibus viſus eſt : ſic *Mahometis*, ſic *Jean Vs*, ſic *Martin Lauter*, illi cabala græca, iſte latina in numerum 666. ſinguli exibunt, ſi nominum literas computaveris. [e] Eamq. ob rem ſibi optimam fecit copiam arguendi inconſtantiæ ſummæ cabalarum uſum & ſtudium eruditiſſima illa ſua *Cabalo-machia* [f] C. Berardus Scinfleni, ſeu noſter *Franciſcus Berlendis*, vir præſtans literis, moribus ſuavis, prudentia clarus ; quæ nos omnia Venetiis, dum noſtrates tunc moderabatur, experti ſumus.

663 Quodcunque autem ſit *beſtiæ* nomen, illo Anti-Chriſti horribilius non eſt ; eo ſe regnum Chriſti cujus jura impie uſurpabit, invaſurum docemur : expectatum ab Hebræis Meſſiam jam longo tempore, in ſe primum adveniſſe, gloriabitur ; qui propterea excutere illos e collo jugum jubebit, & ſecum ipſo in mundo univerſis populis dominari. Babylone a Divo Hieronymo [g] aliiſque Patribus creditur regnum auſpicaturus : *Mittet* inde *manus ſuas in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti, per Lybiam quoque & Æthiopiam tranſibit.* Quibus ſubactis, arma contra Hieruſalem [h] cito feret ; redu-

ctamque

[a] Cap. 8. verſ. 16. *cui conſonat illud Jacob Geneſ. cap. 49. v. 17. &* 18. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro: *Salutare tuum* expectabo Domine.

[b] Cap. 7. verſ. 5.

[c] In Daniel. cap. 11.

[d] Apoc. cap. 13. verſ. 16.

[e] *Sed & Sánctiſſ. quoque nomina hocce numero definiuntur, ut* Jehovah, Elion Adonai, *cetera.*

[f] Venetiis edita nonnullis ante annis.

[g] Loco nuper citato.

[h] *Joh. enim ait futurū bellum, ubi Dominus crucifixus eſt. Apoc. cit.*

ctamque mox ſibi, ſuæ tyrannidis ſedem conſtituet: *Extolletur* inde *ſuper omne quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei ſedeat*, a fidei perduellibus adorationes Deo debitas excepturus.[a] Et ecce apparebunt terris duo teſtes *Henoch* &[b] *Elias*, qui 1260. dies prophetabunt, prodigiis Chriſti fidem firmabunt, juſtorum conſtantiæ pluriumque lapſorum reſipiſcentiæ præſidio erunt. In hos totum ſuum beſtia furorem convertet: vincet illos & occidet; jacebuntq. eorum corpora in plateis Hieruſalem *tres* dies cum dimidio, quando à Domino ſuſcitati, per nubem in cælum iterum evehentur. Adhuc *triginta* dies & impius ſubvertetur: tot enim numerabuntur a morte illorum ad ſuam. Nimirum quum ad *Olivetum* montem ſeſe juſti receperint, aſcendet illum beſtia, figetque in vertice tabernaculum ſuum; bellum illis indicet, qui tamen Angelis comitantibus[c] atrocem Anti-Chriſti claſſi diurnam cladem inferent, ita ut ceu torrens occiſorum ſanguis in vallem provolvatur. Interim nemo impio auxiliabitur, *quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui*,[d] mitteturque in ſtagnum ignis & ſulphuris: ſicq. breviabuntur dies illi, ne alias non ſalva fieret omnis caro. Anti-Chriſti regnum, ſeu potius in Chriſtianos dira ſęvitia, tribus ſolum annis cum dimidio abſolvetur: per *tempus & tempora*, inquit Daniel,[e] *& dimidium temporis*: qui & poſterius clariuſque ita proſequitur:[f] *A tempore quum ablatum fuerit juge ſacrificium* (quod non poteſt eſſe aliud quam MISSA) *& poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies* 1290. ſignificatque mox ſtatim, poſt mortem beſtiæ ſupereſſe adhuc mundo 45. ante Judicium dies: *Beatus*, ſiquidem, *qui expectat & pervenit ad dies* 1335.

664 Signa autem Anti-Chriſtum qui venturus eſt, hæc præcedent: *Subverſio* Imperii Romani, quod futuri *decem Reges* inter ſe dividant, & imperiale nomen extinguāt; eorumq. *tres* Anti-Chriſtus ſibi *ſubjiciat*.[g] Siquidem de famoſa illa muliere famoſiori beſtiæ capitibus ſeptem ac decem cornibus prominenti inſidente, ita habet Apocalypſis:[h] *Mulier eſt urbs magna quæ ſedet ſuper SEPTEM COLLES* (ideſt, Roma) *decem cornua ſunt DECEM REGES, qui deſolatam facient illam & nudam, & carnem ejus manducabunt*. Duo item alia comitabuntur eundem: *Miſſio* videlicet Prophetarum duorum, Henoch & Eliæ (claudendi cælum, ne pluat, & in ſanguinem vertendi aquam poteſtatem habentium) quos impius ille poſt eorundem conſummatam prophetiam dierum 1260. furori ſuo mactabit; atque ipſius *falſa miracula*, quibus, dæmone coadjuvante, de cælo ignem deſcendere, beſtiæque imaginem loqui faciet. Duo pariter ſubſequentur: *Everſio* Regni ac tyrannidis poſt annos *tres* cum *dimidio* hujuſce perditiſſimi hominis ejuſdemque infelix interitus; ac tandem poſt dies 45. totius mundi *diſſolutio* & finis: prout ex Danielis prophetia, & Johannis Apocalypſi clarius liquet.

[a] Sic Hieron. Ep. ad Algas.

[b] *Loco Henoch nonnulli* Moyſen *venturum putant, qui ſimul cum Elia* (lex *inde* & Prophetæ, *maximiq. duo teſtes*) *in Thabor apparuit, quiq. in ſanguinem olim vertit aquam: vide Maldon. in Matth. 17.11. Verum de Henoch dictū eſt, translatū eſſe in Paradiſum*, ut det gentibus pœnitentiam, *Eccleſ.* 44. 16.

[c] Lactāt. lib. 7. de div. pretio. capp. 17. & 19.

[d] 2. ad Theſſalonic. cap. 2. verſ. 8.

[e] Capite 7. verſ. 25.

[f] Capite 12, verſ. 11.

[g] Daniel. loc. cit.

[h] Capite 17.

De

De ineptiis Novatorum quoad perſonam Anti-Chriſti.

665 HÆc ſane quum ita ſint; quis quidem non in riſum totus ſolvetur, ſi audierit; Anti-Chriſtum venturum veniſſe jam, & hunc non alium, quam *Romanum* Summum *Pontificem*? O inſulſam, & olido ac recutito hirco dignam ſententiam! Exiit famoſus olim libellus, cui nomen: *Avviſo piacevole alla bella Italia*, [a] quam Autor de omnium impiiſſimi, in ſuo ab ea ſinu foti, adventu monet, ſeque in illum affectata pietate munire ſuggerit. Qui ita alte deſipiunt (quorum antеſignanus & prodromus *Lutherus* habitus eſt [b]) moventur ob id inter alia, quod vox hæc, *Latinos*, in 666. numerum exit: at quis Romanum Epiſcopum proprio hocce nomine appellavit unquam? Amœniores, ſeu inſipientiores ſunt, & in magna copia elleboro egentes, ubi deſcripti nuper Pſeudo-Chriſti characteres Sanctiſſimo Eccleſiæ Paſtori, in myſterium verſa *litera*, accommodant. Præſignatam a Paullo, Judicium præeuntem, *diſceſſionem* [c] nulla habita ad prophetiam Danielis & Johannis Apocalypſim ratione ac reſpectu, de ſola diſceſſione a *fide* (quam Papam deſeruiſſe ajunt) non ab *Imperio Romano*, intelligunt. [d] *Duos* illos *teſtes* promiſſos *Lutherum* fuiſſe venditant *Calvinum*que, aut alios Chriſtianæ Eccleſiæ pſeudo-reformatores, quos Anti-Chriſtus, ſeu Romanus Pontifex, ut loquuntur, inſectatus, perſecutus eſt; inq. eos & aſſeclas *excommunicationis* ignem quaſi de cælo pluere fecit. Sed quoniam plures inde Pontifices mortalem hanc quam degebant, vitam depoſuerunt, quin eorundem obitum univerſale Judicium fuerit ſecutum; iccirco non *perſonam* aliquam, ſed *dominatum* quendam tyrannicum, non Pontificem *in individuo* ullum, ſed Pontificum certam *ſeriem* Anti-Chriſti vocabulo comprehenſam rentur, Romanæq. Sedis prætenſam prævaricationem a ſeculo VI. poſt Magnum *Gregorium* ducunt. Siccine ergo antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem; ſiccine Paulli effatum: *Revelabitur ille iniquus, homo peccati & filius perditionis*; [e] ſiccine Chriſti Domini teſtimonium: *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*; [f] tota hæc *unam* fore Anti-Chriſtum *perſonam* conteſtantia, diſtorte atque ſtulte commentantur pro libito, quin & impie conculcant?

666 Quæ vero contra Catholicos præfati opponunt, meræ ac putæ nugæ ſunt, cumque riſu non minus excipienda: quod jam nempe Papa a fide *defecerit*, ſicque intruſus ſedeat in *Templo* Chriſti: quod ſe exhibens pro capite Eccleſiæ, *tanquam Deum* oſtentet; quinimmo & ſupra omne *quod dicitur Deus*, per hoc quod appellatis *diis* [g] Epiſcopis & Sacerdotibus, ſupremum ſuper eos principatum aſciſcat ſibi: quod

Rr

[a] Ap. Bellarm. to. 2. Contr.

[b] Ap. Laurentiũ Beyerlinck *in Theatro vitæ hum.*

[c] *Juxta illud Apoſt.* niſi primũ *diſceſſio* venerit &c. *creditur autẽ Paullus, ſic obſcure defectionẽ Imperii Romani innuiſſe, ne Romam, ubi ſcribebat, offenderet.*

[d] Jurieu *autem, quẽ egregie impugnat* Boſſuet *in ſua* Hiſtoria Eccleſiarum Proteſtantium, *admittit utique Imperium Romanorũ invadendũ eſſe a X, Regibus ante Anti-Chriſtũ: ſed id jam contigiſſe dicit, quod ſat illud adgreſſi fuerint Britanni, Saxones, Galli, Burgundiones, Viſigothi, Suevi, Wandali, Alemanni, Oſtrogothi & Gothi.*

[e] 2. ad Theſ. cap. 2. verſ. 3.

[f] Joh. cap. 5. verſ. 43.

[g] *Juxta illud:* Dii eſtis vos.

Digitized by Google

quod faciat *ſalſa miracula* Laureti apud ſtatuam *Beatæ Virginis*; imprimatque ſubditis *characterem* beſtiæ, dum frontes eorum ſacramento *confirmationis* ſignat. Quæ omnia ex Daniele, Paullo & Johanne notæ ſunt Anti-Chriſti. In his autem quiſquiliis non immoror; facili nempe quiſq. eas negotio exſufflabit, juxta ac admirabitur Novatorum malitioſum quo nonnulla prætereunt, ſilentium: ac præſertim, fore ut præfatus perditus homo a Judæis quibus prima regni munia deferet, in *Meſſiam* recipiatur; quum id nec in minimo affingi valeat Romanorum ulli Epiſcoporum, quippe qui omnes illis maxime infenſi; ac ſi noſtrum *PAVLLVM IV.* ſpectemus; hic ſummo fidei amore percitus nedum *SS. Inquiſitionis Tribunal* [a] in eos (uti & alios Chriſtiani nominis hoſtes) *primus* erexit; [b] verum etiam ut a Chriſti-fidelibus vitentur prorſus ſegregenturque, & *obſeratis contuberniis* degere, & *glauco pileo* incedere juſſit, additiſq. pœnis obtemperare coëgit. [c] Hæccine ergo ſunt Anti-Chriſti-Romani-Epiſcopi indicia?

[a] *Quod PP. Dominicanorū, quia ſemper ab ipſo initio in defenſione fidei Hęreticorumq. oppugnatione ſteterūt, zelo et curæ commiſit.*

[b] *Vt inter alios noſter* Antonius Caraccioli *ab editis dignis operibus morūq. ſanctimonia clarus, in vita ejuſdē Pont. Max.*

[c] *Idem* Carace. *cū aliis.*

DE CREATIONE HOMINIS.

667 QUum *verbo* omnia condidiſſet; hunc *manibus*, quo plus genitoris inde præferret, dignatus eſt Deus plaſmare ſuis, [d] atq. fingere benigniſſimus: ſumma ex eo in ipſum elaborandum incumbentis ſupremi Artificis cura & ſtudium luculenter ſignificatur, cui multum dignationis & honoris divina bonitas & ſapientia contulerint. Formato ſiquidem corpore de limo terræ cervice ſurſum erecta, inque ſuperiora cæli altiſſimaque tendente, quo imaginem Creatoris ſui exprimeret etiamnum; [e] cor ſuum in illud effudit, in cujus faciem inſpiravit, & factus eſt HOMO in animam viventem. Porro ut a Bono bonus proceſſerat, ita & Deus, ut ille ſui diffuſivus eſſet, inque Filiis jucundaretur extemplo voluit; eamq. ob rem de *ſocia* ei comparanda cui adhæreret, ſolicitus cogitavit. Immiſſo igitur in eundem ſopore (quem profundiſſimam *exſtaſim* ad ipſum uſque divinæ ſubſtantiæ *intuitum* credidit Auguſtinus [f]) tulit unam de coſtis ejus, [g] & quaſi de corde viri prodentem mulierem ædificavit ei in uxorem. Hinc *Adam*, hinc *Eva*: ſic ille, quod de *terra* prodierit; ita hæc, quod in *matrem* omnium *viventium*; dicti ſunt. Sed & altera quoque nomenclationis *Adam* cauſſa Patres tenuit: quatuor nimirum illius literas, totidem mundi plagarum de quarum terra promiſcue formatum ajunt, initialibus ut reſponderent, uſurpatas exiſtimant: græce nanque *Anatole* dicitur Stella Oriens; *Dyſis* Occidens; Septentrio *Arctos*; & Meridies *Meſembria*. Nec putant græcam originem *hebræo* nomini *Adam* officere; quoniam & græ-

[d] Eſdr. lib. 4. cap. 8. verſ. 44.

[e] Auguſt. & alii PP.

[f] In cap. 2. Geneſ.

[g] *Id quod (lepide alias) myſtice relatū opinatur Cajetanus, ut Adamū fuiſſe* Hermaphroditum *indicaretur.*

Digitized by Google

& græcum *Cephas* hebræo Simoni, ad ſignificandum *caput*, Chriſtus indidit. Amœnis etiam quibuſdam alia eſt Evæ nominis ratio; ut per illud parvulorum ab ea prognatorum ejulationi alludatur: maſculus enim ut naſcitur, ejulando iterato, *A*, profert, quaſi Adam nuncupet; femina, *E*, quaſi Evam; unde Poëta: *Dicent*, *E*, *vel A*, *quotquot naſcentur ab EvA*. Sed quos divina ſua ſummus Artifex manu conſtruxerat, nullusque ſecum, cui ſeſe accommodatum iret naturæ Autor; putaſne convenientibus inde dotibus ipſi caruerint? plures quinimmo illis contulit, & quæ corpus & quæ animam maxime decebant. Ætate perfecta, ad generandum replendumque mundum ſatis idonea, [a] ordinataque corporis magnitudine (ut animalia cetera & arbores) ac pulchritudine omnium præſtantiſſima, dignaque, ut e ſuis immediate manibus prodiret, venuſtavit eos; *diſciplina intellectus replevit illos; creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, bona & mala oſtendit eis:* [b] ita ut qui jam *boni* elogio creaturas alias amantiſſimus decoraverat; dein iis inſpectis, *VALDE bona* eſſe omnia, gratulatus ſibimet ipſi, rectius exclamaverit.

De Imagine Dei in Homine.

668 **P**Arum ſibi Deus videbatur contuliſſe homini honoris & gratiæ, niſi ad ſuam quoque imaginem ſimilitudinemque expreſſiſſet. Tanta hæc una eſt, ut vel ex ea operis illius maxima dignitas & præſtantia commendetur. Pervetus autem hæc quæſtio; in quo imago illa ſita ſit. Hæc tametſi hominibus inſit, longe admodum remota ab humana intelligentia viſa fuit, ut in varias Patres ipſos partes abduxerit. Late omnes proſequitur Epiphanius ac refellit: [c] putatque nec in corpore eſſe poſitam, nec in anima, nec in virtute, nec in baptiſmo, aut alia re quapiam illucuſq. hominibus cognita. Verum id nos abſterrere non debet, quo minus inveſtigare animum inducamus, atque inſimul conſtituere, quatenus homo ad imaginem Dei factus dicatur. Integrum interea ſit, in humanis eam membris collocandam non eſſe; putidum nanque eſt *Audianorum* commentum, atque omnium deterrimum, quo & corporatum Deum, & carneis artibus inſtar hominis gravatum intrudere auſi ſunt: quare illa conſule, quæ de *Antropo-morphitis* loco ſuo [d] diſſeruimus: inibi plura cum præſenti ſermone connexa diſputavimus. In eundem ordinem humano corpori divinam imaginem imprimentium, redigendi ſunt *Tertullianus* [e] & *Eugubinus*: [f] quippe hic, quod Verbo Dei ut homini ex tunc perſonato; [g] ille, quod in humana carne dein venturo conformandus eſſet homo producendus, eam imaginem intelligendam pu-

[a] *Equidem ab eorũ creatione dictũ eſt illis*: Creſcite & multiplicamini: *nec illud* creſcite *Adamum puerum exhibet, quem creſcere oporteret, ſed ut creſceret genus humanum in ejus filiis; ſicuti & Noë jam 600. annorum dictum fuit poſt diluvium. Ætas autẽ perfecta cẽſetur illa, in qua omnes reſurgemus, quæ erit juxta Apoſt.* ſecundum ætatem plenitudinis Chriſti.

[b] Eccli cap. 17. verſ. 5.

[c] Hæreſi 70.

[d] Num. 208.

[e] De reſurr. carnis cap. 6.

[f] In Coſmopœja f. 46. p. 1.

[g] *Seu in forma humana, qua mox, ut ait, ſe homini cõſpicuum exhiberet.*

Digitized by Google

putantes. Hi porro vana locuti ſunt, vaneque Deum loquentem introduxerunt: quid nempe ſibi iſta tum vellent: *FACIAMUS ad imaginem NOSTRAM?* Filius quidem nec, *faciamus*, dixiſſet; plurali enim de ſe numero ſingularis perſona neutiquam loquitur; prout omnes contra Judæos uno ore Patres teſtati ſunt; neque Pater aut Spiritus S. ad imaginem dixiſſent *noſtram*, ſed *tuam*, Filium ambo adloquentes, cumque eo inſimul operantes.

669 Iis propterea miſſis, atque illis qui myſticam interpretandi rationem ſubjiciunt, & imaginem hanc in ſanctitate, juſtitia & alia quavis moralium virtutum conſtituunt; celebriores duo ſunt omniumque vulgatiſſimi dicendi modi. Johannes Chryſoſtomus, [a] quoniam Deus poſtquam dixit ſe velle facere hominem ad ſimilitudinem ſuam; ſubjunxit: *Et PRÆSIT piſcibus maris, volatilibus cæli & beſtiis terræ*; in hoc ipſi omnium ſubjectarum creaturarum *dominatu* divinam in homine imaginem collocat. Auguſtinus vero [b] nonnullique alii Patres (quoniam, ſecundum *Trinitatem* Perſonarum, definiendam præfatam ſimilitudinem, pauci ex tota antiquitate ſunt qui non ſentiant) ex tribus animæ noſtræ potentiis, *intelligentia*, *memoria* & *voluntate*; ſive (quod adhuc propius videtur) *mente* ipſa, *cogitatione*que qua ſe mens percipit, & *amore* denique quo proſequitur, repetendam eam aſſeverant. Quæ duæ quidem explicandi rationes tametſi ad perfectam imaginis ac ſimilitudinis complendam ideam ſingulæ potiſſimum conferant; ſpeciale quiddam homini non proferunt: ſuo nempe modo etiam *bruta* facultatibus illis prædita ſunt, & propriiſſime quoque *Angeli*, qui & præterea dominatum in gentes quum habeant & populos, [c] cæleſtiaque forte moderentur; *nuſquam* (eodem Chryſoſtomo atteſtante [d]) *neque filius, neque IMAGO nominantur: homo vero utrunque dicitur*.

670 Sed ne pluribus Lectorem meum in iſta ſententiarum varietate diſquirenda ſuſpenſum teneam, & ut quæ mea ſit, tandem explicem; meminiſſe juvabit Epiphanii verborum; imaginem illam nec in corpore, nec in anima locandam eſſe: hinc niſi eo referre nos debeamus, quo quemadmodum omnia *propter ſe ipſum* operatus eſt Dominus, ita & *propter hominem* viſibilia cuncta produxerit (uti & olim Eſdra innuere viſus eſt: [e] *Tu ei imago nominatus, quoniam ſimilatus es ei, PROPTER QUEM omnia plaſmaſti*) alia nobis tenenda via erit. Quandoquidem non tam videtur Deus feciſſe hominem ad imaginem ſuam, relate ad *terminum* actionis (id quod ultra & aliis commune eſſe poteſt) quam relate ad *actionem* eammet (homini propriam & ſpecialem) qua eum creavit. Enim vero ut ex Symb. Athanaſii: [f] *Pater a NULLO eſt factus*; *Filius a Patre SOLO*; *Spiritus Sanctus a Patre ET Filio*; ita Adam a *nullo* (homine ſcilicet) eſt factus; Eva ex Adam

ſolo;

[a] Homil. 10. in Geneſ.

[b] Lib. 9. de Trin. capp. 4. & 11.

[c] Ut loquitur Methodius lib. de Caſtitate apud Photium.

[d] Homil. 3. in cap. 1. 15. Epiſt. ad Coloſſ.

[e] Lib. 4. cap. 8. verſ. 44.

[f] *Ut etiam ex Symb. quod ad miſſarũ ſolennia dicitur:* Credo . . . in Filium *ex* Patre natum . . . & in Spiritũ S. qui *ex* Patre Filioque procedit.

Digitized by Google

ſolo; Filii ex Adam & Eva ſimul procedunt: quæ quidem ſola procreationis ratio nonniſi homini extitit *ſingularis*, *nihil*que aliud *poteſt in eo reperiri alicujus pretii cujus non ſit Angelorum natura particeps.* [a] Atq. hunc etiam excogitare novum ſimilitudinis modum ſcripturæ ipſæ, (quid credas?) ſufficiunt: *Creavit*, inquiunt, *Deus hominem ad imaginem ſuam* (ac veluti ſeſe explicent, ſubdunt) *ad imaginem Dei creavit illum*, *MASCULUM & FEMINAM creavit eos*, & *ait*: *CRESCITE & multiplicamini*. Ubi nota ſcripturarum dicendi proprietatem: non *imago*, ſed *ad imaginem* factus homo dicitur (nimirum inter ambo hæc intereſſe aliquid, multorum Patrum habet opinio [b]) quo vox illa non tam hominem faciendum, quam, *faciamus*, ipſum verbum adficere ſignificaretur, divinaſque potiſſimum adumbrare *proceſſiones*.

671 Decus iſtud divinæ auguſtæque imaginis humano generi unice adſertum vindicatumque, tametſi eatenus eidem dignoſcitur convenire, quatenus relato modo ab ipſo ſui exordio primum proceſſerit; non vetat tamen, quo minus ea ipſa præſtantiſſima denominatio in ſingulos quoque poſteros, ut capiti membra concordent, derivetur. An quia Deus genus hominum de terra terrenum in *ſolo* primo fecit, non ceteris; hos ipſe arguet mendacii, ſi & ſe *de terra* æque *formatos* cum Propheta confitebuntur? Singuli de terra orimur, ſingulique, in hac etiam cogitatione noſtra, ad imaginem divinam cuncti procedimus, quorum ſingulorum ad imaginem Dei deque terra proceſſit ortumque eſt humanum omnium genus. At ſi malueris fortaſſe, unicuiq. propriam, divinam ab homine præferri imaginem; eſt & alia qua votum tuum recte conceptum rectiſſime impleas, tantumque in te manebit quantum volueris. Eam Dei gratia in nobis imprimit, conformeſque facit imaginis Filii ſui; peccatum vero delet: de qua ſi nonnullas, ut par eſt quidem, ſcripturas interpretaberis; [c] cogitationi huic noſtræ cui ſecus ipſæ adverſari viderentur & interiorem aliam ſimilitudinem inducere, minime refragabuntur.

De Paradiſo Terreſtri.

672 PAradiſus voluptatis, quem Moyſes primo homini Deum ab initio [d] plantaſſe narrat, eumq. Baſilius locum ait fuiſſe *omnifariam affluentem, omnem creaturæ ſenſibilis exuberantem pulchritudinem*, [e] ac Damaſcenus, *Lætitiæ & voluptatis omnis promtuarium*; a Willelmo Pariſienſi ſic dictus creditur, *quaſi parans Dei viſum*, eo quia divinæ pulchritudinis quæ videtur in cælo, radius erat micantiſſimus. Vox hæc *Paradiſus* vel Perſica eſt [f] vel Hebræa [g] utroque *Hortum* idiomate conſignans: cujus propterea magnitudo ta-

lis

a Methodius in lib. de Caſtitate apud Photium.

b Inter quos Victorinus lib. 1. de Trinitate, qui ait, Filium imaginē eſſe, hominem vero ad imaginem.

c Ac præſertim locū illum Paulli ad Eph. 4. Renovamini ſpiritu mētis veſtræ, & induite novū hominem; *adjuncto illo ad Coloſſ.* 3. Induentes novū hominem, qui renovatur in agnitionē Dei ſecūdum *imaginem* ejus, qui creavit illum.

d Seu quo plantæ & ſtirpes exire juſſæ ſunt, non vero ab initio rerū.

e In Homil. de Paradiſo.

f Juxta illud Xenophontis: Hortos quos Perſę *Paradiſos* vocāt.

g Juxta Eccl. Fecit mihi hortos, & *paradiſum*.

lis rectiſſime creditur, qualis vaſtiſſimum viridarium decebat; infra tamen quatuor vel quinque dierum ſpatium. Tanta profecto requirebatur extenſio, ut in eo eſſent campi, vineæ, ſylvæ, prata, ferarum vivaria, & quidquid ad amœniſſimum eundem conſtituendum maxime conducebat: latior autem magnitudo, quam dicta, eum recte vocari *hortum* haud permiſiſſet, ſed vel provinciam vel regnum. Nec quidem neceſſe erat, ut ſinguli Adami poſteri inibi remanerent; debebant enim multiplicari & replere terram: potuiſſent tamen ad libitum Paradiſum adire ſæpius, fructum vitæ decerpere, alibiq. etiam inſerere. Nihilo autem minus inventi ſunt, [a] qui figurate Paradiſum ſic accepere, tanquam univerſus hic *mundus* (quod aliter quatuor ingentia illius flumina ex eo loco manare nequeant) vocabulo illo ſignificetur.

673 Hi tamen tolerabiliores ſunt illis, qui totam Geneſis de eo nitidiſſimam ſimpliciſſimamq. narrationem neſcio queis *tropicis* figuris *allegoriis*que amandarunt. Philonem Judęum in hoc Origenes ſecutus eſt, in quem propterea Epiphanius, [b] ſeu verius, apud ipſum Methodius invectus fuit; eumq. ex eo plurimum cauſſari refert, quod raptus ad *tertium cælum* Apoſtolus ſe fuiſſe in *Paradiſo* ſtatim ſubdiderit: ſubindeq. colligebat, Paradiſum hunc de quo agimus, ipſiſſimum cælum eſſe ſpirituum Beatorum, illius arbores Angelos, flumina gratiam, obedientiam vitæ lignum, inobedientiamque ſcientiæ aliud, ſeu mortis; ac tandem ejectionem Adam ex illo, nil ſane prorſus, quam animarum prævaricantium, longe antea, ut putabat, procreatarum, e cælo ſuperiori deturbationem, & in hanc terram, identidemque in mortalia corpora, illapſum. Verum conceſſum fuiſſe primis noſtris Parentibus ſub cælo locum felicitatis præcipuæ promtuariumque deliciarum, quem Paradiſum ſcriptura nominat; præclara jam ipſa de illius medio manantia flumina invicte conteſtabuntur: *Nomen* ſiquidem [c] unius *Phiſon*; *ipſe eſt, qui circuit omnem terram HEVILATH*; *ſecundi Geon, qui circuit omnem terram ÆTHIOPIÆ*; *tertii Tigris*; *ipſe vadit contra ASSYRIOS*; *fluvius autem quartus ipſe eſt EVPHRATES*. Neque enim, ni fallor, ad ſe de cælo venientes præcipites eos fluvios nationes unquam illæ ſuſpexerunt.

674 Ex his autem recenſitis fluminibus ut certo certius quibuslibet evincendus eſt in terra Paradiſi ſitus, ita & prope certo nonnullis intra fines *Meſopotamiæ* & *Arabiæ* orientalis non longe a Chaldæa & Syria Damaſcena, quod inibi Tigris & Euphrates alveos ſuos conjungant, viſus fuit optime collocandus: eo vel maxime quia ſumma præſtant ubertate Regiones illæ, ac fructuum ſuavitate, omniſque generis deliciis, variis etiam naturæ dotibus multo alias antecellunt, ut Strabo & Curtius dixerunt. [d] Hoc ſane indicium videtur proximi Paradiſi, cujus elegantia & ubertas in eas quoque Regiones refluxerit redundaritque.

[a] Sic Johannes Noviomagus in Scholiis ad cap. 2. Bedæ de natura rerum.

[b] Hæreſi 64.

[c] Geneſ. cap. 2. verſ. 11, 13. & 14. *dubium autem eſt de duobus primis fluminib.* Phiſon & Geon; *Poſt Joſephum hebræum pleriq. PP. intelligunt* Gāgem & Nilum; *at quoniam Ganges occidentaliſſimus Indiæ eſt, a reliquis tribus maxime diſtans, e Scythicis mōtibus alluviē trabēs; hinc, per* Phiſon, *fluvium* Indum *modierniores intelligūt, terræ Hevilath, ſeu* Indiarum, *orientaliorem, non longe a ſinu Perſico in Oceanum ruentē.*

[d] Lib. 5.

Digitized by Google

ritque. Poëticis indulgere conceptibus Baſilius viſus eſt, qui ceteroquin rem totam (ſi facilius a diluvio ſalvatum Henoch ſpectemus) fortaſſe fuit adſecutus: locum hunc in arduo poſuit, & altiori multo ea quam nos incolimus, terra, ut *tenebris obſcurari præ altitudine non poſſet, omnium ortu ſiderum irradiatum, & undique lumine circumfuſum.* [a] Porro de ſublimi illo loco ingentia quatuor flumina per montium calles rapidiſſimo curſu præcipitare potuerunt, & occulto dein meatu tum ſub mare, tum ſubtus terram hinc inde in præſignatas a Moyſe regiones erumpere. At quod verum eſt; de certo Paradiſi hujus ſitu ſcripturæ profunde ſilent; & quanquam ad inacceſſam inconceſſamque rem perſcrutandam audax ſæpe hominis genius nihil inauſum & intentatum omittere ſoleat; quodcunque tamen in præſentia dixerimus, divinabimus, in eadem ſemper ambiguitate manentes.

a Tom. 1. pag. 625.

De Arbore Scientiæ & Vitæ.

675 QUum adhuc ordirer, aſtitit mihi *Hieronymus Gravina* Dux Cruyllas, ex Principibus Paliconiæ &c. Magnatibus Hiſpaniarum Primi Ordinis, Aurei Velleris Equitibus, [b] jure Regiæ Sepulturæ, pro ſe & ſuis, donatis [c] &c. amore nobis quam ſanguine propior, quorum quidem altero devinctiſſimus. Hic ſane vir quum pluries ac plurimum ſubiiſſet ingenii ſui vaſtiſſimi periculum, noſtri tandem id quoq. facere concupivit. Enim vero difficultate in medium propoſita: & *duas* communiter dici ſolitas ſcientiæ ac vitæ arbores, & de iis velut *una* ſermonem eſſe in ſcripturis; quoniam in eodem unico *medio*, duorum ceteroquin incapaci, lignum vitæ plantatum dicitur, lignumq. ſcientiæ boni & mali (quod & olim ſibi objectaſſe Gregorium Nyſſenum, paullo poſtea comperimus, ſic loquentem: [d] *Quærimus ex eo qui occulta revelat myſteria, quemadmodum fieri poſſit, ut in MEDIO Paradiſi ſint DUO ligna, alterum ſalutis, alterum interitus: nam quod perfecte eſt medium, tanquam in deſcriptione circuli, omnino UNUM eſt UNO centro*) nobis reſpondendum eſſe impoſuit; alioquin in id concedendum, ut quod duplex *virtute* haberemus utrunque hoc lignum, duplicique titulo aut fine aut tempore manducari vetitum & permiſſum, *re* tamen unicum fateremur. Sed & quanquam nonnullæ eſſent, quas ſcripturæ quoq. ſufficerent, evadendi rationes, atq. unam in promtu habitam tradidiſſemus (ut & quatuor quoq. animalia, & viginti quatuor ſeniores in uno apocalypſici *throni medio* inſimul conſtitiſſe) eam tamen ſubtilem excogitationem, duas in unam vulgares arbores componentem, admodum mirati ſumus, quo de illa exhibere potius, ac novas addere, utique non pœnitendas ſuaſiones, quam diſſolvere decreverimus.

b *Ad finem elapſi ſeculi per CAROLUM II. Auſtriacũ Hiſpaniarum Regem.*

c *Ab anno 1405. donante Martino Siciliæ Rege: id quod etiamnũ viget, præſertim Catanæ.*

d In Procemio ad Cantica Canticorũ poſt medietatem fol. 231.

676 Totum

676 Totum igitur evolvendis Patribus ſedulo animum adjecimus. Quid crederes? non longe poſtea occurrit nobis Sanctus *Procopius* quaſi de cælo obviam factus, ſuam hanc ſibi ſententiam vindicaturus, aliiſque, quod in idem tantummodo coinciderint, conceſſurus gloriam. Hæc nempe habet: [a] *Lignum VITÆ poſuit in medio Paradiſi, ne dum frequenter eam arborem in conſpectu cernerent, quaſi quibuſdam irritamentis illecti, in datam legem committerent.* [b] *Præterea quia præceptum jubebat, ut ILLA ABSTINERET Adam, neceſſario in medio conſliterat.* Ad quæ Haymon Corius: [c] *Ex Procopii ſenſu evincitur eam fuiſſe Dei mentem VITALIS ligni eſum PROHIBENTIS* &c. Sed neq. minori nobis favori *Juſtinum* Martyrem eſſe dices, ubi tantillum ejuſdem verba ſerio perpenderis; en illa: [d] *In hoc loco lignum vitæ & lignum cognitionis plantatum fuit: neque ſunt obſcura, Deum ab initio lignum VITÆ in medio Paradiſi plantaſſe per COGNITIONEM VITAM oſtendentem, qua quum PURE uſi non eſſent, qui ab initio fuerunt, impoſtura ſerpentis nudati ſunt.* Late etiam quem ſibi locutum Beatus *Amedeus* Angelum refert, hic iſtud argumentum ad rem hanc noſtram proſequitur, dum antiquam Evæ in Paradiſo paſſam tentationem exponit; [e] *Mihi crede, ſi comederitis de ligno illo, tu & ſocius tuus eritis quidam Dii omnia COGNOSCENTES, & VIVETIS in æternum: itaque gratia SCIENTIÆ & VITÆ ſempiternæ prohibuit vobis Deus eſum illius ligni, ut parum SCIATIS & minus VIVATIS.* Quapropter luculentiſſime fit, ut illa prorſus eadem arbor quæ vetita & *ſcientiæ* erat, etiam & *vitæ* eſſet; ne in materia unice *facti* deceptam turpiter ſuſpiceris ſapientiſſimam mulierem: tunc enim ab illa vitæ ſat ipſa ſcientiæ arborem diſtinxiſſet. Conſonat proporro Amedei *nova* hæc *Apocalypſis* vetuſtæ inconcuſſæque Geneſi Moyſis, ubi ex eſu vetiti ligni antiquis noſtris incautis Proto-parentibus *vita* & *ſcientia* per ſerpentem compromittuntur: *Nequaquam MORIEMINI ſed eritis ſicut Dii SCIENTES.* Ita etiam optimæ plerunque notæ ſacri alii Scriptores, [f] qui lignum vetitum, modo *vitæ*, modo *ſcientiæ* appellitant: ab eis vero in præſentia recenſendis, quum relati hucuſque, crederem, tibi ſufficiant, ceu mihi ab initio propoſitam brevitatem lædentibus, merito ſuperſedendum & conſultius videbitur.

677 Tantoque magis quod (uti te etiam judicem æquo animo appellabimus, tantum ſi partium ſtudia ſemoveris) non exigui momenti extant pro nobis noſtraque hacce ſuaſione conjecturarum quamplures. Sane quidem, ſi ſcripturæ ille locus: *Produxit lignum vitæ IN MEDIO Paradiſi lignumque ſcientiæ*: duo fuiſſe ligna & non unum (quod ſimul vitæ & ſcientiæ eſſet) in uno ipſo *medio*, quibuſvis legentibus exhiberet; qua quæſo proprietate ac veritate ſerpenti Eva dixiſſet; de *omni* ligno ſibi veſcendum eſſe, *de fructu vero ligni QUOD*

EST

[a] In cap. 2. Geneſ.

[b] *Quod in medio poſitum lignum illud, velut ab aliis circum-poſitis arboribus occultaretur, ſeu non facile aſpectabile inde eſſet.*

[c] In Concordantia morali locorũ Sacræ Script. hoc loco Geneſ. fol. 65.

[d] In epiſt. ad Diognetũ circa finem.

[e] In ſuis revelationibus, *quas Apocalypſim novam &c. inſcribit: extantq. MSS. in nõnullis Biblioth. & inter alias in noſtra Divi Joſephi Panhormi.*

[f] *Inter quos Johan.* Damaſcenus *lib.* 11. *de orthodoxa fide cap.* 11. *velut de Arbore una, ita de ſcientia & vita loquitur*: in media ipſius regione tum vitæ tum ſciẽtiæ arborem Deus plantaverat.

Digitized by Google

EST IN MEDIO Paradiſi defenſam eſſe comeſtionem? [a] Nonne de ligno etiam quod in *medio* erat (ſi illud vitæ aliud erat) ipſa commode veſci poterat, & oblectari quacunque eidem vice libuiſſet? Quei quoque *unum* nonniſi *ſingulare* lignum in Paradiſo medio recenſet, ubi apprime *duo* cæleſtis Agricola ſuperplantaverat? Quæ ergo ſapientiſſima mulier inter hoc & hoc lignum minime diſtinguit, abſoluteque de *ligno* dicit, non de *uno* lignorum; duntaxat inibi lignum *unicum* conſtitiſſe ſingulos quoſq. docet, vel profecto ipſos nolentes: atq. hoc; niſi tantummodo eo deveniant, ut quam *diſciplina intellectus repletam* [b] fatentur ultro, peſſime tamen modo ratiocinatam contendant. *Accedit* præterea, quod Evæ ligni vetiti manducationem cunctanti ob mortis timorem, diabolus tunc dicendo præſto fuiſſet: nihil illi timendum eſſe, dum mox aut illico vel antea de alia veſcendo arbore, vitam ſibi inſtauraſſet. Quocirca veriſimile eſt, lignum illud nonniſi certum *ad tempus* (ut Auguſtinus aliique etiam ſenſerunt) Proto-parentibus noſtris fuiſſe interdictum; ita ut eo ſtatim exacto, ac debito erga Deum præcedente obedientiæ officio, divinaq. benedictione manducari permitteretur, & lignum *vitæ* illis evaderet, undeq. mors oriebatur, inde vita reſurgeret. [c] Hoc autem; ni tibi magis arriſerit, eandem arborem, vetitam manducari *ob vanum* ſcientiæ *finem* adipiſcendæ, fuiſſe tamen permiſſam *ob alium* reparandæ inſtaurandæque vitæ; retuleriſque te illuc, quo prius Juſtinus Martyr; [d] nudatos eſſe nimirum parentes noſtros, quod *non pure* (ſeu ob finem *purum* & debitum) ea incauti arbore uſi fuerint. Tum inde *tertio*, quod ligno vitæ ſanctiſſimam Chriſti *Crucem* Patres aſſimilant. Una hæc; diverſa tamen diverſis in circumſtantiis: mors eſt malis, [e] vita bonis. Apta proinde, quæ unum in Paradiſi centro collocatum ſtatuat lignum, mortem non eo *pure* utentibus, utentibus autem *pure* vitam communicans. Porro duplex hoc munus *ſcientiæ & vitæ*, quod in ſuo arbor illa *fructu* præſtabat; æque Crucis fructus, qui & Crucifixus ab ea pendens, in ſe præferre dignoſcitur, utpote *vita* ſimul & *veritas*, ſeu cognitio aut ſcientia. [f]

678 Eſt *poſtremo* quoque in ſcripturis, ex quo veluti *ad literam* cogitatio hæc tota noſtra eruatur: *Sub arbore MALO*, inquiunt, [g] *SUSCITAVI te, ibi CORRUPTA EST genitrix tua*. Quandoquidem fere omnes qui de iis pertractant materiis, eruditiores Theologi firmiſſime inde tenent, arborem illam nonniſi vetitum lignum, ac propterea *malum* ſeu *pomum*, fatalem prævaricationis fructum fuiſſe. [h] Interim duo textus hujus principaliora notare verba te moneo, & *ſuſcitavi*, & *corrupta eſt*: ſcio enim quid dixerim; profecto futurum credo, ut ex iis ſatis colligas, *unam* eandemq. arborem ſub qua communis genitrix noſtra, ſeu *Eva* (ut iidem vertunt) *corru-*

[a] Geneſ. cap. 3. verſ. 3.

[b] Eccli cap. 17. verſ. 5.

[c] *Eo vel maxime quod* ab eventu *arbor illa ex Auguſtino dicta eſt* ſcientiæ, *quia trãſgreſſoribus* ſcire *fecit, quid interſit inter obedientiæ* bonum *&* malũ *inobedientiæ.*

[d] Loco ſup. cit.

[e] *Habetur enim de Chriſto, quod venerit* in damnationẽ multorum.

[f] *Juxta illud*: Ego ſum veritas & vita. *Joh.* 14. 6.

[g] Cantic. cap. 8. verſ. 5.

[h] Quos recenſet Johan. del'Haye in Bibl. Max.

pta eſt per peccatum, tali etiam virtute præditam & præſtantem fuiſſe, ut nos ſub illa benigniſſimus Dominus *ſuſcitaverit*; vel (quod eodem redit, nec alium ſpectata *litera* convenientem patitur ſenſum) noſtram ſub illa Deus ſuſcitationem *decreverit*. Si ergo ſub eadem arbore *malo* ſuſcitavit nos Deus, ſeu noſtram inibi juventutem ac ſanitatem ſuſcitare ſanciverat, & Genitrix noſtra corrupta eſt; jam non erit ambiguum, quin fuerit eadem qua juventus noſtra ſuſcitata fuiſſet, præclariſſima *vitæ* arbor, atque fatalis illa ſcientiæ & *mortis*, qua omnium deceptiſſima communis genitrix prævaricata & corrupta eſt.

679 Supereſt, locum quendam ſcripturæ difficiliorem maximeq. obvium ut modo pro noſtris viribus expendamus. Habet hic; ejeciſſe dedignatum Deum poſt peccatum e Paradiſo primos parentes, *ne forte SUMERENT de ligno VITÆ, & viverent in æternum*: quo fit, ut de eo illucuſque non ſumſerint, qui de *ſcientiæ* ligno ceteroquin ſumſerunt; ac propterea *duo* fuerint ligna hæc, per duo itidem ligna Crucis (ſi arriſerit) ſignificata. Sed quid ad hæc Auguſtinus, qui utroſque illos de eo jam antea guſtaſſe credidit? quid, hoc ipſum ſentientes & alii? [a] *ironice* dictum iccirco nonnulli exiſtimant, perinde ac proxime antecedens aliud cui concordet, deriſionis genus: *Ecce Adam quaſi unus EX NOBIS factus eſt: nunc ergo ne forte ſumat &c.* Crediderim præterea arceſſendam huc antiquorum ſuperius adlatam doctrinam: decretum videlicet fuiſſe a Deo, ut poſt tempus, ac forte breve, datum illud non comedendi fatalis ligni præceptum ceſſaret; exindeque ipſamet arbor quæ prius mortem adferebat, poſt exactum mox tempus (quod utique diverſantibus in Paradiſo Adam & Eva, ni fuiſſent expulſi, pertranſiiſſet) vitam & immortalitatem tribuendo erat: quocirca non everſurus Deus naturæ ordinem, ac ſuam arboribus Paradiſi datam benedictionem; cogitavit (nolens, parentes noſtri in peccati pœnam æternum amplius ut viverent) ejicere illos de Paradiſo. Niſi & fortaſſe velis, quod & ſi Adam de ligno comedit *ob ſinem* ſcientiæ, [b] quo pacto peccavit, eſurus primo fuiſſet de eodem *ob finem* vitæ, ni eſſet ejectus: non fecit id autem mox a peccato (quod & multiplicantes Paradiſi arborem mediam tenentur dicere) ob confuſionem & perturbationem naturæ, una cum timore expectatæ pœnæ & exprobrationis irati Dei, quibus illum occupaverat commiſſum ſcelus.

a Quos refert Toſtatus quæſt. 297. in Geneſim, putantes futurum fuiſſe, ut non unico eſu ea arbor perpetuitatem vitæ conferret, ſed ſi iterum ac ſæpius reſumeretur: quare arcuit Deus e Paradiſo primos Parentes, ne rurſus & continuo de ligno vitæ ſumerent.

b Quo ſenſu vita & ſcientia non erant abſoluta, *ſed* relativa, *inſidebantque fructibus illius ligni, non ſecus ac ſapores varii in* manna *Moyſis.*

680 Sed quum ante annos circiter *quatuor* cogitatione hacce noſtra, dicendiq. his etiam methodo & ordine prout jacent, candidatos meos jam imbuiſſem, nec ullum ex non paucis perlectis reperiſſem Autorem ita expreſſe loquentem; noviſſimis hiſce diebus mihi venit ad manus Mantiſſa *Dictionarii ſacræ Scripturæ* Auguſtini Calmet, proxime elapſo anno (quo typos hos noſtros parabamus) latinis literis deman-

demandatam. Inibi placitum iſtud clariſſimus Autor commemorat, cujus levia quædam delineamenta etiam protendit. Se refert ad anteriora ſua *Commentaria in Geneſim*, quibus arceſſitis comperimus ſic eſſe effatum: [a] *On ne peut pas dire certainement, ſi l'arbre de la ſcience du bien & du mal, & l'arbre de la vie, ètoit deux arbres differens. Le texte peut ſouffrir le ſens affirmatif & le negatif. On peut traduire ègalement bien*, lignum vitæ, ET lignum ſcientiæ, *comme marquant deux arbres differens; ou bien*, lignum vitæ SEU [b] lignum ſcientiæ. *L'arbre de vie, c'eſt à-dire, l'arbre de la ſcience, comme marquant un mème arbre*. &c. Paullo latius, hac de re, in ſua ad Dictionarium ſacrum appendice argumentum proſequitur, ſubditque quidpiam, in quod & nos coincidiſſe æquo ſpiritu, videre fuit. [c] Interea ſummopere gratulor (tantum abeſt, ut vel tantillum mihi diſpliceat, docuiſſe alium antea, quod ego innuere primus videbar) eruditiſſimum virum illum in eadem conſpiraſſe: ora inde tenebunt, qui in hanc ſententiam male quidam feriati locuti ſunt vanitatem; ſero tandem cognoſcent, *riſum* eſſe *in ore ſtultorum*; ſicque *aliquando* fortaſſe *ſapient*.

De exiſtentia Paradiſi, ejuſq. habitatoribus.

681 Q*Valis vel ubi ſit Paradiſus; ubi ſit nunc Elias, vel Henoch; an ibi vel alibi*; hæc fidem ad firmiſſimum Magni Auguſtini teſtimonium [d] minime invadit, ſi in varias & e regione oppoſitas partes per Doctores *Quæſtio* reſolvatur; *eum tamen ESSE, fides chriſtiana non dubitat*. Hunc præcedunt nobiliſſimum virum ſequunturque veteres æque nobiles, Irenæus [e] (qui & hanc ab Apoſtolis traditionem derivat) Hieronymus, Theodoritus, Beda aliique numero plures. Memorabilis quoque eſt hac in re Ephremi locus, quem in ſuis Johannes Damaſcenus Eclogis complectitur: [f] illuc ſiquidem translatum ait Divum Paullum auditurum arcana verba, illic æque atque in cælo abundaſſe gratiam Creatoris, qui Paradiſum, licet *ſenſibilem*, in æternis tamen promiſſis condidit, ſempiternamque habere fecit perfruitionem. *Tibi infideli, quod eſt ſenſibile, temporarium eſt*: (inquiebat ſupra laudatus) *mihi fideli etiam illud quod temporarium eſt, æternum eſt: non intelligis virtutem Dei, quoniam non credis gratiæ . . . ſenſibilis eſt Paradiſus; ſed non temporarius: promiſſio quæ in illo facta eſt, in lignis conſiſtit; ſed non temporariis*. Quum igitur ex veteribus legerim neminem, qui Paradiſum terreſtrem hunc vel aquis diluvii vel alia de cauſſa periiſſe ſcriberet; non facile auderem, ab ea quæ per Apoſtolos devenire ad nos potuit, opinione recedere.

[a] In cap. 2. illius verſ. 9.

[b] *Familiare nempe eſt Hebrais, ut conjunctio, &, vim habeat disjunctivæ*, vel.

[c] *Duos nimirũ textus Geneſis æque ac nos ipſe explicat, ſic habens*: cõmode verba hæc: *Ne forte ſumat de ligno vitæ & vivat*, ita redderentur: ne forte ſicut ſcientię acquirẽdæ gratia fructũ decerpſit, ita pariter decerpat *iterum* pro acquirenda ſibi vita..... Tandẽ non obſcure dæmon uni eidemque arbori vindicat fructum vitæ & fructũ ſcientiæ: *nequaquam morte moriemini... eritis ſicut Dii ſcientes* &c.

[d] Lib. de peccato orig. cap. 23.

[e] Lib. 5. contra Hæreſ. cap. 5.

[f] Lit. p. tit. 31.

Digitized by Google

682 Neque enim aliquod exinde novum apertum eſt, quod prius clauſum erat: de *diluvio* cogitarunt Patres, quod Paradiſum proſternere potuiſſet; deque fluminum ex eo progredientium *fontibus*, quod noti jam proclamarentur, quin hos ille in ſinu ſuo complectens efflo-reſcere cerneretur. Sed quemadmodum *in Paradiſum tranſlatus* Henoch a diluvio potuit præſervari; ita & ille atque noſter de quo agimus; ſi ille, ut verum eſt, noſter fuit: ac ſi ſuſpenſum in aëre tunc velis eum Patriarcham, aquaſq. illas exitiales ſuper Paradiſum quoq. prævaluiſſe; quid quæſo vetuit, ne omnium feliciſſima ejuſdem tellus, loci amœnitate atq. aëris temperie præſtans, ſuas etiam arbores floreſque priſtinos (perinde ac noſtra, quam incolimus, longe inferior) mox a diluvio germinaret? Circa vero fluviorum illum qui de loco voluptatis medio erumpebat, unum omnibus communem fontem; illuſio eſt, hunc jam fuiſſe detectum; *ſed ea flumina quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iiſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum, locis aliis erupiſſe, ubi tanquam in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur. Nam hoc ſolere nonnullas aquas facere, quis ignorat?* inquiebat acutiſſimus omnium Auguſtinus. [a] Multo magis quod recenſiti qui apparent, fontes, longe inter ſe diſſiti ſunt, non in *unum* coaleſcentes; inepti propterea, ut Paradiſi peculiarem ſitum oſtendant. Nil ergo prohibet, quo minus a noſtra habitatione ſecluſum nonnullis impedimentis vel montium vel marium vel æſtuoſæ cujuſdam regionis (ut loquitur Divus Thomas [b]) locum illum commode faciamus, gentibuſque omnibus omnino impervium. Ac ſi fortaſſe cuidam, ut in eum incideret, fors tanta ſemel contingeret (quemadmodum de *Macario* ejuſq. Monachis nonnulli lepide fabulantur [c]) nonniſi ad januam, ſicut de proxime laudatis ajunt, eidem ſiſtendum foret: nimirum ut poſt peccatum primos parentes immiſſus *Cherubim viam ligni* cuſtoditurus, ab eo amplius ingrediendo arcebat, ſic & eorundem ſingulos arcebit poſteros.

683 Ex hoc autem duo nobis evincenda videntur, & Paradiſum *durare* adhuc, & digniſſimos *incolas* habere ſuos: ſecus enim nonniſi fruſtra immiſſum crederem Cherubim illum, ut Paradiſum lignumque vitæ (quod ceteroquin evelli aut infirmari facile potuiſſet) præſentia ſua cuſtodiret; ſi aliquibus præſtantiſſimæ & optimæ notæ viris, ac ſelectiſſimis qui in illo degerent, atque hoc nutrirentur, cuſtodienda non erant. Et quidem cur non illuc, ſed alio, quum tantis ſit dignus viris locus ille amœniſſimus omniumque optimus, tranſlati *Henoch* & *Elias* credendi ſunt, qui de *cuſtodito* eo ligno potius veſcentes, etiamnum vivant? Ceterum quum raptum Henoch *in Paradiſum* abſolute noſtra *Vulgata* proferat; [d] hinc ſi non alium plantatum Adæ, *fruſtra*que mox cuſtoditum, alium Henoch pro libito Paradiſum comminiſceris; hunc ſane hominem nonniſi in eum a quo ille fuit expulſus, intro-

a Lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 7.

b Part. 1. q. 102. artic. 1. 5. *ad tertium.*

c *Certe aliis quoque Macarius hic indicaſſet, adque idē excitaſſet. In eandem fabulantiū claſſem reducendi ſunt, qui apud* Johan. Gonzalez in itinerario novi Orbis c. 18. *referunt, Regem quendā Bengalæ miſiſſe adverſo flumine Gangis plura navigia, ut hujus fontē ac Paradiſum detegerent; quę poſt mēſes pervenerunt, ubi fluvius ſtagnabat, & ſumma flagrantia & ſuavitate præditum aërē deprehenderunt; ſed occulta vi ne ulterius procederent retēta, per eandem viam reverſa ſunt in regionē ſuam.*

d Eccli cap. 44. verſ. 16. *verū in Græca verſione deſideratur vox,* Paradiſus.

introductum fatendum erit. Interim rapti Eliæ *per turbinem in cælum*, perque illud (utique aëreum) in Paradiſum hunc noſtrum tranſlationem minime impetit, quod nonnullæ poſthac conſcriptæ *literæ* ab eo ad Regem *Joram* recenſeantur; [a] meminiſſe nempe oportebit, eundemmet virum hunc ſeſe olim *transfigurato* Domino in monte Thabor divinitus præſentaſſe; ut proinde æqua vi (ni ſuum ante raptum laudatas epiſtolas exaraverit, dein conſignandas) aut Eliſæo, aut alii fideli homini apparere potuerit, quocum de tradendis cæleſti etiam virtute conſcriptis literis ageret. Denique nec te moveant varia illius in honorem erecta Deo *templa*, ejuſdemque feſtum inſtitutum; [b] ambo hæc non pium, credas, obitum, ſed mirabilem honeſtant raptum Prophetæ; quem tametſi in præſentia non comprehenſorem, [c] nihilominus beatum iri non dubitatur.

684 Sunt & nonnulli, qui Divum *Johannem* Evangeliſtam nondum eſſe mortuum velint, ſed in terreſtrem Paradiſum vivum tranſlatum, Anti-Chriſti tempore prophetaturum. Nituntur ea Redemtoris noſtri de Johanne locutione, quæ apta quoque fuit, ut hoc idem exinde Apoſtoli ſuſpicarentur: videlicet: *ſic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?* [d] Quem quidem textum per clariorem alium latius proſequuntur: *Sunt de heic ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno ſuo*: [e] abſolute inſuper per Servatorem fuerat pronunciatum, [f] futurum eſſe, ut *calicem paſſionis* Johannes tum bibat: qui quum nondum illum biberit; hunc ſub Anti-Chriſto amariſſimum deguſtet neceſſum eſt, ſub quo phophetaturus etiam hiſce ex verbis videtur: *Oportet te iterum prophetare Gentibus*. [g] Attamen apud omnes Eccleſiæ Patres in confeſſo eſt, Johannem hunc de quo agimus, naturæ debitum exſolviſſe: ac propterea ut *Beatus* jam & cælicola factus ab antiquo honeſtari invocarique conſuevit: quin Cæleſtinus Romanæ urbis Epiſcopus ſacri ejus *depoſiti* mentionem habet, [h] recenſetq. in illius Epiſcopatus Eccleſia Epheſi reconditum, præſens tunc inibi venerari: *Conſiderare vos decet, quibus Johannes Apoſtolus prædicavit, cujus RELIQUIAS* [i] *præſentes honoratis.*

685 Hoc ſane ita præjacto, facile adductos textus explicabimus, nonnulloſque ad noſtra etiam convertemus. Enim vero, *NON DIXIT Jeſus; non moritur, ſed ſic eum volo manere; QUID AD TE?* Moriturum prioribus verbis illis Matthæus Evangeliſta Johannem indicat; retuſamq. ſciſcitantis Petri ſupervacaneam curioſitatem, poſtremis monet; quemadmodum etſi occultam data *Operariis* merces diſparitatem in ſe præferret; iis tamen qui *pares* ſe *factos* lamentabantur, nolens Evangelicus Paterfamilias reddere quam poterat rationem, pleniſſime licere ſibi reſpondit, *quod vellet facere*: [k] quaſi ex toto pares feciſſet. Nec textus adjunctus vel minimum laudato favet, cui potius incongruus

[a] Lib. 2. Paralip. cap. 21. verſ. 12.

[b] Ex Martyr. Rom. die 20. Julii.

[c] *Catherinus autem Salmeronus & alii comprehenſorē eum faciunt.*

[d] Johan. cap. 21. verſ. 22.

[e] Matth. cap. 16. verſ. 28.

[f] *In his verbis*: Calicem quidem meū bibetis.

[g] Apoc. cap. 10. verſ. 11.

[h] In epiſt. ad Concil. Epheſin.

[i] *Quæ & fortè illius veſtes indicare æque poſſent.*

[k] De quo ſupra num. 301.

Digitized by Google

congruus eſt:viſio nimirum illa Filii hominis *in regno ſuo*,deguſtandam a nonnullis mortem præceſſura,non Chriſti Domini Servatoris in Vallem *Joſaphat* [a] glorioſum deſcenſum, ſed aſcenſum ejuſdem in *Thabor* glorioſiſſime *transfigurandi* deſignat. Quandoquidem *poſt dies ſex* a prælaudata facta promiſſione, *adſumſit Jeſus Johannem, Petrum & Jacobum, & transfiguratus eſt ante eos.* [b] Ceterum *Paſſionis calicem* quem tandem bibiturus creditur, Johannes jam bibit, dum Romæ in *ferventis olei* dolium vivus immiſſus fuit: nec quod ab eo cæleſti quadam virtute evaſerit, rem prorſus impetere credendum eſt; pari ſiquidem modo ab occidendo filio interdictum *Abraham*, nihilominus, uti jam jam eum mactaturum, eidem *non peperciſſe* ac *feciſſe rem hanc*, abſolute ſcripturæ prædicant. Textus denique ille: *Oportet te ITERUM prophetare gentibus*; longe commode longeque aliam quam putant, involvere poterit interpretationem: poſtquam nempe dictus Apoſtolus multa & horribilia inferenda orbi mala, *ad cap.* 11. *Apoc.* vaticinatus, deſcripſerat, *oportebat* multo graviora alia in ſequentibus expreſſa capitulis deſcribendo, *iterum prophetare*. [c] Ac niſi *tertium* inter *ſolos duos* illos (Eliam & Henoch vel Moyſen) in ſcripturis recenſitos *teſtes*, qui Anti-Chriſto ſe ſiſtant, novum hunc intrudere inconſulto velis; aut illorum unum extrudere; jam ſi non noſtram; neq. adverſam aliam interpretationem certiſſime complexabis.

a *Sic enim deberet mori poſt Judicium.*

b Matth. cap. 17. verſ. 1. & 2.

c *Beda antè explicat vocē,* iterum, *per hoc quod vaticinatus Johannes per ſcriptam Apocalypſim, vaticinaturus eſſet per a ſe ſcribendum Evangelium.*

De Lapſu primorum Parentum.

686 POſt aliquod breve tempus quo in accepta originali juſtitia veritateque ſteterunt Adam & Eva; cedens iſta (proh dolor!) iteratis diaboli qui *ſerpentis* in corpore latitabat, calliddiſſimis perverſiſſimiſque ſuggeſtionibus, incauta comedit de fructu vetito, deditque viro ſuo, amboque peccarunt, ſibique ex tunc atque ſuis turpiſſimam mortem conſciverunt. Fatalis autem ea arbor in quam iniquas ſuas Eva manus protendit, tametſi vulgariter *ſcientiæ* appellitetur, quod ſub eo nomine futurum eſſet, ut a deceptore venditaretur; in varias a pleriſque ſpecies diſtrahitur. *Frumentum* alii fuiſſe cenſent, alii vitem, quod ſub his ſpeciebus, ſatisfacturus offenſo Patri, *ſacrificium* placationis Filius inſtituerit: tum alii *ficum* exiſtimant, quoniam ex ficulneis foliis campeſtria ſibi prævaricatores, atque illico, conſuerunt, utique ex arbore proximiori: tum alii tandem (quæque pervulgaris opinio eſt) *malum* ſeu *pomum*, quia *ſub arbore malo* communis genitrix corrupta perhibetur. [d] Nos autem, incerta utpote in re, neque ſcripturarum autoritate comperta (ubi, ne infamis haberetur, arboris nomen per Moyſen ſuppreſſum

credi-

d *Johannes autem del'Haye cum aliis* in Bibl. Maxima *interpretatur fortaſſe melius malum iſtam pro malo punica, & eam Genitricem pro Hebræorū Synagoga, arboremque illam myſtice pro cruce.*

creditur [a]) aſſenſionem noſtram ſuſtinere, atque a divinationibus abſtinere ſatius ducimus; ſubjicimuſque interea riſui ſaniorum cujuſdam Aben Hezræ commentum: *cognitionis* ſeu ſcientiæ arborem illam *nuptiale* connubiique inordinati opus [b] ſignificaſſe; *& ex arbore iſta ſcientiæ fuiſſe factum, ut ita vocaretur* [c] *opus illud: unde & puer ſtatim atque boni & mali notitiam adeptus eſt, iſtiuſmodi cupidine tentari incipit*. Vah fœdam appellationis originem, fœdiori ſatis homine dignam!

687 Antequam autem in lati præcepti tranſgreſſionem infelices parentes noſtri infeliciſſime ceciderunt, *ſex* ad minus ſteterunt *horas*; ad ſummum *dies octo*: nec plus minuſve temporis contexta de iis in *Geneſi* hiſtoria Patrumque congruentia pati videntur: inibi de immiſſo in Adam ſopore, de formata ipſi ex coſta in uxorem muliere, de impoſitis univerſis brutis nominibus, de ſerpentis cum Eva collocutione, caſuque hujus & ad virum ſuum, utique diſtantem, porrectione vetiti fructus (quæ quaſdam ſaltim horas conſumerent) expreſſa mentio late fertur. Quoniam vero *Virgines* e Paradiſo referuntur expulſi, qui creſcere ac *multiplicari* juſſi fuerant; *octavum* inde diem quo recurrerat *ſexta feria*, non exceſſiſſe lapſum eorundem credendum eſt: ac ſi Patribus quibus obſequi religio jubet, te pius accommodes; eo ipſo die atque hora *primus* Adam peccavit, quo *ſecundus* pro illo ſatisfacturus crucem ſuſtinuit. [d] Propterea ut ipſum creationis Adæ diem primum, aut octavum ejuſdem, in eum Martii *viceſimumquintum* (cui Servatoris vitæ finem ac noſtræ initium vulgo conſignant [e]) potuiſſe optime coincidere perſuadearis; viſum eſt nobis, aut a *Luna* illud repetere, quæ quarta die creata in ſua plenitudine, continuo volutura, immo in ipſo primo gradu poſt plenitudinem, *ſextumdecimum* relati menſis (qui Veris & Mundi initium a Patribus cenſetur) ineopte tunc conſtituebat, referebatque octavum Adæ ad viceſimum jam & quintum menſis illius; aut ab ipſo *Vere* ineunte ad noctem viceſimi diei Martii, ratiocinium hoc noſtrum ducere, mundum tunc auſpicando; ſicque in viceſimam quintam laudatam diem & Proto-parentis creationem ejuſdemque peccatum inſimul conſignando.

688 Sed alia eſt Reſurrectionis Dominicæ ac mortis in præſentia ratio: poſt tres dies Chriſtus Dominus reſurrexit; ipſo autem quo peccavit, creditur Adam reſipuiſſe: niſi & hunc adumbratum fortaſſe in illis volueris, qui mortuo vix Servatore, de patrato ſcelere dolentes, revertebantur *percutientes pectora ſua*. Ad auram ſiquidem poſt meridiem parentibus noſtris tantum apparens Deus timorem incutit, ut & facti (tunc ſaltim) pœnitentes reddiderit, ſicque a ſevera illa quam ſerpenti mox intulit, *maledictione* piiſſimus abſtinuerit. Porro hæc non incaſſum impertita pœnitentiæ gratia ſecum alias ad finem

uſque

[a] *Sic Rabbi Selomoh in comment. ad Geneſ. 2. 7.*

[b] *Duo nempe animadvertiſſe oportebat & datum Proto-Plaſtib. præceptum ut creſceret & multiplicarentur: & prius Evā comediſſe de fructu, moxq. illum tradidiſſe Adamo:* comedit enim & dedit viro: *quare in conjugio utpote a duobus ſimul complēdo, fructus ille non conſiſtebat.*

[c] *Quibus verbis ad illud Scripturæ ſe refert, quo rē habere cum uxore, per co*gnoſcere eam, *exprimitur.*

[d] *Immo in eadem arbore fructus vetiti ſuſpenſū Chriſtum exiſtimari refert Pineda ex PP. & noſter* Falcone *in ſua* Granadiglia del Calvario: *juxta illud;* ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.

[e] *De quo alibi in de annis Chriſti p. 3. ſermo redibit.*

Digitized by Google

uſq.protraxit,Creatoremq.in ſuum a quo per tempus receſſerant,æternum ambos convertit. *Hæc* (ſapientia videlicet [a]) *illum qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, quum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & reduxit a delicto ſuo.* Id ipſum *Eccleſiam fere totam credere*,ait Auguſtinus; [b] *quod Chriſtus* videlicet *reſurgens reduxit Adam de Limbo, & inde eum liberavit: quod eum non inaniter crediđiſſe credendum eſt, undecunque hoc traditum ſit.* Id & Patres etiam communiter, quorum nonnulli notant, inibi Chriſtum mori voluiſſe, ubi ſepultus fuerat Adam, [c] ut primus de redemtione participaret, qui primus peccarat. Parem quoque Adæ & illam *Evæ* faciunt ſortem: *Maledicta hæc fuerat*, inquit Auguſtinus, *quam nunc credimus per MARIAM ad benedictionem gloriæ remeaſſe*. Et Nazianzenus: [d] *Utrunque ſerpens decepit, utrunque CHRISTUS donavit paſſione ſua*. In malam interea abeat crucem, qui ſibi promeritum ſupplicium ſempiternum Proto-plaſtibus noſtris aſciſcere conatus eſt, *Tatianus* Syrus, [e] ex Juſtini Martyris diſcipulo, *Encratitarum*, ſeu Continentium (quod matrimonium & vinum maxime execrarentur) caput effectus. Hic impœnitentes illos effutiit, atque ſemel amiſſam gratiam recuperare nuſquam potuiſſe, eaque propterea qua comederunt, fatali hora perpetuam deglutiiſſe mortem. Siccine ergo centeſimam ex ſuis pereuntem ovem Paſtor bonus invenit, qui primum hominem per eam adumbratum, minime invenit, ſeu ſalvum minime fecit?

a Sap. cap. 10. verſ. 1.

b Epiſt. 99.

c *Mons enim Calvarius a cranio Adæ jã calvo ibiq. invento, dictus creditur.*

d Orat. 3.

e *Cui Severus quidam, a quo Severiani, ſe adjunxit: de quibus Theodorit.* hær.fab. lib. 1. c. 21.

De Præ-Adamitis.

689 RIſum teneatis amici, qui novos quoſdam longeque Adamo priores, incognitos olim Proto-parentes jam recognoſcere docebimini: non illum primo Deus condidit, ſed alios alioſque ante ipſum, a quibus ipſe, communi maris & feminæ, ut quiſque noſtrum, complexu editus: *Jambuſar*, *Tzagrith* & *Roane* putatum omnium parentem Adam, quem præ illis dediſcere oportebit,una cum aliis anteiverunt;quocirca *Præ Adamitas* hoc genus homines recte ſinguli noſtrum atq. rite omnes appellitabimus: inſulſe ſic, poſt *Zabæos* jam depreſſos, Autor quidam Anonymus e ſecta Reformatorum (*Peirerius* reputatus *f*) fabulare ad medietatem elapſi ſeculi, auditus eſt. Duos ipſe vulgavit libros, fecitq. uni nomen: *Præ-Adamitæ, ſeu exercitatio ſuper verſus* 12. 13. *&* 14. *epiſt. Paulli ad Rom.* atq. alteri: *Syſtema Theologicum ex Præ-Adamitarum hypoteſi.* Sic ergone ſuorum immemor operum ſolicitus Deus Adam creat, *ut operaretur & cuſtodiret terram*, ac Præ-Adamitas iſtos non reminiſcens: *Homo*, per Propheram ait, *non erat, qui operaretur illam?*

f Apud Calmet.

Jam? quid illum de limo formaſſe dicitur, quem alio cum homine una inſimul procreavit; aut, ſicut & ceteros creare potuiſſet? Quid quoque peccante *uno* Adam, [a] & Adamitas Præ-Adamitaſque, *peccato* ſingulos obnoxios atque *morti*, naſci contingeret? Neque alius huic eludendo, niſi novum delirium, aditus patet, quem ſibi tamen Anonymus libentiſſime adfatim reſeravit: ſive enim ad ſolam Adamaticæ culpæ *imputationem*; ſive ad corporis noſtri ex ſe corruptibilis, cui mori ſit proinde *conditio* ſolum, non pœna, naturalem neceſſitudinem recurrat; utrunq. hoc *Pelagianum* ſapit errorem, Acatholico quoq. homine indignum, prout opportunius alibi [b] demonſtrabimus.

690 Recte interea Divi Paulli textum cui nimium ſe credit, deceptiſſimus Autor interpretetur; atque hujuſmodi, nonniſi larvis & umbris affinxiſſe corpus, utiliſſime deprehendet, mentemque ad ſuam pristinam redibit. *Uſque ad LEGEM*, ait, [c] *peccatum erat in mundo; peccatum autem NON imputabatur, quum lex non eſſet*. Vel ſenſus eſt, inquit ille, de lege lata per *Moyſen*; & ſic ante ipſam peccatum non imputabatur, quod falſum eſt; ſcimus enim punitos Cain & Sodomitas, punitumque totum orbem diluvio: vel de *naturæ* alia indita *Adamo*; & ſic *ante illam* fuere peccantes homines, [d] quibus minime tamen commiſſa ſcelera imputabantur: & ecce reſeratum tibi undequaque *Præ-Adamitarum* hominum occultum genus. Verum perpendat modicum, apprime ibi primumque Apoſtolum de *Moſaica lege* quæ ſola antonomaſtice lex dicebatur, ſermonem aptius fundere; inſinuareque admittendam anterius & aliam, quam *natura* ipſa magiſtra unumquenque docuerit. Quum enim Deus non imputet peccata, inquit Apoſtolus, *ſi lex non eſt*; [e] & aliunde patrata olim ante legem & Moyſen delicta quædam juſte puniverit; hinc aliam extitiſſe legem, concludit, a *natura* hominibus inſinuatam, cui ſe opponentes impii, æque ac poſt Moyſen peccarent, & ita æqualiter punirentur. [f] Huic nos interim obtemperare diligentiſſime ſtudeamus, ne qui culpa patris *terreſtrem* Paradiſum amiſimus, ſic inde propria (quod Deus avertat) *cæleſtem* quoque amittamus.

[a] *Juxta illud Paulli*: per unum hominē peccatum intravit in mundum.

[b] Parte 2. operis in *de ſtatibus naturæ*, & *de Peccatis*.

[c] Ad Rom. cap. 5. verſ. 13.

[d] *Qui tamen minus recte repeterentur ex timore Cain ſic ajentis*: omnis qui videt me, occidet me: *quamvis enim tunc in mundo non eſſet niſi Adam & Eva, uxor Cain & Abel; poterat timere beſtias, ſerpentes & monſtra. Sed vide num. 655.*

[e] *Ita nempe vertendum eſt hocce dictum*: Quum Lex nō eſſet.

[f] *De re hac fuſius inter alios* Matthæus Petitdidier *diſput. 14. in Sacr. Script.*

DE CREATIONE ANGELORUM.

691 Gentilium quoque Philoſophorum conſenſione id efficitur, rem eſſe confeſſam ſatis, ac naturali pene inſtinctu probatam, immortales Spiritus dari aliquos in rerum natura, ſenſibilibus quidem oculis minime aſpectabiles, ſed qui uſu & officio maxime ſentiantur. Hos exteræ religionis homines nunc *Genios*, nunc *Dæmones*, no-

ſtræ vero *Angelos* appellarunt. Crebra eorum in ſcripturis, ac manifeſta mentio eſt: ſic duo venientes Sodomam Angeli referuntur, *a* qui igne ac turbine oppidis everſis, *Lotum* inde liberarunt: promiſſus ab *Abraham* quoq. alter, qui ſervo ejus in Meſopotamiam profecturo ad latus ſemper ſe ſiſteret: atque ejuſdemmodi loca alia quamplurima ſeu in novo ſeu in veteri teſtamento; quæ quum nemini ſint ignota, ſupervacaneum erit aſcribere. Minus igitur tolerabile eſt, inter Judæos qui plurimum ſacrarum literarum autoritate moventur, repertos eſſe aliquos, *Sadducæorum* de genere, qui, ut Divus Lucas in *Actis* habet, *b neque reſurrectionem fore credunt, neque Angelum eſſe, neque Spiritum*. Cujus quidem rei quoniam apertiſſima omnium in Evangeliis mentio extat, ita ut neminem qui Chriſtianam teneat fidem, de Angelis dubium ullum, animadvertente Auguſtino, *c* ſubire poſſit; iccirco præfatis intolerabiliorem Batavus quidam *Hermannus de Ryſvich*, XV. jam deſinente ſeculo, ſeſe effecit. *Nullos* hic *ſive bonos, ſive malos a Deo fuiſſe creatos Angelos*, effutiebat; & quod pejus; profunde hac de re ſilere ſcripturarum libros comminiſcebatur, prætenſoq. hocce ſilentio prudentiſſime ſe niti ajebat. Debitam propterea ſibi pœnam minime effugit, qui *Hagæ* captus, vivus tandem exuſtus fuit. Interim ſat animoſi quoq. illi ſunt (de quorum cœtu nos longe eſſe cupimus) qui *naturalibus* rationibus & momentis Angelorum notitiam, eamq. ineluctabilem omnino ſubdunt: illos nimirum partim cæleſtium corporum *circumvolutionibus* neceſſarios præſidentes volunt, quas perpetuo atq. recte conficiant; quæ ceteroquin vel a primo Motore, vel interna eorundemmet *locomotiva* virtute perfici poſſunt: partimque *Magis* & *Energumenis* inſidentes, ubi mirabilia multa operentur, peregrinaſque loquantur linguas; id quod etiam ab animabus impiorum, a corpore ſeparatis, æque commode poterit derivare.

692 Porro Angeli vocabulum nomen *officii* eſt, non naturæ; idem enim valet ac *miſſus* ſeu *nuncius*; quo pacto Johannes Baptiſta etiam Angelus dictus eſt: *d* immortales inde illi Spiritus, *ſemper quidem ſunt Spiritus*, inquiebat Magnus Gregorius, *e ſed ſemper vocari Angeli nequaquam poſſunt . . . Hi autem, qui minima nunciant, Angeli; qui vero ſumma annunciant, Archangeli vocantur*. Propter hoc ego olim univerſos Angelorum choros ſeu ordines ad ſolos *ſeptem* reſtringendos credideram: ita ut tamen inferiores poſtremique duo ordines, qui ex Angelis atque Archangelis vulgo coaleſcebant, ſuperioribus aliis adjicerentur, ex quibus promiſcue, quandocunque Deo libuiſſet, delegarentur Spiritus, & pro majori minorive annunciandæ rei gravitate, modo Angeli, modo Archangeli (quum Seraphim in ſe fortaſſe torent vel Cherubim) a novo impoſito officio nuncuparentur. Rem inde totam mihi adſecutus videbar, quoniam animadverti, præſtantiſ-

a Geneſ. cap. 19. verſ. 1.

b Cap. 23. verſ. 8.

c Concion. 1. in Pſal. 103.

d Juxta illud: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit vias meas.

e Homil. 34. in Evang. ante medium.

ſimum

ſimum omnium *Michaëlem* tum Angelum, tum Archangelum, tum utrunque ſimul (juxta illud *Angelus Archangelus Michaël* [a]) nuncupari divinis in literis; quem nihilominus unum eſſe de *Seraphim* ſublimiſſimis, multis probat, advocatque ad id etiam veterum teſtimonia, *Hippolytus Falcone* [b] ex noſtratibus, tempeſtatis ſuæ inſignis Orator. Quin *ſeptem* illæ *ardentes lampades*, ſeu *ſeptem Spiritus Dei*, [c] qui aſtabant in *Apocalypſi* ante Deum, aſtabuntque æternum in cælis, eo a me animo accipiebantur, ut Angelicorum ordinum collucentia capita, vere ſplendore aurea, exprimerent, ac *ſeptem* ſolos eorundem ordines exhiberent. In idem mox recidiſſe *Mercurius Triſmegiſtus* in ſuo *Pymandro* mihi viſus eſt, ubi Angelorum ordines ad *ſeptem* diſtinguit.

693 Nihilo tamen ſecius quum æque ceterorum Ordinum vocabula almis illis Spiritibus adveniant, ſeu muneri quam naturæ propius accedant (Seraphim enim a *ſplendore* dicuntur, Cherubim a *fortitudine* &c.) hinc uti illi rectiſſime ſeptem enumerantur, ſic & a novem diſtributis inter omnes officiis, & alios *totidem* Angelorum *choros* intellexi fore conſtituendos. In his recenſendis ordinem variant Areopagita & Gregorius; quo nonnulli ſe eo perduxerunt, ut eorum illum libri de *cæleſti Hierarchia* autorem inconſulto non facerent. Nimirum quum ſublimiſſimi ingenii dotibus, ac totius humanæ literaturæ ſumma præſtantiſſimus Dionyſius eſſet; ex hac acici eminentia & eruditionis ad id deventum eſt, ut ceteris profundior Angelicarum ſubſtantiarum Ordines præcelſiſſimos & Hierarchias explanaverit; & quod inter illas ſe ignorare diſcrimen Auguſtinus confeſſus eſt; [d] hoc ipſe primum apprimeque diſtinxerit; miraque rectaque adeo methodo, ut præ illa quidem Magni Gregorii (qui tamen quod græce neſciret, [e] fortaſſe diſſentit a Dionyſio, de quo propterea nonniſi, *FERTUR is dicere* [f] pronunciavit) hanc ſibi duxerit ſequendam Angelicus Divus Thomas. Porro Angelos omnes, ſi ut veteres quoque faciunt, in *Hierarchias*, ſingulas choros tres ſuo ordine complectentes, reduxeris; *tribus* iis jam novem illos diſtingues: ſuprema quarum, ad Areopagitæ coördinationem, *Seraphim*, *Cherubim* & *Thronos* complectitur; media *Dominationes*, *Virtutes* & *Poteſtates*; poſtrema vero *Principatus*, *Archangelos Angelos*que.

De tempore quo Angeli creati ſunt.

694 QUi hominem paullo minus ab eis minoratum, dignitate Angeli (ſeu eorundem tractatus) debuiſſe præcedere videbantur; poſtremo ipſi hocce loco, creationis ſervato ordine, conſultius reponuntur: non ſecus ac idem humanum genus, propter quod (ut *imaginem* in ſe

a *Ut Eccleſia in illius officio: cujus tamen proloquii quàdam in ſuo*: Lume a' Principiāti nello ſtudio &c. *Pompejus Sarnelli ſubdit interpretationem.*

b *In libro, cujus nomen*: Faſti di S. Michele.

c Cap. 1. verſ. 4. & cap. 4. verſ. 5. &c.

d In Enchirid. ad Laurentium cap. 58.

e *Ipſo* fatente lib. 9. Epiſt. indict. 4. epiſt. 69. *Nos*, inquit, *nec Græcum novimus, nec aliquod opus aliquando græce conſcripſimus.*

f Homil. 34. in Evangel.

Digitized by Google

a Vt ex Eſdra ſuperius num. 670. notavimus.

divinam quoque præferret [a]) effecta ſunt inferiora ſingula anteacta ; iis nos diſſertatione noſtra, uti & omnes ſua, poſtpoſuimus, quoniam poſterius procreatum. Magnum hinc nobis in ipſo limine paratur bellum; ac niſi mille clypei penderent ex nobis, omniſque armatura fortis; jam ea quæ pacis ſunt, rogaremus, inque adverſantium ditionem ultro concederemus. Præconcepta ſiquidem nonnullorum de Schola Theologorum idea eſt, longe ante hominem creatos Angelos, ut qui prima ſaltim ineunte die, vel ſub *cæli*, vel *lucis* nomine, clariſſimi prodierunt: atque id adeo firmiter præſupponi volunt ab omnibus, ut quantumvis puræ putæque iſtæ voces nec ſubmiſſiſſime *Angelos* reſonent, eos tamen illis comprehendi, probatione opus non judicent; tantum quod dicant. Horum autem, iiſque aliorum affinium, infirmitatem fundamentorum maximam Auguſtinus novit, candideque inde eſt locutus, [b] dans omnibus facultatem hac in re opinandi quod volunt, modo non teneant Angelos Deo coæternos. Porro ut crediderim (nec me animus fallit) plus nobis Auguſtini dubietas ad veritatem, quam eorum Scholaſticorum credulitas prodeſſe poteſt: illa enim ad perquirendum amplius inveniendumque excitamur; hac, in præjudicio ſi ſumus, in eodem cogimur permanere.

b Lib. 11. de Civit. Dei cap. 32.

665 *Hieronymus Matranga*, vir ex noſtratibus omnifariam præclariſſimus, ac SS. Inquiſitionis Regni *Siciliæ* Theologus celeberrimus, ab editis libris, a linguarum peritia, a rerum peregrinarum eruditione, atque a perfunctis muneribus commendatiſſimus, opuſculum quoddam [c] in quo de lapſu Angelorum diſſerebatur, muſicis aſtrictum numeris evulgavit. Eruditius inibi lectoribus præfaturus, de illorum etiam creationis tempore mentionem facere voluit; prolatiſque graviſſimis in medium conjecturis, ad *ſextam* conditi orbis *diem* immediate *poſt hominem* ſtabilivit. Res inde hæc ad Theologicam trutinam per eum ac per *FARDELLAM* amplius revocata, tot illico viſa fuit abundare ſuaſionibus, ut parum dixerim, quod veluti ob oculos fuerit expoſita. Meminit ſententiæ & Autoris, promerito in ſuis *Quodlibetis Theologicis* [d] laudum officio exſoluto, Venerabilis *Carolus* de *Thomaſiis*, Patruus digniſſimus Cardinalis noſtri *Mæcenatis*, quem exemplo præclaro ſuo terrenum *Lampaduſæ* Inſulæ Principatum, ob primogenita devinctum ipſis, *Congregationi noſtræ* poſtponere docuit; inque ſuum in æterni ardentiſſimique quo æſtuabat, divini amoris ſchola diſcipulum complexus, tantum, ipſo magiſtro, hic illum fecit proficere, quantum ejus poſtea ſanctitas declaravit.

c Cui nomen: La caduta degli Angioli rubelli, *Panbormi 1659.*

d Quodlibeto 3.

696 Antequam autem ſolidiora quibus hæc noſtra opinio innitur, fundamenta ſubjicio; quidpiam de ea præfari non inutile duxi: quod quidem etſi illius fundamentum non eſt; hoc tamen ipſum ſi vi ſua grave non reddit, nec leve eſſe patitur, eique jaciendo locum & occaſio-

nem

Digitized by Google

nem parat. Nullibi nempe divina autoritate conſtare præciſum conditionis Angelorum tempus. Sive enim ſcripturas evolveris, has hujuſmodi deprehendes loquentes, ut conjectare liceat ex iis, minimum adfirmare: hinc Patres veteres *Bibliorum* ſagaciſſimi interpretes tum illos *ante tempora ſecularia* progenitos, [a] tum primis mundi diebus, [b] tum etiam *poſt hominem*, [c] hæſitando ſemper ſenſerunt: ſive autem *Conciliis* attenderis, res tibi, non aliter atque prius, incerta apparebit. Quid quidem *Lateranenſi IV.* hac in re luculentius (ut nonnullis defacto viſum eſt) crediſiſſes? *SIMVL ab initio temporis* (ait illud in ſuo Cap. *Firmiter*) *utranque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & DEINDE humanam.* Sed nihilominus D. Thomas [d] (cui Synodus quam commentatur, nullimode ignota erat) etjam poſthac antiquorum ſententiam habet probabilem, qui non *ſimul* cum mundo, ſed *longe antea*, ac prope pene ad ipſam æternitatem, immortalium ſpirituum creationem conſignant. Hinc duo de ſchola illius illuſtres Theologi, *Melchior Canus* Epiſcopus Canarienſis, & *Ludovicus Gotti* S. R. E. Cardinalis, ſic de ea Synodo effantur. Primus quidem: [e] *Quæ in Conciliorum decretis obiter & præter inſtitutum de quo erat potiſſimum controverſia*, dicuntur; *ea non ſunt catholicæ fidei judicia; e. g. quod in cap. FIRMITER dicitur, Angelos & mundum SIMVL eſſe congenitos: non enim eo tempore hoc agebatur, ut Nazianzeni & aliorum hunc ſequentium, opinio damnaretur.* Alter autem ſic: [f] *Hanc ſimultatem Concilium non propoſuiſſe ut rem definitam, ſed ut ſententiam probabiliorem: nec omnia quæ in Conciliis dicuntur, pro definitis habenda eſſe.* Ubi ergo vox, *ſimul*, Angelorum *anterioritatem* ad mundum non damnat; timeſne vox, *deinde*, eorundem met *poſterioritatem* ad hominem condemnabit? Sed de re hac iterum inferius uberiuſque.

697 His porro ita compoſitis; nonnullas (nec enim omnes brevitas patitur) quibus confligamus, breviſſime rationes cumulabo: comparet adverſis lector, tum expendat moroſe; judicet deinde ſi pondus habeant, ſi ſint futiles; & in ceterarum concurſu quænam efficaciores. *Primam* a rerum *ordine* quem in ſuis conſtanter natura operibus ſervare curat, deque eo ſolicitam ſeſe prodit, potiſſimum mutuari libuit. Ea nempe *de imperfecto ad perfectum* ſemper procedit: *Finis ſeminum fruges ſunt*, inquiebat Syneſius de Calvitio, *radix primum, tum calamus, tum culmus, tunica, ariſtæ, glumæ, fruges tandem.* Veriſimile autem eſt, talem mox naturæ inditum eſſe, qualem in prima rerum creatione illius Autor ordinem intendit: ſeu quam ipſe tunc tenuit, ſuamque a ſe operandi ſervatam methodum, per illam inde manifeſtaſſe; adeo ut ſi ab imperfectis ad perfectiora *gradatim* natura aſcendit; ſtata ſatis ſit res, & eodem ordine creaturum Deum proceſſiſſe, atque ab *inſenſatis* elementis incipientem, ſuoque

tum

a *Juxta illud Paulli cap. 1. ad Tit.* in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus ante tẽpora ſecularia: *& illud Sapiẽtiæ*: Ego Sapiẽtia (*quo nomine Intelligentias ſeu Angelos intelligũt*) ab æterno creata ſum... & antequam terra fieret, *cetera*.

b *Vt Auguſt.*, *Rupertus aliique*.

c Ut infra.

d P. 1. q. 61. art. 3.

e Lib. 5. de loc. Theol. c. 4.

f Part. 1. tom. 5. q. 1. dub. 2. §. 3. num. 21.

Digitized by Google

tum ordine largientem vitam corporibus, ad puros intellectuales Angelos denique perveniſſe.

698 Scrutamini quæſo ſcripturas; ipſæ enim teſtimonium perhibent de his. In *principio* fecit cælum & terram, hoc eſt, cæli & terræ materiam, omni ornatu deſtitutam, tenebricoſam, informem: *primo* die cum lucis maſſa (aut cum Sole adhuc informi [a]) tempus creavit, quod reliquorum operum eſſet menſura: *ſecundo* & *tertio* elementa diſtinxit, & ad ſua loca, ſervatis naturæ officiis, ſegregavit, compoſuit: firmamentum, ſeu extenſionem (ex hebraico textu) aëream circumquaque effudit; maris Oceanique ſpatioſos complanavit campos, tellurem animalium hominumque habitationi paravit apricam, quam vario veſtivit Vere & fœcunda arborum ſilva: [b] *quarto* externam cælorum faciem planetis & ſideribus ornavit: [c] *quinto* ex aquis piſces aquarum incolas, & alites aëris, quadrupedibus ignobiliores produxit: *ſexto* tandem quadrupedia, mox Proto-plaſtem hominem: quid ultra? decuit *poſt* hominem *Angelos* creare, ſpirituſque perfectos, naturæ ſpiritualis incorporeæ ſimplicis, formaſque perfectas, non informantes. Sane quidem ſi a revelatis nonnullis ad occulta alia & profunda argumentari quodammodo ſemper licuit, hæc ſæpius per ea inveſtigare ac non raro invenire; jam per omnium animantium poſtremum creatum hominem, qui ceteris & perfectior eſt & præſtantior; perque animantes alios, eo creatos poſteriores, quo in *eſſe* nobiliores, ultimos tempore creatos Angelos evincemus, qui omnium dignitate ſunt primi.

a Quare ſi Planetæ non ſunt locomotive animati, rē noſtram non impetunt; quoniam ſecundū hanc a D. Thoma traditā doctrinam, non poſt vegetantia creati ſunt, ſed antea, uti imperfectiores.

b Quæ eſt primū & infimū viventium genus ſeu vegetantium.

c Quæ vivūt per animā locomotivam vegetāti nobiliorem.

699 Neque vero Deus Univerſum procreaturus, laudatum ſe graduum ordinem in unaquaq. ſeorſum illius parte ſervaſſe, exiſtimari voluit; quaſi quod facto cælo, de eo gradatim ornando, ad Angelorum uſque incolatum prius cogitaverit, dein de ornanda terra ſuis plantis, brutis, hominibus. Is enim totius orbis *promiſcue*, communiſque omnium in confuſo ordinis, non *ſingularum* ejuſdem partium rationem habuit, qui prius tellurem quum induerit virentibus, dein ſideribus cælum ornat; tum reptilibus mare, tum alitibus aërem replet, tum ad terram revertitur, in qua bruta & hominem creat; ac inde ſervato quo incepit ordine perfecti ad perfectius; cælum iterum conſcendere credendus eſt, ubi ſpirituales Angelos, omniumque nobiliſſimos tandem producat.

700 Quare ſine myſterio factum haud arbitror, ut quos idololatriæ [d] occluſurus viam Moyſes initio Angelos non expreſſit; ne tamen ſcripturarum decurſu cogniti iidem, ab alio quam a Deo ſupremo omnium Creatore progeniti reputarentur; & illos prorſus non reticuerit, & primam eorundem poſt hominem ſubobſcuram ſolum habuerit mentionem. Poſt enim illius formationem exhibitam, & ante-

d Igitur ex revelatis, primo Deus fecit inſenſata & mortua, atque iccirco omniū infima, elementa; mox vegetantia, tum locomotiva, tum ſenſibilia (laudato ſemper inter ea ordine; prius piſces, inde aves, tertio bruta, ut a nu. 632.) ac tandē rationalia.

antequam ſolennem Dei requiem Sabbato factam recenſuiſſet, de Angelorum creatione viſus eſt primo fuiſſe ratiocinatus. *Igitur*, ita habet, *perfecti ſunt cæli & terra & omnis ORNATUS eorum, COMPLEVITque Deus opus ſuum, & requievit*. Porro iſtius, qui & divinorum operum *complementum*, *ornatus* nomine Angelos heic recenſeri, *hebraicus* textus ſignificat: is illius loco vocem aliam *Sabaoth*, ſeu *cælorum militiam* reponit, quæ juxta Lucam ſcribentem: [a] *Facta eſt cum Angelo multitudo MILITIÆ CÆLESTIS*; nonniſi immortales eos Spiritus redolebit apprimeque exhibebit. Quum igitur rerum omnium in exordio geſtarum, ſervato ſemper ordine quo factæ ſunt, reminiſcens, nunc primo *perfectorum* Spirituum Moyſes meminerit; jam & nunc eos referendos docuit, atque nunc primum creatos, qui corporeorum *ſucceſſive* perfectibilium ad differentiam, ſemel ac ſimul *perfecti* ſunt atque effecti.

a In Evang. cap. 2. verſ. 13.

701 Quod quoniam juxta noſtram interpretationem (nec forte fallor) divinus ille Propheta expoſuit, ſuppoſuitque tempore hominibus Angelos; recte inde eſt locutus, ubi *ſexta* poſtrema die ſuis de operibus gratulatum Creatorem inducens, *valde cuncta bona* [b] ſibi videri, exclamaſſe ait. Secus enim crediderim, omni prorſus veritate deſtituendam, aut Patrum (quod temerarium) aut Dei (quod impium) locutionem. Habent illi, non protrahendam ad diem alterum [c] acceptam a Cacodæmonibus originalem juſtitiam; hic autem, die *ſexto* in accepta creata ſingula bonitate perſeveraſſe: [d] aut igitur intra diem non peccarunt; aut *ſexto* jam inquinati nonnulli Angeli erant, ſi antehac procreati. Nos vero Angelorum creationem poſt hominum conſignantes, & divino laudato elogio obſequium profitemur, & feſtinum conteſtamur illorum lapſum, cujus non longe a formato Adam in ſcripturis mentio pertraditur: tunc enim primum auditur: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis* &c.

b *Addit doctiſſim. noſter* Del-Benetetiâ *Angelos.*

c *Quorum tamen Patrum quoniam nonnulli longe ante mundũ conſignant Angelorum creationem; complacentiâ Dei, cui omnia bona viſa ſunt, referunt ad opera, quæ ſex illis diebus patrata fuere.*

702 Pauci ſunt, non inficior, qui anteacta ætate arbitrati fuerint, Angelos poſt homines creatos: non defuere tamen. Inter hos ex Patribus primas tenet S. *Gennadius*, [e] quem ſequi Acacius viſus eſt, aliique innominati apud Peſantium, his nobis verbis faventes: *Prius fuit animale, quam ſpiritale*: eiſque Apoſtolum arriſiſſe dixeris, ubi ait: [f] *Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale*. Uſurpant proporro illud Job: *Ecce Behemot* (ideſt diabolus) *quem feci TECUM*; eodem nempe die cum primo omnium *homine*, a quo deſcendis. Nulla igitur ſunt, quæ ab hac opinione te abſterreant, antecedentia verba illa, quibus præfatus Behemot prædicatur *initium viarum Dei*: viæ quippe illæ non opera *creationis* in præſentia innuunt, ſed *miſericordiæ* & *juſtitiæ*, quæ in ſuis quoque *pſalmis* Vates Regius commentus eſt: [g] *Univerſæ VIÆ Domini, miſericordia & veritas*,

ſeu

d *Hac ratione utitur Job. a S. Th. q. 3. de opere ſex dier. ut probet ſexta ipſa die homines nõ peccaſſe.*

e In Catena Patrum.

f 1. ad Cor. cap. 12. verſ. 46.

g Pſalm. 24. verſ. 10.

Digitized by Google

ſeu juſtitia, Diabolus autem fuit principium talium viarum, quoniam peccando cauſſa extitit, cur exerceretur opus *juſtitiæ* in ipſum, & *miſericordiæ* erga hominem, ex *ejuſdem* ſuggeſtione in culpam prolapſum.

703 Minus autem, etſi magis videtur, rem impetit petitum aliud ex eodem monumentum. *Ubi eras* (ſic Deus Job eſt adfatus [a]) *quando ponebam fundamenta terræ, quum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* [b] quaſi tellurem hanc fundans, applaudentes tum Angelos jubilanteſq. Deus habuiſſet. Verum ni adductus textus intelligentiam præferret aliam, quam putatur; jam *aſtra* illa (quæ vera fuiſſe ſidera nonnulli veterum ac recte ſunt arbitrati) *quarto* quidem non die, ſed cum *cælo* antea, ſuum terræque mox Creatorem collaudatura, prodiiſſent. Inibi ergo *ſimultas* temporis nulla inter orbis creationem Angelorumque laudem ſignificatur: totus tantum in explicando eſt ille textus, tum quum hæc omnia fierent, neutiquam Job extitiſſe. Optimam tibi igitur quam amplectare interpretationem quorundam [c] ſubjicio; repetendas nimirum eſſe illo in loco voces eas, *ubi eras*; adeo ut ſenſus ſit: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? ubi eras, quum me laudarent aſtra matutina? ubi eras, quum jubilarent omnes filii Dei?* Tantoque magis quod & alia quædam ad diem primum ſubſequentia opera recenſentur, cum quibus dicitur Job non fuiſſe; & neque, *laudarent*, hæc vox ad *fundamenta terræ* proxime ſequitur, quin & multa iiſdem intercipiuntur.

a Cap. 38. verſ. 4.

b *LXX. Interpretes habent*: Angeli Dei: *unde* Auguſtinus *legit*: quãdo facta ſunt ſidera, laudaverũt me Angeli mei. *lib. 11. de Civitate Dei cap. 9. ſed ibi Doctor ille probare vult, Angelos factos fuiſſe intra ſex dies creationis, et deſipientiam dicit opinari, quod poſt dies illos creati ſint. Ceterum ad rẽ noſtram textus ille LXX. Interp. explicatur iterando vocem eam*, quando; *ſeu ubi eras*, quando *facta ſunt ſidera*? quando *laudaverunt me Angeli mei?* &c. *ut infra*.

c *Inter quos Menochius in locum iſtum.*

De Synodo Lateranenſi IV. hac in re.

704 NOnnemini laudata nuper Concilii hujus locutione aut ſententia, quæ nullum ceteroquin nos agere negotium cogit, totam nihilominus hanc noſtram opinionem inverſum iri, videri poteſt. Neque enim me fugit, hoc ipſum fuiſſe plures arbitratos, ſeu arbitrari debuiſſe, qui ut Nazianzeni aliorumque placitum de Angelorum *ante tempora* creatione, quod in Concilio cum mundo *ſimul* prodiiſſe dicantur, exploſum crediderunt; ita & noſtrum, quod creaturam Angelicam & *deinde* humanam conditam, inibi legant. Nos vero ambiguam vocis utrius interpretationem animadvertentes (tametſi a Nazianzeno ob alia recedimus, quia procreatos Angelos *ab initio temporis*, magna autoritate præditi referunt Concilii Patres [d]) nullam earum in præſentia ducimus habendam eſſe rationem. Quod pertinet ad vocem, *ſimul*; late ejus varias acceptiones ſuperius proſecuti fuimus, [e] nec de ea amplius noſtra intereſt: de altera paullo ſolicitos eſſe decet, & quidem ſumus: tametſi, *utcunque* verba Concilii ſumantur, nihil omnino *de fide* definitum circa ordinem creationis Angelorum ſuperius [f] atq. ſatius viderimus.

d *Loc. cit. qui quidem in prædicta voce explicationem nõ patiuntur ſicut in aliis recenſitis* ſimul *&* deinde.

e Num. 638.

f Num. 696.

705 Quo

Digitized by Google

705 Quo vero uſurpatam a Patribus vocis intelligentiam plene adſequaris; ad intentum in Concilio ſcopum præhabitamque mentem tua te revoces neceſſe eſt: ſæpe enim ac ſemper indeterminatas vocum ſignificationes & ſenſa certæ quædam circumſtantiæ determinant. Ac primum; *ſucceſſionem* temporis ab ea nullam impræſentiarum involvi, confeſſa quibuſcunque res eſt, apud quos Auguſtinianis putatis libris *Salilaquiorum animæ ad Deum* [a] præfata verba Concilium accepta refert. Quonam quæſo tum pacto recenſitum, *deinde*, ſucceſſionem ac *poſterioritatem* temporariam hominis ad Angelos & ad mundum ex ore Auguſtini poterit redolere, qui *ſimul* omnia & *in inſtanti* [b] producta voluit? Quod ſi, ac forte rectius, [c] ab eo Doctore opus illud ſejunxeris; nihilominus, etſi non ſuo, eo ſaltim Concilii proſcriptum ore effutires eummet, cujus ceteroquin placitum, poſthac etiam, ſubtilitatis titulo Præceptor Angelicus decoravit, illudque optimæ notæ Theologi etiamnum [d] tuentur. Alium igitur ſenſum ea nunc vox præſeferat, neceſſum eſt; quem apprime quidem ex illa quam agitabant Patres id temporis, cauſſa arceſſemus.

706 Divus Thomas, *Origenem* inter alios tum Concilio in mentem veniſſe, dicit: [e] hic autem maleſanus Novator creatos homines *ex æquo* & *per ſe* atque Angelos inficiatus eſt; ac duntaxat, *occaſione* peccantium iſtorum, eos derivavit, in quorum illi corpora, ceu in carcerem, ſubinde contruderentur. Huic porro Synodus ut ſe opponeret, autoritateque ſua profligationi eſſet, res omnes corporeas, *ex æquo* & *pariter* ac ſpirituales, creatas, definitione hacce ſua intendere debuit. Quocirca fit, ut heic non *poſtea*, ſed *ex æquo* aut *pariter* vel *præterea* ſignificatura vox ea, *deinde*, (quemadmodum ſat in Lexicis gaudet [f]) in Concilio rectius fuerit atque aptius uſurpata: fit etiam, ut ſenſus ſit; *Utranque ab initio condidit creaturam, Angelicam & mundanam*, & præterea (vel) pariter *humanam*. Et quidem interpretandæ illius vocis hoc genus nedum apud prophanos Scriptores, ſed apud ſacros divinoſque in uſu quoque maxime eſt. Duo Paulli loca ad rem referam plurimum apta: ſic ubi dicitur; [g] *Melchiſedech interpretatur Rex juſtitiæ, DEINDE Rex Salem*; atq. alibi: [h] *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, DEINDE nos, qui vivimus.* [i] Ceterum quum poſteriorem hominis ad Angelos creationem Origenes ſibi conſtituerit; eoque libentius, quo nullam ſecus delirandi copiam ſibi feciſſet, quin & omnem interdixiſſet; vix videbitur, ſi *deinde* eo loco redderet *poſtea*, opportunis in eum verbis Concilium inſurrexiſſe.

707 Rationem vero quam invenire poſſumus, cur illemet cujus verbis Concilium uſum cenſetur, aut Auguſtinus, aut alius ad ejus mentem Autor quiſpiam, præmittat Angelos ad homines, quum omnia ſimul creata velit; ea hæc quidem videtur eſſe: quod quoniam humanam conſiderat creaturam, quaſi *commune* quoddam, ut ait, *ex*

a Ex cap. 32. num. 1.

b *Hominem quoq. exceptis Brutis ac plantis.*

c *Etenim ubi Auguſtinus ſuorũ operum catalogũ texuit, meminit quidem librorum ſoliloquiorum animæ ad Deum, ſed ii aliuſmodi auſpicantur in cenſu Auguſtiniano, quam noſter laudatus codex exhibeat.*

d Inter quos Cajetanus aliique ſupra relati.

e Opuſc. 23.

f *Ut præſertim Nizolius in Lexico Ciceroniano.*

g Ad Hebr. cap. 7. verſ. 2.

h Ad Theſſal. cap. 4. verſib. 15. & 16.

i *Seu: Rex juſtitiæ, ac pariter Rex Salem: Reſurgẽt mortui ac pariter nos qui vivimus: niſi quoad hunc ſecundum textum aliã interpretationẽ admittas appoſitam num. 255. ad lit. d.*

Angelica & mundana conſtitutum; recte minus procederet, niſi præmitteret, quæ ut partes præſupponuntur: dicendo videlicet: nedum produxit Deus creaturam Angelicam, nedum mundanam, ſed etiam ac *pariter* ex iiſdem utriſque humanam conſtitutam. Refert autem primum ſpiritualem creaturam, & poſtea corporalem, ut ſeſe accommodet methodo, quam tenuit Moyſes, qui prius cælum & inde terram commemoravit dixitque: *In principio creavit Deus cælum & terram*: Auguſtinus enim nomine cæli, ut viſum eſt, *Angelicam* naturam intelligit, quemadmodum terræ nomine creaturam *corporeum*; proindeque dixit: *Ab initio utranque condidiſti creaturam, Angelicam & mundanam*. [a] Nec tamen eundem ſemper ordinem ſervat; cum variat in decurſu, quo ſpiritualibus corporalia ſæpius præmittit, fateturque Deum *conditorem viſibilium & inviſibilium*; Nicæno fortaſſe Symbolo obſecutus. Quo fit, aut nullum attendiſſe in antecedentibus iis verbis creationis ordinem; aut juxta datam explicationem duntaxat factarum rerum ſeriem illum contexuiſſe.

[a] *Quo fit, librum illum* Soliloquiorũ *aut Auguſtinianum eſſe, aut illius redolere doctrinam.*

De Spiritualitate Angelorum.

708 Vetuſtiſſimi primorum ſeculorum Patres ſua ineſſe quoque Angelis corpora opinati ſunt; [b] ſed eadem ætherea vel ignea aut aërea, & utcunque ſubtilia admodum, ut nullatenus, quin æque Spiritus appellitentur, impedire poſſent. Quandoquidem *Spiritus* hocce nomen nedum in ventos & aëra, ſed& in tenuiſſimas humani ſanguinis partes extractaſque quaſdam ex humoribus particulas delicatiores, quod omnia hæc ceterorum corporum craſſitie careant, plerunque derivamus. Verum quidam ex illis, quoniam certa Angeli regione ac loco definiuntur, circumſcriptamq. habent ſubſtantiam, atq. ubique non ſunt; eo nomine corporatos habuerunt; & loci circumſcriptionem quandoq. *corporis* vocabulo ſignificarunt. Claſſem in hanc nonnemo [c] omni conatu Auguſtinum redigit: quem tamen de circumſcripto loco Angelorum nuſquam, de eorundem autem corporalitate aliquando denique dubitantem, [d] inter primos illos olim fuiſſe, ſat ejus ſcripta demonſtrant.

[b] *Quin Juſtinus in* Dialogo cũ Triphone, *alio etiá incognito nobis cibo Angelos credidit.*

[c] *Ap. Card. Noris in* Vindic. Auguſt.

[d] Ut infra num. 756.

709 Corpora Angelis abnegaſſe Concilium Lateranenſe IV. viſum eſt; [e] atque adeo; ut rem fide inconcuſſam ſtatueret. Melchior Canus vero, uti ſupra, nullam quoad hoc in ea Synodo definitionem agnoſcit: [f] obiter prorſus illud, ac per tranſennam, ut nonnulla alia quæ refert, dictum exiſtimat, exponendique, non definiendi gratia adjectum. Porro nos tanti viri autoritatem, quam facto ſuo, aliter atq. Synodus impune ſentientes, poſteriores Theologi [g] corroborant; labefactare non poſſumus: commentari tantum curamus. Sic ut ſenſus ſit: nullam quidem Patribus antiquis per Lateranenſe notam inuſtam, illorum tamen placitum exinde antiquatum; utpote quod valde major

[e] In cap. *Firmiter*.

[f] Loco ſupr. cit. num. 696.

[g] *Quos ipſe Canus recenſet loco ſupra cit.*

coa-

coactis in Concilio Patribus, etſi quędam non ſuggerente divino Spiritu quandoq. proferant, quam extra illud ſingularibus, ex ſe quoq. loquentibus, aliis etiam permultis, probata autoritas inerit. Nec tamen deſunt, [a] qui vocem eam, *SPIRITUALEM*, *Angelicam videlicet* (ut ipſa Synodus commentatur) non omnem omnino corporis ſocietatem excludere putent, ſed craſſioris; quum qui *ſpirituales*, & incorporeos quoque, olim Angelos Patres dixerunt; eorundem aliqui ſubtiliori illos cuidam materiæ nihilominus corporabant. Rectius autem mihi videor judicare, ſi totum eo in loco excluſum corporis commercium adfirmem, qui ea potiſſimum ratione moveor; quod ſecus, ex prænominatis inibi ſpiritualibus corporeiſque creaturis, *quaſi* tertium quoddam *commune*, *humanam conſtitutam*, jam ex æque accepto ſpiritu (ſeu corporeo ſubtiliori) & ex craſſa ſimul materia conſtare oportebit; rationalemque inde animam corporeis amandare.

710 Omni igitur expertes materia Angeli ſunt; quadam tamen amicti ſæpius apparuerunt, ut quibus ſeſe præbuere conſpicuos, in eorum gratiam certa aliqua munera exequerentur. Porro id ipſum, quodq. inſuper loco, ad differentiam Dei, circumſcripti maneant, *ſola* cauſſa in *II. Nicæna* Synodo [b] viſa fuit, cur, *oportere illos pingi*, Patres ſinguli conclamarent. Tametſi quidem Johannes Theſſalonicenſis cujus orationem in Concilio medio *Taraſius* produxit, amplius quidpiam venditaret; id tamen unum ex illo is arripuit: ſic enim ait: *Oſtendit Pater, quod Angelos oporteat pingi, eo quod circumſcripti ſunt, & ut homines apparuerunt*: cui primum Patres: *Etiam Domine*. Tacuit de illorum corporibus; immo ipſos præcedenti *actione* incorporeos appellaverat.

711 Corpus Angelis aut non inducunt, aut valde *craſſum*, ut noſtrum (noſque adverſanteſque inſimul impeterent) ſcripturæ illæ, [c] ubi *videntes Filii Dei* (ſeu *Angeli Dei* ex LXX. Interpretibus [d]) *Filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores*; aut aliæ fortaſſis, in quibus ex Divo Paullo, [e] velandum eſt in Eccleſia caput mulieribus, & id *propter Angelos*. Profecto ille locus per *Filios Dei* indigitare creditur filios *Enos*, qui primo *cœpit invocare nomen Domini*; [f] ac per *filias hominum*, filias *Cain*, quæ juxta parentum morem terrenis addictæ erant. Quia tamen tum quum ea perhibentur, *univerſa caro corruperat viam ſuam*, [g] dataque expoſitione mulieres Enos, atq. viri Cain non comprehenduntur; propter hoc ego olim credidi, per filios Dei nunc maſculos exhiberi, quorum primus immediate a Deo proceſſit; perq. filias hominum, mulieres, quoniam prima earum de homine, ex ejus nempe coſta, egreſſa eſt. Eos vero quos nomine Angelorum appellat Paullus, *Miniſtri Eccleſiarum* hi ſunt, ac præſertim Epiſcopi, juxta illud Apocalypſis: *Angelo Eccleſiæ ſcribe*. Quod vocabulum pluries ibi redit.

712 Non eſt tamen, quod neſciam, corporeis aliquibus ſuffimen-

[a] *Inter quos Lamindus Pritanius, ſeu Vir Clariſſimus* Ludovicus Muratore *in eximio opere, cui nomen*: De Ingeniorum moderatione in Religionis negotio: *lib. 1. cap. 13. poſt medium.*

[b] Actione 5.

[c] Geneſ. c. 6. verſ. 2.

[d] *Auguſtinus autem lib. 15. de Civitate Dei cap. 23. teſtatur, non omnia id Græca exemplaria exhibere.*

[e] 1. ad Cor. cap. 11. verſ. 10.

[f] Geneſ. c. 4. verſ. 26.

[g] Geneſ. c. 6. verſ. 12.

Digitized by Google

tis ex obſeſſis hominibus perſæpe fugari dæmones, ut & cujuſdam *cor* piſcis poteſtatem olim in *Tobia* [a] diabolicam profligavit. Id tamen non corporalitatem dæmoni ullam, ſed illis queis plerunq. alligatur, malis Energumeni affectionibus diſpoſitionibuſque duntaxat aſtruit; quas ut relata ſolvunt, diabolus abire cogitur. Hoc autem; niſi tibi potius arriſerit, quod quum dæmones omnes *ſubſiſtentia materiali* ignis cui (ut inferius) *hypoſtatice* uniuntur, ſubſiſtant, ac reciproce dici poſſit; *Ignis eſt dæmon, & dæmon eſt ignis*: inde totum ſuppoſitum torqueri & offendi potuerit præfato illo corde piſcis, ſuffimentis aliis, ciborum quorundam nidore &c. utpote tartareo forſan igni contrariis.

a Cap. 6. verſ. 8.

De peccato Angelorum.

713 EO firmiſſimæ fere omnes qui noſtros hos olim Angelos corporarunt, perſuaſionis denique devenere, ut primum eorundem peccatum *carnali luxuriæ* qua humanis in terra mulieribus adhæſerunt, ſtuprumque iis intulerunt, abſolutius inſcriberent. [b] Factam inde ampliſſimam credidere cauſſam *diluvio*, deletamque omnem carnem, quod tantum ſub cælo flagitium Deus jam, tametſi in infinitum miſericors, tolerando amplius non eſſet. Permulti tamen ex illis non idem de Angelorum Principe quem diabolum vocant voluntque; ante hominum lapſum quem iis ſub antiqui *ſerpentis* ſpecie procuravit, principatu ſuo decidiſſe; judicare auditi ſunt. Hunc culpa propriæ *ſuperbiæ* volunt cecidiſſe prius; tum feminas inceſtaſſe numero pene innumeras, libidinumq. iſtis illecebris & alios ad præſidium hominum miſſos Angelos in eandem traxiſſe perniciem. [c] Miror interim, in id devenire eos potuiſſe, qui Angelis etſi corpus aptabant; non craſſum tamen, non humanis artubus præditum, non plenis ſanguine venis, aut hujuſmodi aliud, quod ad generandum eſſet idoneum. Et quamvis *incuborum* dæmonum non falſa exempla nos doceant, quod ſicut nunc præfato muneri ſatisfacturi corpus adſumunt, aut ſibi formant; ita & formare, aut tunc adſumere potuerint; nihilominus oporteret, innocentes prius Angelos taliter corporatos fuiſſe, ut carnalibus voluptatibus, *natura* tunc quidem, ceu *malitia* modo, trahi potuiſſent, quo amplius delectaturi corpus adſumerent. Viden' ſi æthereis, aëreis vel igneis corporibus tantam vim ineſſe rectius putes? Sed hęc opinio expoliatis corpore Angelis obſolevit.

b *Ut Juſtinus, Athenagoras, Tertullianus, Lactantius, aliique: quos tamē Baſilius Seleucienſis orat. 6. refellit.*

c Sic Lactantius lib. 2. capp. 8. 11. 14.

714 Porro primam occaſionem ruinæ Angelorum *ſuperbiam* fuiſſe, omnes fere veteres conteſtantur. In quo equidem nullus dubito, quin ſacris quique Scripturis, ubi nonnulla ſub figura impiorum quorundam ad Angelos referenda ſunt, potiſſimum ſeſe fulſerint. Nimirum ibi Angelorum peccatum ſub perſona Regis Babylonis ita deſcribitur: [d] *Detracta eſt ad inferos SUPERBIA tua: quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui dicebat in corde tuo; ſuper aſtra Dei ponam ſolium meum,*

d Apud Iſaiam cap. 14. a verſ. 11.

Digitized by Google

meum, & ſimilis ero Altiſſimo? Quibus profectò verbis illorum maleſanorum ſuperbia exhibetur in eo ſtultiſſime collocata, quod cum Creatore ipſomet appetierint æqualitatem. Pervetus autem hæc quæſtio, & in varias quoque partes opinionibus diſtracta, in quo *ſimilitudo* illa & æqualitas ſita fuerit: vulgatiores tantum percurram, atque in ſcholis ventilatas magis, ut quæ mea ſit tandem explicem.

715 Putant aliqui eo diabolum extremæ deſipientiæ perductum, ut naturam ipſam divinam induere concupiſceret, ſeu ut creata ſua per *converſionem* divina & increata evaderet. Non poſſum autem, quin ab iſtis diſſentiam: non enim id appetere potuiſſet, niſi & caperet inſimul, poſſe utcunque creatam rem eo ſummæ altitudinis pervenire. At hoc ne mortalis quidem homo (ni ſumma cæcitas animum obrueret & ſtoliditas) nedum Angelus perſuadere ſibi potuiſſet, ut qui intelligendi vi & ſapientia longe omnium præſtantiſſimus. *Non enim ita obtuſæ mentis erat*, inquit Anſelmus, [a] *ut nihil aliud ſimile Deo cogitari poſſe*, *neſciret*. Sed nec profectò minus ineptum Luciferum alii reddunt, qui ſe Deo ſimilem futurum, ex hoc jactitantem inducunt, quod perinde ac Deus, ultimum in ſemetipſo finem conſtituere cogitaret, ſeque ſuæ pulchritudinis complacentia [b] beatum iri ad metam divini gaudii, quod iccirco aſpernabatur, prætenderet intenderetque. O veram cum divina beatitudine æqualitatem! O pulchram perfectamque cum Deo ſimilitudinem!

[a] Lib. 7. cap. 4. *Tantoq. magis quod Diabolus ſuá etiã deſtructionem appetiiſſet.*
[b] *Quam græca voce* Philautiam *aliqui vocant.*

716 Veri autem ſimilius, ſeu ad explicandam divinam ſimilitudinem propius accedunt, qui tum appetiiſſe diabolum *unionem* cum æterno Verbo *hypoſtaticam*, credidere. [c] Putant ii, præceptum fuiſſe Angelis, probationis cauſſa, ut referatam eiſdem futuram *Incarnationem* toto animi obſequio totaque ex tunc reverentia adſumerent adorandam: factumque tamen eſſe, ut ad eam pro ſe expetendam conjunctionem ſuperbia diabolus excitaretur. Quod quidem etiamſi plene non ſciam, num antiquorum Patrum ſententiis conſentaneum ſit, Apoſtolique illis verbis, [d] Chriſtum fuiſſe ſcilicet *Sacramentum ABSCONDITUM a ſeculis*; duos tamen quibus innitatur, pro duobus adſertis habere creditur ſcripturæ locos. Siquidem ajente Paullo: [e] *Et quum ITERUM introducit primogenitum in orbem terræ*, *dicit*: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*: vox illa, *iterum*, & aliam primogeniti introductionem initio factam, in mentes utique Angelorum, per quos adoraretur, videtur innuere. Chriſto autem ex tunc diabolum obſequium ſubtraxiſſe, ſibique uti debitam prætendiſſe dictam conjunctionem, ea fortaſſe verba referre crederes, quibus volentes ipſum occidere Judæos Chriſtus objurgat: [f] *Vos ex patre diabolo eſtis*, *& deſideria patris veſtri vultis perficere*: *ille HOMICIDA erat AB INITIO*: ex tunc igitur in Chriſtum peccavit Lucifer, eumque occidere voluiſſet, quem naſci nolebat: ut enim *homicida* dicatur, *Non refert*, inquit

Ter-

[c] *Sic* Paſqualigus *aliique cum ipſo.*
[d] Ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 26.
[e] Ad Hebr. cap. 1. verſ. 6.
[f] Johan. cap. 8. verſ. 44.

Digitized by Google

Tertullianus, [a] *natam quis eripiat animam, aut naſcentem diſturbet*; Sed re nihilominus ſatius perpenſa; *iterum* illud profectò novam, non Verbi introductionem, ſed Apoſtoli *locutionem* ſignificat: laudaverat enim ſcripturas multas de Chriſto, ac tandem ponit: *& iterum*: quod ex contextu maximè patet. [b] Pari quoq. formiter patratum illud initio a diabolo *homicidium* impræſentiarum nec obtinet: *Adam* inibi innuitur, univerſumque hominum genus, quos antiqua ſua diabolus ſuggeſtione ad mortem uſque perduxerat, *æternum*que hoc etiam voluiſſet. Quod quoniam Servator noſter morte *crucis* [c] ſuſtollere cogitabat; Hebræi tunc illam aliter præveniendo impedientes, jure merito, quod patris ſui diaboli deſideria perficere voluiſſent, reprehenduntur. [d]

De Sententia FARDELLÆ.

717 Communis profectò inquirenda videtur ratio, ſeu cauſſa talis, qualem proponens reliquis Angelis, plurimos ad ſe ex illis arceſſere Lucifer ſequaces potuerit, unaq. ſecum ipſo *caudą* ſua draco, uti fecit, ad inferna miſere pertrahere. Secus; quæ portio ceterorum cum illo, ut ei morem gererent, & contra Deum rebellarent, ac turpiſſimam ſibi mortem conſciſcerent? Rem inde velut acu tetigiſſe *FARDELLA* mihi viſus eſt: *Lapſus*, inquit, *Luciferi & aliorum Angelorum in peccatum*, *LAPSUS LINGUÆ fuit*: *acuerunt enim contra Deum linguas ſuas, ſicut ſerpentes, eo quod ipſis notitiam ſecretorum humani cordis, & futurorum contingentium humanæ libertatis non conceſſerit*. Quia tamen nulla aliorum ſententia veras pro ſe habet probationes, & ſumus omnes in conjecturis, iccirco conjecturaliter loquendo ita res ſe habuit. Obtinuerunt Angeli initio infuſas ſpecies exiſtentium cunctorum multorumque etiam futurorum ac rerum *ſupernaturalium*: ſolum videbant ſe non poſſe ſcire ſecreta cordis humani, [e] atque humanam futura ſpectantia libertatem. Quoniam vero ſumma intelligendi virtute præditi erant, hoc ſibi etiam concedendum judicaverunt, & magna quidem (præſertim qui poſtea delapſi ſunt) cum efficacia poſtulaverunt. Deus autem humanæ providere volens libertati, ne minueretur; eorundem votum irritum fecit. Tactus repulſa Lucifer ſocios coëgit, quos una ſecum ad *murmurandum* de Deo impulit gravibus excitatis in eundem tumultibus, quod hominum in gratiam ſupernos Angelos deſpexiſſet. Porro nolentes ii divinæ adquieſcere voluntati, proruperunt in *odium* & *blaſphemiam* contra Deum, qui propterea illos damnavit.

718 Quod autem recenſitum iſtum penetrandorum ſecretorum cordis humani, futurorumq. ab ejuſdem libertate pendentium, inordinatum *appetitum* in ſe facile excitare Angeli curaverint (ex eoq. tumultus, blaſphemias & murmura [f]) multæ ſunt ac non leves, quæ in id nos impellant conjecturæ. *Prima* eſt: quia in natura intellectiva, ut ſunt

[a] In Apol. c. 1.

[b] *Secus enim introductus fuiſſet Chriſtus initio in orbem quoque terræ: atque vox illa,* iterum, *cadere deberet ſupra*, adorent eum.

[c] *Cui alligata erat redemtio.*

[d] *Vel ſicut Diabolus occidit primum hominem quoad naturá, ita Judæi volebát occidere primum quoad gratiam.*

[e] *Non poterant autem ab extriſeco, quia Deus impediebat: ſiquidem ſecretum cordis humani, utpote ens, eſt neceſſario verú, ac propterea cognoſcibile: quod quamvis nõ immitteret ſpecies ſui ad Angelicã mentem, hæc illis non indigeret, ſi ſeſe penetraret intra cor hominis, ut facere poteſt.*

[f] *Quorũ meminit Andreas Cretẽſis c. 24. in Apoc. aitq. in ea fuiſſe ſent.* Juſtinum Mart. *Congruit & illud in off. S. Mich. eo nẽpe pugnãte cũ Dracone,* factũ eſſe in cælo ſilentium; *unde prius fuerat* murmur.

ut ſunt Angeli, nil facilius occurrere poſſe videtur, quam appetitus ſciendi: ad hunc autem explendum, ſolum videbatur illis deficere talis cognitio, [a] quam proinde appetiiſſe credendi ſunt. *Secunda*: quia quum Lucifer voluerit eſſe Deo ſimilis; ſimilitudo hæc in ea ſolum videbatur conſiſtere poſſe ſcientia; *Deus* enim *ſcrutator eſt cordium*, ac futura quæque contingentia ſolus prænovit, qui propterea apud Iſaiam [b] id exprobrat dæmonibus in idolis: *Annuntiate quæ VENTURA ſunt in futurum; & dicemus, quia DII eſtis vos*. *Tertia*: quia non curandis infirmis, aliiſve patrandis ſignis, ſed ſecretis duntaxat futuriſque revelandis intentos ſeſe exhibuere dæmones, qui divinos in idolis honores aucupari ſtudebant: ſic ut oſtenderent, in hoc eos olim a ſe prætenſam conſtituiſſe divinitatem. *Quarta*: quia *ex abundantia cordis os loquitur*: prima autem locutio dæmonis & tentatio fuit hæc: *Eritis SICUT Dii SCIENTES bonum & malum*. Quo fit, ut jam illi in mente prius adhæſerit affectio divinitatis per talem ſcientiam. *Quinta*: quia forte dæmon in quo victus fuerat, & ipſe vincere voluit, inque eo peccare hominem, in quo ipſe peccaverat; peccavit autem ille, diabolo ſuggerente, per deſiderium divinitatis ex tali ſcientia; ita ut per idem peccaſſe dæmonem credendum ſit. *Sexta*: quia quum Deus prohibuerit Adæ comeſtionem ligni *ſcientiæ*; [c] veriſimile eſt, quod eum probare voluerit, in quo diabolus ceciderat. *Septima*: quia non aliunde inextricabile illud quo dæmones hominem perſequuntur, odium poterat proficiſci, quam quod in gratiam illius a Deo deſpectos damnatoſq. ſe viderent: una ſiquidem excepta *Incarnatione*, nil magis præ Angelis homini favebat, quam defenſio ipſius libertatis.

719 Nec propterea quibus ex præfixo inſtituto adhæream conſtanter, nunc mihi fortaſſe Patres deficiunt. Enim vero concupitam olim inepte a diabolo cum Deo *ſimilitudinem* hocce a nobis expoſito in deſiderio *Tertullianus* propemodum collocavit; ut qui, *æmulandæ* divinitatis cauſſa, potiſſimum agi dæmones in idolis fallaci *divinandi* ſpiritu, acute animadverterat: *ÆMULANTUR*, inquit, [d] *divinitatem, quum furantur DIVINATIONEM*. [e] Qua in re profecto prætereundum non duco, quod quum alia de cauſſa olim ego Patres evolverem, in ea divi *Anaſtaſii* Synaitæ Patriarchæ Antiocheni verba, quæ mox ſubjungam, inſperato, ſummaq. tamen fortuna incidi; quibus hanc noſtram illum ſententiam docuiſſe perſpectum eſt. Etenim Creatorem Deum Proto-plaſtos de Lucifero adloquentem, hoc ipſe modo introducit: [f] *Similis ero Altiſſimo, effutiebat: nempe PRÆSCIENS, quis hoc vel illud ſit facturus, & SCIENS quæ ſunt occulta & manifeſta hominum*. Quid clarius, ut contra Patres linguas ſuas ſicut ſerpentes etiam acuerint, quicunque contra hanc forte ſententiam acuerunt?

720 Quod ſi mihi tantum liceret, quantum inter viros hucuſque doctiſſimos me etiam ſcripturas exponentem introducere poſſem; mul-

a *Et quanquã unicuiq. deficiebat etiã cognitio cordis aliorũ Angelorũ, de hac tamen non fuerunt ſolliciti; ne ſibi præjudicarent.*

b Cap. 41. verſ. 23.

c *Quod nomẽ quum ea arbor meruerit ob eventum; voluit inde Deus probare hominem, in quo ceciderat Dæmon, nõ per inhibitionẽ unde ſumtã, ſed per eã una cũ tentatione, quã homo habiturus erat.*

d In Apocal. cap. 20.

e *Ita & Iſidor. Peluſiota, Apollinaris, et alii PP. qui putantes Angelos ante hominem factos, explicãt illud Pſalmi;* Qui finxit ſingillatim corda eorum; *ſubſtituẽdo voci,* ſingillatim, *vocẽ,* ſeorſum; *ſcilicet in formatione cordis humani Deũ noluiſſe, ut intervenirẽt Angeli, qui per illos in ceterarum formatione partiũ interfuerunt.*

f Lib. 9. Hexam. ut in Bibliot. PP. edit. Pariſ.

multum ſane haberem ad manus, quo ex iis opinio noſtra firmetur amplius, quin & ultro procedere ex iiſdem, vique ſua, perquam clariſſime dignoſcatur. Famoſam illam Apocalypſicam *Mulierem* in ſcenam voco, cujus partus, quoniam a dracone expetitus, & ſibi a Deo reſervatus; magni in cælo commiſſi prælii extitit cauſſa: [a] *Stetit draco ante Mulierem, quæ erat paritura, ut filium ejus DEVORARET: & peperit filium maſculum, & raptus eſt filius ejus AD DEVM. Et factum eſt PRÆLIVM magnum in cælo; Michaël & Angeli ejus. &c.* Apertam profecto inibi de Angelorum peccato fieri mentionem ſinguli norunt: cujus tamen conditionis ea mulier, cujus generis conceptus filius, quænamque ipſorum cum dracone neceſſitudo, non quidem convenit inter omnes. Tum illam *Eccleſiæ*, tum *BEATÆ VIRGINI* ſæpius aptant: nos vero nunc, quod & utriſque iis, & *animæ* quoq. hominum ſacra alibi *Canticorum Sponſa* indiſcriminatim laudateq. accommodetur; *humanam* etiam *animam* ac *libertatem* adumbrari æque recte per eam mulierem, fortaſſe dicere poſſumus, atq. ad rem quoq. magis idonee. *Solem* quidem, non ſecus ac illa Mulier, anima libertaſque induit, quod divinam in ſe præferat imaginem; *aſtris* redimitur, quoniam ſua bene utendo ratione ac ſapientia *dominari* dicitur *aſtris*; [b] ſuper *Lunam* incedit, quia ſupra propriam volubilitatem. Superbia interim elatus primus Angelus, quod reſervatam Deo ſcientiam, ſeu ſecretas animæ conceptiones, ſibi deberi vellet, ac *draco* effectus; cauda ſua tertiam partem ſtellarum traxit, ut in idem inſimul conſpirarent: [c] ſumma ii omnes cum efficacia id a Deo, & petulantia, poſtularunt, ſteteruntq. ante Mulierem, ut genitum vix partum devorarent, ſua videlicet voraci mente ſtatim perciperent. Peperit ea filium maſculum (nempe amorem) quem ut draco vidit, e muliere ad Deum unum qui *ſolus ſcrutatur ſecreta cordis*, illico raptum, ſibiq. involatum; movit grave bellum in Superos, blaſphemias in Deum evomuit, peccatum conſummavit, & inde non prævalens, per bonos Angelos e cælo fuit deturbatus.

[a] Apoc. cap. 12. verſ. 4. & 5.

[b] *Juxta Poëtam ſic:* Sapiens dominabitur aſtris; *eorundem nimirum influxibus, quibus ad minus bona (ſalva ſemper libertate) quandoque homines inclinantur; illiſq. ſtulti ſuccumbunt.*

[c] *Certe niſi aliqua communis cauſſa excogitetur (quemadmodum eſt hæc noſtra) diſcordia fuiſſet inter ipſos dæmones, non cum Angelis bonis: vacante enim aliqua dignitate, quam plures prætendunt, diſcordia eſt inter eos qui prætendunt, non cum aliis.*

721 Quod autem obeſſe poterit, id videtur: ſequi nimirum, non *ſuperbiam* ullam quam ceteroquin Patres ac nos ipſi initio poſuimus, in draconem horribilem præſtantiſſimum Angelum convertiſſe, ſed murmurationibus, odiis & blaſphemiis contra Deum Creatorem fore id inſcribendum. Aſt quemadmodum ſuperbia, ut *capitale* vitium, multa radicat alia, quæ ab illa profluunt, ita quod in ſe quandoque aliud eſt, in radice atque origine ſuperbia erit: quocirca ſi proprium illius *eſſe* tu attenderis, *lapſus linguæ* fuit Angelorum peccatum: ſi originem; ſuperbia, ſeu *excellentiæ* indebitæ *appetitus* inordinatus: quo quum fraudatos ſe viderint, blaſphemiis linguas ſuas in Deum acuerunt. Æqua etiam ratione peccatum Judæ quod *avaritia* fuit in radice, *proditio* Chriſti in ſuo *eſſe* extitit; atque Judæorum alterum illud, in origine *invidia*, in *eſſe* ſuo *Deicidium*.

DE

Digitized by Google

De Pœna Dæmonum.

622 CONſtans ſenſus eſt, & quidem hæreditarius fidelium omnium, *vero igne* [a] veraque *ex eo* pœna prævaricatores Angelos, ſecumque ipſis quamplures qui ſtulti eis adhæſerunt, ſceleſtos-obſtinatos homines fore æternum ſine ulla ſpe prorſus redemtionis afficiendos. Qui enim *fundamenta montium comburet* verus ignis, quam qui veriſſimus; hunc *in furore* Dei *accenſum*, is ipſe qui facit miniſtros ſuos ignem urentem, planiſſime conteſtatur. Neque enim eſt, cur ad metaphoram transferatur ignem ubique clamans *Litera*, ignem impiis, & hunc inextinguibilem, minans, inque ignem hos denique mittens æternum ſtagnumque ignis & æternam combuſtionem. Quei tamen corpore immunis, corporeiſque ſenſibus expers, igne corporeo ſpiritus torqueatur; ingenia fere omnium Doctorum, pene etiam angelica, maxime torquet. Prudentiores inter eos paucis ſe expediunt, qui ſe id neſcire prorſus fatentur, *ineffabilem* ignis in dæmonem *actionem* prædicant, mortalibus penitus obſeratam, ſeque minus Theologos, ubi magis ſinceros produnt. Et ſane quæ antea circa hoc in ſcholis vulgatæ fuere opiniones, rem omnino adſecutæ non viſæ ſunt. Has ad tres reducemus, ceteris celebriores, obque autorum ſuffragia dignas quas expendamus.

a Ut propterea eum primo negans Tertullianus ſe inde retractaverit lib. de anima cap. ult.

623 Sunt qui infernum & ignem ceu putum carcerem, cui per *alligationem* ſpiritus damnatorum mancipentur, Deo quidem vim inferente, invitoſque hos detinente, conſiderant. [b] Sed niſi alligatio hæc ſit *unio* noſtra (de qua infra) *hypoſtatica*; nonne ita tantum *in* igne a Deo torquerentur, qui exire volentes, nullis ignis impedimentis detentos, in eo nihilominus virtute omnipotenti ſua detineret; neutiquam *ab* igne, ut qui actionem in præfatos nullam derivaret? Annon incongruenter Chriſtus Dominus locutus induceretur, ubi refrigerium aquæ efflagitantem repræſentavit [c] inferni *divitem*, qui exire ſolum e flamma, eaque exſolvi concupiſcere debuiſſet? Nonne etiam puerorum *Limbus* qui purum ab eis ceteroquin exilium creditur, gehenna eſſet (quippe utraque carcer igneus ſunt) & *Purgatorium* exilium fieret ſimpliciſſimum, ſenſibili pœna ſublata ab eo, in quo omnes detenti, non invite quidem, ſed ſumma cum Deo conformitate detinentur?

b Ut diſcipuli D. Thomæ, qui ſic videtur ſentire, heic q. 64.

c Lucæ cap. 16. verſ. 24.

694 Sed neque tamen rem intentam evincunt, aſcendunt tamen aliquem gradum, qui putant, [d] ab igne torqueri dæmones, quod in eorundem intellectu *apprehenſionem* falſam, & inde veram in voluntate excitet atq. ingerat triſtitiam, cum ea quæ in anima eſt, quando corpus comburitur, prope eandem & unam: vel quod unicuique eorum *cogitationi* obtutibuſque ſingulis ſemper ac ſemper, moleſtus ea propter, ac

d Ita ex Johan. Duns Scoto ejuſdem Sectatores.

moleſtiſſimus, contemplandus ignis objiciatur. Sed quæ cauſſa inde dæmonum cum igne? a *ſua* quiſque falſa apprehenſione cogitationeque de igne, non *ab* igne vel in minimo cruciaretur. Qui quidem evidentiſſime quum ſciant ſe cum igne nullam habere diſconvenientiam, quotidieque hominibus tentandis inſiſtant; jam & illam apprehenſionem admittere non poſſunt, & ab aliarum rerum cogitatione per ignem compeſci. Plauſibile quiddam proferrent alii, ſi veriſimile: volunt, [a] neſcio qua, *obedientiali* potentia elevari ignem, ut inſtrumentum, ad imprimendam in Angelis *qualitatem* certam ſpiritualem doloriferam, cruciatui combuſtionis corporis minime abſimilem. At nonne hæc ſubjectum ſpirituale potius perficeret, quam officeret eidemmet, [b] neutiquam diſconveniens illi, cui *ſuper-naturalis* quum ſit, non *contra*, ſed *ſupra* naturam eſt? Demum (ut ab his tribus, iiſque aliis affinibus placitis uno verbo me expediam) ſeu *qualitas* hæc, ſeu *carceratio*, vel *apprehenſio*, illæ *junEturæ* non ſunt & *adhæſiones* ignis cum dæmone, queis Auguſtinus infra explicandus, aliique Patres pœnam ſenſus illaturum infernum conſtituunt.

De Sententia FARDELLÆ.

725 Quum nullum ex ſupradictis placitis tantum obtineat, quo plene intellectui apteq. ſatisfaciat, in cauſſa eſt, ut eidem ſatisfacturus plenius, ſeu ſibi aliiſque qui eum recte perpenderint, novum de pœna dæmonum, ſeu noviter e Patribus erutum, laudatus FARDELLA ſyſtema edat. Docet igitur, dæmonem torqueri ab igne per *unionem hypoſtaticam* cum ipſo, vi cujus diabolus factus eſt ignis, & ignis diabolus. Ut autem commune eſt viris omnibus perilluſtribus, queis ſpectatores, ne ad illorum peracutiſſimam lucem oculos ſuos offendant, tegumentum aliquod vel umbraculum quo ea minuatur, opponere conſueverunt; ita & FARDELLÆ contigit, *Pariſiis* quum doceret, ad medietatem ſeculi elapſi: Sorbonæ ſiquidem Doctores nedum cunctos in ſui admirationem traxit (unde publice tum *magnus*, tum *ſubtilis pluſquam Scotus*, conclamatus eſt [c]) verum & una plures in æmulationem. Hinc magnum ipſi bellum fuit exortum, ac certamen forte datum eſt illi, ut vinceret. Seriem facti luculentiſſime ille ipſe narratam reliquit, quam & nos verbis ipſiuſmet propriis heic ſubjiciemus.

„ 726 Origo autem tam vehementis averſionis ad dictam ſententiam fuit, quia aggrediatus eſt contra eam Pater *Barone* Dominicanus Sorbonicus, & vir doctiſſimus, qui multa opera ingenii typis impreſſit. [d] Poſt reſponſionem diſcipuli [e] ego in majorem confirmationem meæ ſententiæ attuli quendam locū Scripturæ ſacræ *ex Pſalmis*,

[a] Sic Recētiores quāplures.

[b] *Neq. etiam corporea qualitas ſuo ſubjecto phyſice obeſt, ſed formæ & compoſito, quibus interdum diſconveniens eſt.*

[c] Ut nu. 180.

[d] *Atq. etiam* de noſtra Congregatione *benemeritum ſe oſtēdit, ubi Eucharistiæ ſumtionem in Templo noſtro Sancti Andreæ de Valle Romæ fieri ſolitā pro mortuis, a dicteriis Theophili Raynaudi vindicat, in libro, cui fecit nomen:* Libri 5. Apologetici &c. Quarta pars manuductionis: lib. 3. ſect. 1. §. Sciat ergo: *in hæc verba:* Sola æmulatione qua ſoles tranſverſus agi, diſtrinxiſti calamū *in Patres S. Andreæ a Valle*, quod nō poſſes ferre frequētiā illorū Eccleſię, & ſolitudinem tuæ. *cetera.*

[e] *Qui* Hieronym. Ventimiglia, *dein Epiſcopus Liparitanus, Vir literis et Apoſtolicis Regiiſq. muniis clariſs.*

mis; quo allato, ille cum nauſea dixit: *iſti, Pater Reverende, ſunt conceptus Concionatorii*; ad quem ſtatim ego: *quid mirum, ſi reſpondendo ad Patrem Prædicatorem*, [a] *utor conceptibus prædicatoriis*. Fuit excepta reſponſio quaſi quoddam ſcomma cum magno plauſu totius circuli, ita ut ille veluti erubeſceret; tacuit, ſed poſtea movit grave bellum contra me propter hanc concluſionem, quod duravit per *octo menſes*; & congregabantur ſemel in hebdomada Sorbonici, ut aliquid contra hanc meam doctrinam ſtatuerent. Obtuli publicum congreſſum, ad quem per plures dies omnes poſſent convenire & arguere; ita tamen ut deberent intervenire duo publici Notarii, unus ex parte ipſorum, alter ex mea parte, qui ſingula argumenta, autoritates, reſponſiones & explicationes fideliter ſcriberent, & poſtea typis mandarentur: ſed hanc conditionem noluerunt acceptare, & ego ſine illa nolui. Facti ſunt autem plures privati congreſſus, primus coram *Archi-Epiſcopo Toloſano*, & fere decem Sorbonicis, ultra alios; ſecundus in domo Abbatis *de Tellier* qui erat a me averſiſſimus: in primo dederunt manus; in ſecundo quamvis nihil dicerent, talis Abbas favens tunc Janſeniſtis, ſemper ſtetit averſus. Et quia erat filius unius ex tribus Secretariis Regis, ego per ſcomma dixi: *veneror potentiam Patris, non ſapientiam Filii*: quod fuit relatum, ſicuti etiam relata multa contra alios, quæ revera non dixeram. Unde invaluit oppoſitio præcipue *Janſeniſtarum*, qui habebant me, ut *Pontificium*; & typis mandavit epiſtolas *Johannes Launoyus*, unam contra Alexandrum VII, alteram contra me ſimul unitas, & Janſeniſtæ ſemper contra me ſteterunt, uſque dum diſceſſi e Gallia. = Hactenus Doctor *Pluſquam-ſubtilis*.

[a] *Siquidem erat ex Ordine PP. Prædicatorum.*

727 Ejus autem ſententia (ut videbitur) ea eſt, quam alio verborum ordine ipſe quondam Auguſtinus [b] conſtruxerat; cujus ille profecto mentem apprime primumq. feliciter adſecutus eſt. Hæc eadem valde arriſit *Verano* noſtro, ita ut quum eſſet Theologiæ actualis Profeſſor, quaſi in propriam adoptaverit vindicaritque: attamen ſuis in operibus quæ prælo ſubjecit, imperfecte multum propoſuit, ac duntaxat ex parte, [c] ut levem ac fere nullam in iis propterea, quam habet, venuſtatem præſeferat. Eam inſuper ex noſtratibus ſecuti ſunt non pauci doctrina & eruditione clariſſimi viri: inter quos in ipſa rurſus urbe Pariſiorum poſt *FARDELLÆ* diſceſſum eodem animo proſecutus eſt illam, & in Palæſtram literariam ſæpius revocavit *Franciſcus Caffaro* Meſſanenſis, Patriæ electus Antiſtes: ac nuper eruditiſſimi germani Fratres *Cajetanus* & *Andreas Cottone* in Poloniam uſque, dum in *Collegio* noſtro *PONTIFICIO Leopolitano* Armenios & Ruthenos inſtruerent, invexerunt. Eam etiam *Panhormi* docuiſſe didicimus *Cajetanum Pilo*, multis nominibus illuſtrem virum; qui multos annos (quoad ipſi bona valetudo permiſit) apud Epiſcopum Pa-

[b] Lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. *ut numeris 756. & ſequentibus.*

[c] In Theol. tom. 4. diſp. 13. ſect. 4. §. *dicendũ Sexto.*

ctenſem Vicarium Generalem egit; cujus quoque dexteritati hocce noſtrum, quod ab initio ipſo moderatur, *IMPERIALE Collegium Nobilium* auſpicium ſuum incrementumque, utique non exiguum, accepta refert. Plures etiam e Patribus Jeſuitis præſertim *FARDELLÆ* Concivibus, hujus ingenio [a] æque ac ſententiæ obſecuti ſunt, quam in *Civitatenſi* Panhormitano *Collegio* publice ſubſtinuiſſe perhibentur: aliique etiam ex aliis ordinibus Regulares, quorum meminit, [b] poſt laudibus exornatum *Fardellianum* inventum, doctiſſimus noſtri temporis Antoninus Mongitore de Republica literaria literatiſque optime meritus.

728 Doceberis igitur, Angelorum prævaricatorum catervam, qui vulgo dæmones nuncupantur, fuiſſe a Deo in pœnam commiſſi ſceleris ſpoliatos propria ſubſiſtentia, & exinde igni unitos, eoque indutos, ita ut ex ipſo & dæmone factum fuerit quid unum completum ſubſiſtens, non ſecus ac ex humanitate adſumta & Verbo divino conſtitutum eſt ſolenne unum illud ſubſiſtens, quod Chriſtus Dominus. Quare ſicuti ob hanc *hypoſtaticam unionem* rectiſſime & ineluctabiliter dixeris: *Homo eſt Deus, Deus eſt homo*; ita & ratione illius dici poterit; *Ignis eſt diabolus, diabolus eſt ignis*. Sed quum viderimus, ſententiam hanc, dum publica fuit elapſis annis Meſſanæ in *Seminario* noſtro *Archi-epiſcopali* (ubi quoq. Lectorem tunc agebamus) diſceptatione donata; Eruditis non paucis placuiſſe, adeo ut pleriq. a nobis de hac ipſa exaratam quam habebamus, [c] expoſitionem probationemq. efflagitarent, animo quo illam ediſcerent ad mentem autoris ac mox docerent; hinc ne fortaſſe huic detrahamus, atque claram minus (in compendium, ut noſtri moris eſt, redigendo illam) reddamus, publicum votum fraudaturi; nonniſi, ut jacet, exhibendam ducimus, ut quo prolixiorem, eo illam habeas levigatiorem; quo pleniorem, eo etiam planiorem accipias. Hoc autem, quod modo nos, feciſſet equidem a multis annis ipſipſus Autor; niſi eam, ut par erat, in ſuo quippe loco, in Tractatu nempe *de Angelis*, imprimendam diſtuliſſet. Cœpit nanque Pariſiis anno vulgaris æræ 1666. ſuas Lucubrationes Theologicas publici juris facere; [d] id quod (ut apud nos extat) a *ſacra Doctrina* ad integrum uſque *de Adtributis* Tractatum feliciter geſſit; compleviſſetq. pariter omnes, niſi ad cælicos avocato, hoc ipſi invida mors prohibuiſſet. Ei igitur dedere Superi magnum ingenium; nobis expoſitionis gloria relicta eſt.

[a] Ut nu. 180. *ubi vidimus* Ingenii monſtrũ *per Melchiorẽ Pomè fuiſſe appellatum.*

[b] In Biblioth. Sicula, verbo: *Albertus Fardella.*

[c] *Quam nempe nobis ob ſolam ſententiæ notitiã ex nobiſmet comparavimus, ita tamen, ut quũ inde Autoris expoſitionem in manus accepimus, incidiſſe nos cognoverimus in multa, ſeu pro confirmatione doctrinæ, ſeu pro objectis & reſponſis, quæ ex ſe doctiſſimus Autor invenerat.*

[d] Ex Typogr. Johan. Boullard. & vide num. 348. in adnot. ad lit. e.

IN-

INCIPIT RATIOCINIUM FARDELLÆ

PRO SUA DOCTRINA,

DE VNIONE HYPOSTATICA IGNIS CVM DÆMONE,

Nonnullis ad marginem adnotationibus interpolatum.

In Nomine Domini.

729 CONcluſio quæ inter omnes theſes editas & defenſas heic Pariſiis hoc anno 1666. die 14. Aprilis ultimum locum obtinuit in ordine, eſt ſequens. *Pœna dæmonum pene ineffabilis, torquet eos ignis, ſed quomodo, torquet ingenia: ſunt qui putant difficultatem ſolvere, eos ad ignem alligando: qui exprimere per qualitatem in ipſis ab igne impreſſam: & qui falſam dæmonum apprehenſionem, veram putant illorum pœnam. Melius ergo ſentimus dicendo dictam pœnam oriri ex eo, quod per VNIONEM HYPOSTATICAM diabolus factus eſt ignis, & ignis diabolus.*

Declaratur Concluſio, & adfertur illius vera intelligentia.

730 HYpoſtaſis græce idem valet, ac latine *Perſona*, vel Suppoſitum, & ita eſſe hoc nomen uſurpatum ab Eccleſia docent omnes; præſertim Cardinalis de Lugo: [a] unde *Vnio hypoſtatica* idem eſt, ac *unio in perſonalitate*, ſeu in ſuppoſito, vel ſubſiſtentia. Quando ergo dicitur in Concluſione, quod per *Vnionem hypoſtaticam* diabolus factus ſit ignis & ignis diabolus; ſenſus eſt, quod Deus per ſuam Omnipotentiam faciat, quod diabolus ſubſiſtat per ſubſiſtentiam ignis materialem & corpoream, per quam tanquam per aliquod (ſaltem naturaliter incompoſſibile) eveniat, quod non ſit amplius in diabolo propria ſubſiſtentia ſpiritualis; ex hoc autem, quod natura diaboli & ignis ſubſiſtant per eandem ſubſiſtentiam, & ſint unum ſuppoſitum; fit, quod diabolus poſſit dici ignis & ignis diabolus.

[a] Diſp. 12. de Incarn. ſect. 1. *quandonã autem uſurpari cœperit, diximus nos num. 247. & 573.*

Expli-

Explicatur, quomodo per dictam Unionem hypoſtaticam poſſint torqueri Dæmones.

731 DUrus videbatur audientibus ſermo Chriſti, quando dicebat, ſe velle facere ſuam carnem cibum hominum; fecit tamen miro modo deſtruendo per ſuam Omnipotentiam ſubſtantiam panis, & ponendo ſuam ſub accidentibus illius. Ita etiam durum videbitur, quod faciat ſpiritus cibum ignis; at ni fallor, facit hoc etiam miro modo, deſtruendo per ſuam Omnipotentiam in natura ſpirituali propriam ſubſiſtentiam, & ponendo in ea ſubſiſtentiam ignis. Sic ergo modo mirabili paſcuntur homines corpore Chriſti vivo & integro; & alio etiam modo mirabili a me explicato, paſcitur ignis ſpirituali ſubſtantia. Ut autem hoc explicem; explicandum eſt, quomodo poſſit in hoc conſiſtere pœna, quam patiuntur dæmones ab igne. &

732 Dico, optime id poſſe contingere; duplicem enim pœnam & dolorem invenio in hac re poſſe dæmones habere ab igne. *Prima* pœna & dolor eſt, dæmones eſſe privatos propria ſubſiſtentia *ſpirituali* a natura ipſorum exigita, quod utique adfert illis maximam pœnam. Pœnæ enim oriri ſolent a privatione alicujus boni debiti & exigiti a natura, ex Divo Thoma. [a] Sic pœna famis oritur ex privatione alimenti exigiti; pœna vulneris a privatione unionis exigitæ a corpore inter ſuas partes; pœna combuſtionis a privatione temperamenti exigiti a natura, cetera: ergo etiam a privatione ſubſiſtentiæ propriæ ſpiritualis exigitæ ab ipſorum natura poterit oriri in illis maxima pœna, quum faciat illos carere maxima perfectione. *Secunda* pœna & dolor eſt, naturam dæmonum recipere in ſe, vel terminare ſubſiſtentiam *materialem* & corpoream ignis; quę quum ſit illis utpote ſpiritualibus maxime diſconveniens, poteſt adferre illis maximam pœnam; ſicuti res nobis diſconvenientes torquent nos; v. g., ſonus improportionatus torquet potentiam auditivam; cibus diſconveniens potentiam guſtativam, cetera. Unde ex Divo Thoma [b] habetur: *Dolorem haberi nedum ex amiſſione boni, ſed etiam ex conjunctione mali.* [c]

733 *Dices primo* contra primum modum pœnæ; humanitas Chriſti eſt privata propria ſubſiſtentia ab ea exigita, & tamen non eſt illi pœna; ergo nec dæmonibus privatio propriæ ſubſiſtentiæ exigitæ a natura ipſorum. *Reſpondetur* negando conſequentiam, & diſparitas eſt, quia humanitas Chriſti habet ſubſiſtentiam divinam, quæ continet omnem perfectionem ſubſiſtentiæ humanæ demtis imperfectionibus; unde humanitas Chriſti per amiſſionem propriæ ſubſiſtentiæ, nullam amittit

[a] 1. p. q. 48. art. 3.

[b] p. 2. q. 26. art. 1.

[c] *Aliæ quoq. pœnæ quæ ob unionem hypoſtaticam prędictam Dæmonibus inſunt, in decurſu oſtendentur.*

Digitized by Google

amittit perfectionem, quam non habeat per ſubſiſtentiam divinam; non ſic dæmones, qui carent propria ſubſiſtentia ſpirituali, & ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam materialem & imperfectam. *Præterea* licet alicui naturæ humanæ tolleretur propria ſubſiſtentia, & ipſi nulla alia daretur, vel daretur illi ſubſiſtentia inferioris conditionis; talis homo non ſentiret pœnam, eo quia homo naturaliter, nec agit, nec patitur niſi dependenter a ſenſibus. Subſiſtentia autem non eſt quid ſenſibile, nec immutat ſenſum, non ſic contingit in dæmonibus, ut patet.

734 *Dices ſecundo* contra ſecundum modum pœnæ; ſubſiſtentia ignis facit ſubſiſtere naturam dæmonum, ergo perficit illam, ergo non poteſt cauſſare in illis pœnam: probatur hæc conſequentia, quia quod dat perfectionem, non poteſt eſſe cauſſa pœnæ. *Reſpondetur* diſtinguendo primum conſequens, ergo perficit illam in *pura* ratione ſubſiſtendi, concedo; in aliis rebus, quas adfert, dando talem modum ſubſiſtendi, nego: unde negatur ſecunda conſequentia; & ad probationem reſpondetur, quod dans perfectionem in ea ratione in qua dat perfectionem, non poteſt eſſe cauſſa pœnæ: bene tamen in aliis rebus quas adfert ſecum neceſſario, ut det talem perfectionem: v. g. *Pes ligneus* non torquet hominem in eo, quod ſuſtentet illum loco pedis naturalis abſciſſi, ſed in rebus aliis, quas neceſſario ſecum adfert, ut ſuſtentet; puta in pondere, ligatura, deformitate, cetera. Subſiſtentia ergo ignis non torquet dæmones in eo, quod faciat ſubſiſtere naturam illorum, ſed in eo, quod, ut ſubſiſtant per illam, debeant habere in ſe rem corpoream & materialem, quæ & deformat illos, & eſt veluti pondus. [a]

735 *Dices tertio* contra eundem modum pœnæ; per hoc quod dæmones ſubſiſtant per ſubſiſtentiam ignis, jam ſunt ignis, ergo non torquentur ab illo. Probatur conſequentia, quia idem non torquetur a ſe ipſo. *Reſpondetur*, diſtinguendo ſequelam; jam ſunt ignis per identitatem ſuppoſiti ignis & ſuppoſiti dæmonum, concedo; per identitatem naturæ dæmonum, vel cum natura ignis, vel cum ſuppoſito ignis, nego: unde negatur conſequentia; & ad probationem reſpondetur, idem ſumtum ſecundum naturam poſſe torqueri a ſe ipſo ſecundum ſuppoſitum; [b] natura enim vere torquetur, ſuppoſitum vero ſolum denominative; unde ſuppoſitum eſt torquens vere & formaliter naturam, at illud vero, quod torquetur; ſolum denominative. Imo hoc eſt tormentum dæmonum, quod natura ipſorum habeat ſuppoſitum ignis, a quo dæmon denominatur ignis. Sicuti licet homo habens calorem ſit idem cum calido, & denominetur calidus; tamen torquetur per hoc, quod habeat calorem a quo ſit idem cum calido.

736 *Dices quarto* contra utrunque modum pœnæ; quia per neutrum modum poteſt explicari, quomodo unus dæmon torqueatur plus quam

[a] *Ceterum hoc ipſo Dæmon qui ſuperbia ſua ſprevit in homine creaturas oēs corporeas, viviſſime affligitur, quod in tantā ſit redactus miſeriam, ut aliquo inſenſato corpore indigeat ad ſubſiſtendum; ceu Princeps, qui privatus honore ac divitiis, ſubſidio ſubditi, a ſe olim ſpreti, indigeat ad vivendum.*

[b] *Idem accidit in* Incarnatione, *in qua Deus factus eſt homo, & homo Deus; & tamē humanitas fuit a divinitate dignificata, non obſtante identitate in ſuppoſito; ratione diſtinctionis in natura.*

Digitized by Google

quam alter, & tamen certiſſimum eſt dæmones torqueri inæqualiter; ergo, cetera. *Reſpondetur*, negando primam partem antecedentis, quia licet omnes dæmones æque priventur propria ſubſiſtentia & ſubſiſtant per ſubſiſtentiam ignis, tamen in multis rebus poteſt ſalvari illa inæqualitas pœnæ, quæ reperitur inter dæmones.

737 *Primo* ex parte cognitionis, eo quia illum, quem Deus vult magis punire, faciat, quod habeat cognitionem magis intenſam, vehementiorem & cum majori applicatione ad has pœnas; ſicuti licet pœna damni ſit omnino æqualis objective in dæmonibus, omnes enim æqualiter carent viſione Dei; tamen formaliter poteſt eſſe major in uno, quam in altero, inæqualitate proveniente ex parte cognitionis & apprehenſionis modo dicto: prout docent Theologi magis communiter. [a] Neque ex hoc poteſt dici, quod ſit pœna ex falſa apprehenſione; nam eſt ex apprehenſione vera verorum malorum, ſed cum inæqualitate intentionis & applicationis; ſicuti videmus contingere in nobis, quod de eodem malo unus habet majorem dolorem, quam alter.

738 *Secundo* poteſt oriri inæqualitas ex parte ipſarum rerum cauſſantium pœnam; nam ex Divo Thoma [b] Angeli quo perfectioris ſunt naturæ, eo acceperunt a Deo majorem gratiam; & conſequenter peccando, gravius peccaverunt, & ſic gravius puniuntur in inferno; patet autem, quomodo dæmon nobilior gravius puniatur in mea ſententia; eo quia ſubſiſtentia ignis tollit ab eo ſubſiſtentiam nobiliorem ea, quam tollit a dæmone minus nobili; & ſimiliter ipſa ſubſiſtentia ignis materialis corporea eſt magis diſconveniens naturæ dæmonis nobilioris, quam ignobilioris. Unde ex utroque capite dæmones torquentur inæqualiter, juxta inæqualitatem demeritorum; quum hæc demerita fuerint inæqualia juxta inæqualitatem naturarum. [c]

Probatur Concluſio loquendo de poſſibili.

739 Explicato, quomodo optime ſalvaretur pœna dæmonum per amiſſionem propriæ ſubſiſtentiæ, & per hoc, quod ſubſiſtant per ſubſiſtentiam ignis, primo venit inquirendum, an totum hoc ſit poſſibile. *Reſpondeo*, eſſe poſſibile: ita docent Scotus, Ochamus, Gabriel, Almainus, Major & alii recentiores, quos citat & ſequitur Yſambertus Sorbonicus. [d] Item Valentia Præpoſitus, Becanus, Albertinus, Hurtadus & alii, quos citat & ſequitur de Rhodes: [e] item & Comptonus: [f] qui quidem omnes docent, poſſe naturam creatam expoliari propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtere ſubſiſtentia *aliena* creata; ita ut duæ naturæ poſſint eſſe ſub una ſubſiſten-

[a] Apud Suarez lib. 8. de Angel. cap. 5.

[b] Part. 1. q. 6. art. 6.

[c] *Eſt & alia inæqualitatis pœnæ ratio: Nimirum Angeli torquentur ex eo, quod non æque ferunt ob ſuperbiã ſuam ſpoliari propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtere illa ignis; unde quo plus peccarunt ſuperbia, eo magis illa ſpoliatione torquentur: quare Dæmones inæqualiter ſuperbi, inæqualiter torquentur.*

[d] Ad quæſt. 3. de Incarnat. diſp. 1. ſect. 1.

[e] De Incarn. diſp. 1. q. 2. ſect. 3. §. 3.

[f] Diſp. 8. ſect. 8.

Digitized by Google

ſiſtentia creata, & eſſe hypoſtatice unitæ. *Probatur*, eo quia nulla de hac re poteſt aſſignari repugnantia, ergo non eſt denegandum Deo, poſſe talem rem facere. *Confirmatur*: ſi aliqua eſſet repugnantia, vel eſſet repugnantia univerſalis de omnibus ſubſiſtentiis creatis; quod non poſſint terminare alienas naturas, & circa tales repugnantias non immoror; quia ſuppono ex materia *de Incarnatione* cum dictis Autoribus, id non implicare. Vel eſſet aliqua repugnantia ſpecialis in hac ſubſiſtentia ignis communicata naturæ dæmonum, & nulla poterit aſſignari, quæ habeat vim, ut patebit ex ſolutione illarum.

740 *Dices primo*. Non poteſt ſubſiſtentia corporea recipi in natura ſpirituali: ergo & cetera. *Reſpondetur*: eſto recipi debeat (quod poteſt negari, dicendo ſubſiſtentiam adhærere, non inhærere, nec recipi in natura) negando antecedens; ſicuti per Henricum citatum a Suario, [a] Ignis producit calorem materialem in dæmonibus: immo poſſe rem corpoream recipi in ſubjecto ſpirituali, docent cum multis aliis Telles [b] & Arriaga, [c] qui addit etiam hoc eſſe poſſibile naturaliter. Addo; per communiorem ſententiam, poteſt res corporea producere rem ſpiritualem; [d] cur ergo non poterit res corporea recipi in ſubjecto ſpirituali? [e] potentiæ enim Dei nihil eſt impoſſibile.

741 *Dices ſecundo*. Licet Deus poſſit impedire, ne a natura fluat ſubſiſtentia, non tamen poteſt illam tollere, poſtquam habuit illam; dæmones autem fuerunt creati cum propria ſubſiſtentia: ergo, & cetera. *Reſpondetur* negando antecedens, quia eo ipſo quod ſubſiſtentia diſtinguitur vel realiter vel modaliter a natura, etiam poſtquam eſt productum ſuppoſitum, poteſt deſtrui remanente natura. Immo Theologi communiter ſupponunt: Verbum potuiſſe adſumere naturam humanam jam productam, deſtruendo in eo ſubſiſtentiam, ſicuti etiam inhærentia poteſt tolli ab accidentibus, jam illam habentibus, ut patet in Euchariſtia; immo quando Chriſtus nutriebatur, deſtruebatur ſubſiſtentia, quæ inveniebatur in materia alimenti: & hæc inſtantia præcipue habet vim; ſi in compoſito ſubſtantiali ſunt duæ ſubſiſtentiæ partiales, una materiæ, altera formæ.

742 *Dices tertio*. Subſiſtentia terminans naturam dæmonis debet eſſe perſonalitas, ſed ſubſiſtentia ignis non eſt perſonalitas: ergo ſubſiſtentia ignis non poteſt terminare naturam dæmonis. *Reſpondetur* diſtinguendo majorem: ſubſiſtentia ignis, ut terminans naturam ignis, non eſt perſonalitas, concedo; ut terminans naturam dæmonis, nego: unde ſolum ſequitur, quod ut terminans naturam ignis, non terminet naturam dæmonis, non autem quod non poſſit ſimul terminare utranque. *Ratio* eſt, quia ſubſiſtentia & perſonalitas non differunt intrinſece, ſed tantum extrinſece & connotative; eadem enim entitas, ut terminans naturam intellectivam, dicitur perſonalitas; ut

[a] Cap. 14. num. 24.

[b] Part. 2. Philoſ. diſp. 23. ſect. 5.

[c] Diſp. 1. de Anima ſect. 2.

[d] *Sic volunt aquam poſſe producere gratiam ſpiritualem.*

[e] *In quo quidem caſu ōnes partes rei corporeæ eſsēt penetratæ in eodē indiviſibili ſubjecto; quod non repugnat, quemadmodū in Euchariſtia omnes partes Corporis Chriſti ſunt penetratæ in eodē loco.*

Digitized by Google

terminans vero naturam non intellectivam, dicitur ſolum ſubſiſtentia vel ſuppoſitalitas, prout docent communiter Scholaſtici. Quod etiam patet, quia ſi Verbum divinum adſumſiſſet naturam ligni, lignum non fuiſſet perſona, quia ſubſiſtentia Verbi eſſet perſonalitas, ut terminans naturam Verbi, non autem ut terminans naturam ligni; & ob hoc de facto Corpus Chriſti in triduo non erat perſona. Dæmones ergo licet ſubſiſtant ſubſiſtentia ignis, adhuc tamen ſunt perſonæ.

PROBATUR CONCLUSIO VARIIS RATIONIBUS, QUOD ITA SIT DE FACTO.

Prima Probatio.

743 **P***Robatur primo*. Unio hypoſtatica Dæmonum cum igne modo explicato, ex una parte eſt poſſibilis, & ex altera optime explicat, quomodo dæmones torqueantur ab igne; ergo dicendum eſt de facto ita illos torqueri: antecedens patet ex ſupradictis: probatur conſequentia, quia ceteri Autores, non aliter probant ſuas ſententias, niſi aſſignando aliquem modum poſſibilem, quo dæmones torqueantur. *Secundo*, quia in re tam difficili, valde ſufficienter probatur, quod defenditur, poſſe eſſe. Unde ingenue fatetur Arriaga [a] in re tam ardua, quancunq. evaſionem apparentem eſſe probabilem. Noſtra tamen ſententia habet alias rationes non contemnendas, quas ſententiæ aliorum non habent.

a Diſp. 26. de Angelis ſect. 5.

Secunda Probatio ex graviſſima conjectura.

744 **P**Ro hac ſecunda probatione ſupponendum eſt in probabiliſſima multorum ſententia, dæmones peccaſſe per deſiderium inordinatum Unionis hypoſtaticæ cum Verbo, & invidiam contra Unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate Chriſti. Ita docent Viguerius, Catharinus, Valentia, Naclantius, Suarez, Molina, Carthuſianus, *Paſqualigus*, Georgius de Rhodes, Johannes a S. Thoma aliique plures. [b] Poſita ergo hac probabiliſſima ſententia; formo argumentum pro veritate meæ Concluſionis, ex illo Sapientiæ: [c] *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*; ideſt, objectum peccati ſolet eſſe inſtrumentum quo Deus punit peccatores: addantur illa verba Præfationis Miſſæ de Paſſione, videlicet: *Ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*; ergo ſi objectum peccati dæmonum fuit

b De qua opinione ſatis a nobis ſuperius dictum eſt.
c Cap. 11. verſ. 17.

Digitized by Google

ſuit deſiderium inordinatum Unionis hypoſtaticæ, valde congruum & conveniens eſt, ut media aliqua unione hypoſtatica puniantur, & ut illi qui voluerunt unionem ipſis valde indebitam, ratione maximæ excellentiæ ſuppoſiti divini cui voluerunt uniri, torqueantur per unionem ipſis valde inconvenientem, ratione ignobilitatis ſuppoſiti ignis cui uniuntur.

745 *Confirmatur primo*, quia dæmon vicerat hominem per lignum, Deus voluit illum vincere per lignum; unde Eccleſia ait: *Ut autor mortis diabolus per id quod vicerat, vinceretur*; ergo etiam dicendum eſt, quod Deus voluerit illum punire per illud objectum per quod peccaverat. *Confirmatur ſecundo* ex Divo Thoma. [a] Quia homo peccaverat appetendo ſcientiam; conveniens fuit, ut per Verbum veræ Sapientiæ reduceretur in Deum homo, qui per inordinatum appetitum ſcientiæ receſſerat a Deo; ergo, quia dæmon peccavit, & receſſit a Deo per inordinatum appetitum Unionis hypoſtaticæ, conveniens etiam fuit, ut per aliquam aliam Unionem hypoſtaticam torqueretur, & puniretur a Deo.

746 Quod ſi quæras, cur Deus voluerit unire hypoſtatice dæmonem cum igne, & conſequenter torqueri ab igne, non autem unire illum cum aliqua alia creatura, ut omnes fatentur? Reſpondeo, hanc rationem eſſe reddendam ab omnibus, quocunque enim modo dæmon torqueatur ab igne, eodem modo poſſet torqueri a quavis alia creatura, ut omnes fatentur. Adſunt tamen pro igne aliquæ congruentiæ. *Prima* eſt, quia ſicuti ignis ſe ipſum devorat & deſtruit; ita dæmon quum ſiat idem cum igne per Unionem hypoſtaticam cum illo, & etiam torqueatur ab igne; poteſt dici, quod ſe ipſum devoret & torqueat. *Secunda* eſt, quia ſicut ignis vellet elevari ad ſuam ſphæram, [b] & detinetur a materia craſſa; ita dæmon ratione unionis cum igne materiali & corporeo detinetur, ne poſſit elevari & moveri, ſicuti poſſet, ſi non eſſet cum illo unitus. *Tertia* eſt, quia ut ſuppono in Philoſophia; forma ignis eſt illa, quæ ſtare poteſt ſimul cum alia forma ſubſtantiali in materia; congruum ergo erat, ut natura ignis eſſet illa, quæ ſtaret cum alia natura ſub eadem ſubſiſtentia. [c]

[a] p. 3. q. 3. art. 8.

[b] *Eam nempe, ad quam tēdere videtur ignis ratione materialium quibus abundat, ſpirituum; ut ſupra num. 631. in fine.*

[c] *Eſt & alia congruentia: quia ſicuti quia Lucifer peccavit, ſuperbe appetendo ſúmá eminentiã* ſupra cælos, *Deus illũ compulit ad ultimá profunditatem* ſubtus terrã; *ita quia illam appetiit ex vi (ut ſupponimus) unionis hypoſtaticæ cũ Verbo, illuc elevantis, ita hanc punitus habere debuit ex vi alterius unionis hypoſtaticæ (quæ quidem illa ignis eſt) ad eam detrahentis,*

Tertia Probatio ex paritate corporum & ſpirituum in inferno.

747 Pro hac probatione ſciendum eſt, viventia in hoc mundo ſolum torqueri ab igne per calefactionem, non vero per introductionem formæ ignis in corpora ipſorum, ut patet experientia: & ratio eſt, quia licet ignis tendat ad

Digitized by Google

introducendam ſuam formam in corpora ipſorum, tamen antequam illam introducit, vel in ipſo inſtanti introductionis diſcedit anima, & moriuntur, eo quia diſpoſitiones quas exigit forma ignis, diſſolvunt diſpoſitiones requiſitas in corpore; ut informetur ab anima. Sciendum *ſecundo*, in damnatis rem non ita ſe habere, ſed torqueri per introductionem formæ ignis in corpora ipſorum. Ratio eſt, quia ex una parte ignis nimis intenſus & per multum tempus approximatus corpori, habet illud comburere & introducere ſuam formam in ipſum; ex alia vero, miraculum Dei in inferno non conſiſtit in eo, quod privet ignem inferni aliqua activitate; immo dat illi maximam, ſed conſiſtit in hoc, quod exercente igne totam ſuam activitatem in corpora damnatorum; nihilominus Deus faciat damnatos non mori, ſed conſervet animas illorum unitas corporibus. Hinc miraculum Dei non conſiſtit in hoc, quod impediat ignem, ne maxime calefaciat, & ne introducat ſuam formam in talia corpora, ſed in hoc quod introducta calefactione & forma ignis, non ſinat animam diſcedere, ſed conſervet illam in corpore ſimul cum tam exceſſivo calore, & cum forma ignis naturaliter cum illa incompoſſibili.

748 Quæ doctrina eſt valde conformis locutionibus Scripturarum & Patrum, ex quibus habetur, corpora damnatorum nedum calefieri, ſed comburi ab igne: item aſſimilantur *carbonibus accenſis*. Item vocantur pabulum, cibus & eſca ignis (non eſt autem pabulum, nec cibus, nec eſca ignis, corpus quod ſolum calefit ab igne, ſed illud in quod ignis introducit ſuam formam.) Item Chriſtus Dominus [a] vocat damnatos *faſciculos alligatos ad comburendum*. Item ex hac doctrina ſequitur corpora damnatorum reddi valde deformia & monſtruoſa & terribilia aſpectibus, præcipue quum talis forma ignis non det illis lucem, niſi quantum deſervit ad tormentum, ut docent Patres, præſertim Divus Baſilius, [b] Divus Gregorius, [c] Divus Auguſtinus [d] & alii Patres in illud Pſal. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Unde oritur, quod damnati videntes ſe ad invicem, & videntes propria corpora tam monſtruoſa, maxime terreantur & ſentiant magnam pœnam. Immo hanc habent etiam ſine viſione ex ſola conſideratione & talis monſtruoſitatis, & quod in ſuis corporibus ſit forma ignis inſeparabiliter, & ſint nedum intra ignem localiter, ſed etiam habeant ignem intra ſua corpora. Hæc doctrina videtur maxime accedere ad veritatem, & deſervit valde ad incutiendum peccatoribus metum & terrorem de pœnis inferni, & coërcendos illos a peccato, & puto, quod non diſplicebit viris doctis & piis.

[a] Matth. cap. 13. verſ. 30.

[b] Homil. 5.

[c] Lib. 9. Moral. capp. 38. & 39.

[d] Lib. de Spir. & Anima; *quẽ tamen librum nõnulli ab Auguſtinianis expungunt.*

749 Ea ergo poſita; ſic formo argumentum. Si dæmones torquentur ab igne modo a me explicato, ſalvatur maxima paritas inter modum quo torquentur corpora, & modum quo torquentur ſpiritus; item

Digitized by Google

item ſalvatur, quod non minus ignis fiat internus ſpiritibus, ac fiat corporibus, & quod utraque ſint, ut ita dicam, in eadem damnatione; ergo ita dicendum. *Prob. ant.* explicando paritates & convenientias, quæ reperiuntur in pœna amborum, ſi dæmones torqueantur, ut ego dico, & probando ex pœna corporum pœnam ſpirituum.

750 *Prima* paritas & convenientia per quam probari poteſt, eſt iſta. Corpora damnatorum non torquentur per aliquod ſolum extrinſece productum ab igne in ipſis, ſed per formam ſubſtantialem ignis unitam ipſis; ergo ſpiritus damnati, nempe dæmones, nec debent torqueri per aliquod ſolum extrinſece productum ab igne in ipſis, ſed per ſubſiſtentiam, ſeu ſuppoſitalitatem ignis unitam naturæ ipſorum. *Secunda* eſt: corpora damnatorum nedum ſunt localiter intra ignem, ſed etiam ſubſtantialiter unita cum ipſo; ergo ſpiritus dæmonum damnatorum nedum erunt localiter intra ignem, ſed etiam ſubſtantialiter uniti cum illo, per unionem cum ſubſiſtentia ignis. *Tertia*: corpora damnatorum ita torquentur, ut Deus per miraculum faciat conſiſtere duas formas ſubſtantiales naturaliter incompoſſibiles, nempe animam & formam ignis in eadem materia, ergo etiam ſpiritus dæmonum damnatorum debent torqueri, eo quod Deus per miraculum faciat ſtare duas naturas dæmonis & ignis ſub eadem ſubſiſtentia. *Quarta* eſt: corpora damnatorum redduntur monſtruoſa per ignem; ergo etiam ſpiritus dæmonum damnatorum debent reddi monſtruoſi per ignem; valde autem quid monſtruoſum eſt natura ſpiritualis habens in ſe ſubſiſtentiam corpoream; nec alio modo poteſt melius explicari monſtruoſitas dæmonum. *Quinta* eſt: corpora damnatorum nedum ſunt calida, ſed ignita, immo poſſunt dici ignis; ſicuti carbo accenſus dicitur ignis, per hoc quod informetur forma ignis; ergo ſpiritus dæmonum damnatorum poterunt etiam dici *igniti*; immo *ignis*, ex eo quod ſubſiſtant per ſubſiſtentiam ignis.

Quarta Probatio ex ſacra Scriptura.

751 Non caret hæc concluſio fundamento in ſacra Scriptura. In pſalmis etenim [a] loquens David de damnatis (ut explicant magis communiter apud Lorinum; immo Genebrardus expreſſe explicat de dæmonibus) ait: *Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos, in miſeriis NON SUBSISTENT*; ergo dæmones torquentur per hoc, quod priventur propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtant per ſubſiſtentiam ignis. [b]

752 *Dices primo*: ſi Scriptura dicit, *non* ſubſiſtent; quomodo nos illas ſubſiſtere dicimus per ſubſiſtentiam ignis? *Reſpondeo*: Scripturam

a 139. verſ. 11.

b Huc etiam reduci poſſe videtur illud aliud pſalm. 102. *verſ.* 16. Spiritus pertranſibit in illo (*ſeu ad inhabitandum & ſubſiſtendū in illo*) & nō ſubſiſtet (*ſua ſubſiſtentia,*) & non cognoſcet amplius locū ſuū: *nimirū & ſpiritum defuncti hominis Lyranus, Angelumve ex Græco anonymo* Agellius *noſter interpretātur, et iram indignationemque Dei heic exprimi Lorinus putat; additq. de vera ſubſiſtentia ſermonem inibi eſſe poſſe, quod poſt mortem anima hypoſtaſim totius cōpoſiti amittat: ſed quum id totum iram Dei exhibere dicatur; melius dicimus, quod totā ſuā ſubſiſtentiā exuat, eamq. ignis in quo pertranſibit, induat.*

Digitized by Google

ram debere intelligi, eo modo quo poteſt; ſi autem dæmones abſolute non ſubſiſterent, torquerentur quidem, ſed non ab igne, ut ergo ſalvemus torqueri ab igne, per ly non ſubſiſtent, quod dicit Scriptura, debemus intelligere, quod non ſubſiſtent ſubſiſtentia illis propria & connaturali.

753 *Dices ſecundo*: ly non ſubſiſtent idem ſignificare, ac deficient illis vires ad ſuſtinenda tormenta, languebunt, cetera; non autem ſignificare, quod auferatur ab illis ſubſiſtentia propria, quæ dicitur hypoſtaſis. Sed *contra primo*; quia quando verba Scripturæ poſſunt accipi in proprio ſenſu, ita debent accipi, ut docet Divus Auguſtinus;[a] ſed heic ly non ſubſiſtent poteſt accipi pro carentia veræ ſubſiſtentiæ, quæ dicitur hypoſtaſis: ergo ita debet accipi; minor patet, quia jam diximus hunc modum pœnæ eſſe poſſibilem. *Contra ſecundo*; quia in textu græco expreſſe ponitur nomen hypoſtaſis, dicit enim καὶ οὐ μὴ ὑποστῶσιν, *chie u mi hypoſtòſin*, ſcilicet, cadent ſuper eos carbones in ignem, dejicies eos in miſeriis, & non ſubſiſtant; ſcilicet & non habeant hypoſtaſim; ubi nedum hoc nomen hypoſtaſis, ſed etiam illud, *&*, facit majorem vim; denotat enim ly *& non ſubſiſtant*, eſſe pœnam, non vero ſolum deficere & languere in pœnis.

a Lib. 8. de Geneſi ad literam.

Quinta Probatio etiam ex ſacra Scriptura.

754 ANte hanc probationem præmittendum eſt illud commune axioma Theologicum: *Verbum quod ſemel adſumſit, nunquam dimiſit*, quod habetur ex Damaſceno.[b] Probatur ergo Concluſio ex Paullo ad Hebræos:[c] *Terribilis autem quædam expectatio Judicii, & ignis ÆMULATIO, quæ conſumtura eſt adverſarios*; quam Scripturam intelligunt omnes expoſitores de pœna damnatorum per ignem. Difficultas remanet de illo verbo, *æmulatio* quam dicitur habere ignis, quid ſignificet, & cum quo, & in quo ſit iſta tam vehemens æmulatio, quam ignis inferni habet. Hugo Cardinalis in hunc locum reſpondet; æmulationem ignis conſiſtere in eo, quod, *quencunque adſumſit, non dimittit*; alludendo ad illud Theologorum axioma, mox dictum: *Verbum quod ſemel adſumſit, nunquam dimiſit*: ergo deduco ego, æmulatio ignis inferni ex Hugone non eſt alia, niſi *æmulatio* ignis cum Verbo divino, ut ſicut hoc adſumſit indiſſolubiliter naturam humanam ad eam elevandam; ita ignis terminet indiſſolubiliter naturam dæmonum ad eam torquendam, & hæc eſt forſan illa dura æmulatio, ſicut infernus, de qua ſit ſermo *Cantic.* 8.

b Lib. 3. cap. 27.
c Cap. 10. verſ. 27.

755 Confirmatur dicta ratio, quia ſicuti Deus fecit opus excellentiſ-

lentiſſimum, quod fieri poterat ad oſtendendam ſuam miſericordiam, magnificentiam & omnipotentiam; & hoc fuit *Unio hypoſtatica* humanitatis cum ſubſiſtentia Verbi; ita ad oſtendendam ſuam juſtitiam & potentiam, conveniens fuit, ut faceret aliud opus quod æmularetur illud, quantum eſt poſſibile: æmularetur, inquam, faciendo in pœnam dæmonum id quod illud fecit in bonum hominum; & hoc aliud eſſe non poteſt, niſi *Unio hypoſtatica* ignis cum dæmone ad eum torquendum; & hæc videtur eſſe dicta *æmulatio* ignis inferni, quam dixit Divus Paullus. Confirmatur *ſecundo*, ut homo ſatisfaceret pro peccato, juſtitia Dei dedit naturæ ipſius aliam ſubſiſtentiam qua dignificaretur: ergo ut dæmon ſatis-pateretur, dedit naturæ ipſius aliam ſubſiſtentiam qua torqueretur, & ita ignis æmulatur in ſatis-paſſione dæmonum ſatisfactionem hominum.

Sexta Probatio ex Divo Auguſtino.

756 Videbitur fortaſſe plus novum, quam ipſa ſententia, me dicere hanc etiam eſſe ſententiam Divi Auguſtini: attamen ſi abſque præoccupatione animi in adverſum conſiderentur quæ heic dicam, videbitur non obſcure, quod Divus Auguſtinus hanc eandem ſententiam docuerit. Ipſe igitur [a] loquens de pœna dæmonum, ſic ait: *Si autem quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi: ſi ſpiritus hominum etiam ipſi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? ADHÆREBUNT ergo, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipſi quibus adhærebunt, eorum JUNCTURA inſpirentur, & animalia ſiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore; ſed, ut dixi, MIRIS & INEFFABILIBUS modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec ab homine comprehendi poteſt, & hoc ipſe homo eſt.* Et paullo poſt ſubdit: *Dæmones autem ſpiritus ſine corporibus HÆRENTES, ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus.*

757 Multa quidem dicit heic Auguſtinus, quæ oportet diſtincte conſiderare. Primum eſt, quod dæmon habeat *adhæſionem*, *alligationem* & *juncturam* cum igne corporali *adinſtar*, & ad modum, quo *anima* ſpiritualis adhæret, & jungitur corpori. Secundum eſt, utranque adhæſionem, alligationem & juncturam eſſe *miram* & *ineffabilem*; & primam explicat per ſecundam. Tertium eſt, quod ſtante paritate poſita inter juncturam dæmonis cum igne, & juncturam animæ ſpiritualis

[a] Lib. 21. de Civitate Dei c. 10. *cui textui alter affinis eſt, quo ex anima corpori unita explicat pœnã Dæmonum ignibus unitorum; ſic*: Videmus animam incorporeã uniri corpori humano, & ei vitam dare, & cum illo ſimul *gaudere & pati*; quum tamen modus hujus unionis ſit plene *ineffabilis*, quũ inter corpus & ſpiritũ nulla ſit proportio: *ſicut* ergo poteſt uniri ſpiritus carni, ut illi vitã cõmunicaret, *ita* poteſt uniri ſpiritus igni, ut ab illo pœnam trahat; licet modus *utriuſq. unionis* ſit prorſus incognitus.

Digitized by Google

tualis cum corpore, adhuc non eſt neceſſe ſequi, quod ſicuti corpus fit vivens per animam, & ex illa & corpore conſurgit unum animal, ita ignis debeat fieri vivens per talem unionem cum dæmone, & ex igne & dæmone fieri unum animal: nam hæc ſequela bis præoccupatur a Sancto Doctore, dicente, illam non eſſe ſequelam neceſſariam, & poſſe dæmones ita unitos & junctos igni accipere ab illo pœnam, non tribuendo ipſi vitam. Hæc ni fallor, dicit Divus Auguſtinus, ex quibus duo infero: primo, per Auguſtinum, dæmonem uniri *intrinſece* cum igne, ſicuti anima ſpiritualis cum corpore: ſecundo hanc unionem intrinſecam eſſe illam, quæ eſt inter *naturam* & *ſuppoſitum*.

758 Probatur primum. *Primo*; quia ex Auguſtino, dæmon habet adhærentiam & juncturam cum igne; hæc autem innuunt unionem intrinſecam. *Secundo*, quia hæc adhærentia & junctura vocatur mira & ineffabilis; non eſſet autem talis, ſi ſolum eſſet extrinſeca. *Tertio*, quia dicitur expreſſe ſimilis & adinſtar adhæſionis animæ ſpiritualis ad corpus; hæc autem eſt unio intrinſeca. *Quarto*, quia hæc adhærentia & junctura ponebatur talis ab Auguſtino, ut ex ea videretur ſequi, ignem fieri viventem, atq. ex igne & dæmone fieri unum animal; & taliter hoc videbatur ſequi, ut fuerit obligatus Sanctus Doctor præoccupare bis hanc difficultatem, & reprimere hanc ſequelam. [a] Si autem unio poſita ab ipſo inter dæmonem & ignem non fuiſſet intrinſeca, nullum potuiſſet eſſe dubium, immo nec potuiſſet venire in mentem, quod deberet hoc ſequi, & fuiſſet fatuitas maxima talis ſequela. Et adverte, Divum Auguſtinum non negare, ex dæmone & igne fieri unum; ſed ſolum fieri ex illis unum animal vivens, ita ut ignis fiat vivens. Immo Auguſtinus videtur illud adfirmare, quia ex adhærentia ab eo poſita, ſi ſequebatur ex igne & dæmone fieri unum animal vivens; a fortiori ſequebatur fieri unum; ſi ergo ſolum negavit Auguſtinus fieri unum animal vivens, & non negavit fieri unum, intendebat fieri unum, alioquin debuiſſet reſpondere ad hanc difficultatem.

759 Probatur ſecundum: hanc unionem intrinſecam eſſe illam, quæ eſt inter naturam & ſuppoſitum. *Primo*, quia hæc unio explicatur ab Auguſtino per unionem animæ ſpiritualis cum corpore, & ponitur ſimilis ipſi, & adinſtar illius; at unio inter naturam & ſuppoſitum eſt illa, quæ explicatur per unionem animæ ſpiritualis cum corpore, & ponitur, ut ipſi ſimilis, & adinſtar illius; unde Divus Athanaſius in Symbolo fidei ait: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. *Secundo*, quia omnes Philoſophi & Theologi duos modos unionis intrinſecæ recognoſcunt, unum inter formam & ſubjectum, alterum inter naturam & ſuppoſitum; ſi ergo unio dæmonis ad ignem eſt intrinſeca, & non eſt illa, quæ eſt inter formam & ſubjectum, ut expreſſe dicit Divus Auguſtinus,

[a] *Quia tamen ob eandem hypoſt. ut vera eſt hęc locutio,* ignis eſt Diabolus, *ita & vera videtur hæc altera,* ignis eſt vivẽs; *iccirco ſolum vult Auguſtinus, non ita dare ſpiritum vitam igni, ſicut ab ipſo pœnam accipit: hanc ille accipit in ſua natura, non in ſuppoſito tantum; dat autem vitam igni in ſuppoſito ſolũ, non in natura ejus; qui nec proinde animatus evadit: quemadmodum ob eandem hypoſtaſim accipit a Verbo natura humana in ſe felicitatẽ, non dat Verbo pœnam in natura illius. Secus ac evenit in corpore & anima (quæ eſt paritas Auguſtini) ubi una accipit ſentire & pati ab altero, cui tribuit vegetare & vivere; utrobiq. in propriis entitatibus. Sed vide infra reſponſ. ad 7. arg.*

nus,

Digitized by Google

nus, alioquin ignis fieret vivens; erit illa, quæ eſt inter naturam & ſuppoſitum. *Tertio*, quia hæc unio poſita ab Auguſtino, eſt *mira & ineffabilis*; talis autem eſt iſta naturæ ſpiritualis cum ſuppoſito corporeo & materiali. *Quarto*, quia hæc unio ex qua videtur ſequi, quod ignis deberet fieri vivens, ſed revera non ſequitur; videtur ſequi, eo quia ex unitate ſuppoſiti dæmon & ignis ſunt unum, ſicuti ex anima & corpore eſt unus homo. Revera non ſequitur, quia natura vivens, unita tantum in ſuppoſito cum non vivente, non reddit illam viventem.

760 Confirmatur totum hoc, quia omnes alii modi ponendi pœnam dæmonum ab igne reducuntur ad tres. Primus eſt per *carcerationem* dæmonis in igne. Secundus per *actionem intentionalem* ignis in dæmonem. Tertius per *actionem realem*, ſeu productionem alicujus *qualitatis* in dæmone ab igne; in nullo autem iſtorum modorum ſalvantur, quæ heic dicit Auguſtinus. Per omnes enim hoſce modos, ignis eſt omnino *extrinſecus* dæmoni, unde per illas non datur proprie *adhæſio* & *junctura* dæmonis cum igne, & a fortiori nec adhæſio & junctura *mirabilis*; item nec adhæſio & junctura *ſimilis* & *adinſtar* adhæſionis & juncturæ animæ ſpiritualis ad corpus; item nec adhæſio & junctura ex qua poſſit oriri, nec venire in mentem dubium, quod ignis deberet fieri *vivens* per illam. Quis enim ſomniavit, ex ſola carceratione viventis intra ignem, aut ex actione ignis in vivens debere ſequi ignem fieri viventem, & conſtituere cum illo unum animal? At ex adhæſione & junctura, poſita ab Auguſtino inter dæmonem & ignem, naſcebatur de hoc maxima difficultas, ut bis illam, ut diximus, Sanctus Doctor præoccupaverit: ergo nullo modo pœna dæmonum ex Auguſtino eſt aliqua ex his tribus modis.

761 *Dices*: ſi Sanctus Auguſtinus putaſſet, unionem dæmonis cum igne eſſe unionem naturæ dæmonis cum ſubſiſtentia ignis, hoc expreſſe dixiſſet, immo explicaſſet illam exemplo unionis inter humanitatem & Verbum. *Sed*, qui ſic objicit, demonſtrat ſe non eſſe verſatum in libris Divi Auguſtini de *Civitate Dei*; nam intentum illius in his libris, ut dicunt nedum Commentatores, ſed ipſemet, [a] eſt convincere Paganos negantes poſſibilitatem rerum noſtræ fidei, & præſertim [b] ubi agit de pœna damnatorum, ait, [c] ſe velle probare *contra incredulos*, *pœnam damnatorum non eſſe incredibilem*. Hinc res quas adſumit probandas in his libris & præſertim in viceſimo primo, non probat, nec explicat per alias res fidei, ſed per exempla naturalia, & alia facta ab omnipotentia Dei, conceſſa a Paganis; ut patet legentibus. Unde nec debuit dicere: adhæſionem dæmonis ad ignem eſſe per unionem cum ſuppoſito, nec illam explicare per unionem humanitatis cum ſubſiſtentia Verbi, eo quia hoc myſterium videbatur illis ma-

[a] Lib. 1. cap. 1.
[b] Lib. 21.
[c] Cap. 1.

Digitized by Google

gis impoſſibile & difficile; immo hæc diſtinctio ſuppoſiti a natura videbatur illis omnino quid fictum; & ſic Divus Auguſtinus reddidiſſet apud illos magis difficilem & impoſſibilem hanc pœnam dæmonum ex igne, ſi ita illam explicaſſet. a Solum ergo debuit illam relinquere ſub nomine miri modi, & uti exemplo unionis animæ ſpiritualis cum corpore, ut ipſe fecit. *Immo retorqueo* argumentum, quia ſi hæc pœna dæmonum ab igne fuiſſet per unionem omnino extrinſecam dæmonis cum igne, non explicaſſet illam per unionem animæ ſpiritualis cum corpore, quia ſic potuiſſet valde redargui.

a Quinimmo ex paritate unionis ſubſiſtẽtialis naturæ humanæ cum Verbo divino non probaſſet pœnã Dæmonũ ob unionem cũ igne; quod nihil per illã pati in ſe potuerit impaſſibile Verbum; quare merito recurrit ad unionem ſubſtantialem animæ rationalis cum corpore, quod ea ob illam patiatur in ſe atque gaudeat ſenſibiliter, ut ait.

Septima Probatio negativa.

762 PRobatur ſeptimo, quia hic modus explicandi pœnam dæmonum, nihil continet contra Scripturas, Concilia, Decreta Summorum Pontificum, aut Sanctos Patres, & ex alia parte aptiſſime explicat illam; ergo eſt probabiliſſimus.

SOLVUNTUR CONTRARIA ARGUMENTA.

763 HÆc, ni fallor, licet aliquibus videantur alicujus ponderis; mihi fere nullius roboris aut ponderis apparent. Satisfaciamus ſingulis ſingillatim: advertendo, omnia hæc argumenta a me, priuſquam divulgarem concluſionem, fuiſſe excogitata, & omnibus fuiſſe datam reſponſionem; tantumque uſque modo ultima tria mihi ſummarie fuiſſe objecta.

Primum Argumentum.

764 PRimum Argumentum eſt, quia Angeli per peccatum non amiſerunt naturalia; ergo in inferno non carent propria ſubſiſtentia. Probatur conſequentia, quia ſubſiſtentia eſt naturalis Angelis. *Reſpondetur* diſt. antec. non amiſerunt naturalia, ideſt, ſpectantia ad naturam, concedo; ideſt, quæ illis conveniunt naturaliter, ſed ſpectant ad ſuppoſitum, nego; unde negatur conſequentia; & ad probationem dico, ſubſiſtentiam eſſe naturalem Angelis, prout naturale diſtinguitur a *ſupernaturali* & *violento*; non autem, prout diſtinguitur a *ſuppoſitali*. Adfero *inſtantiam* de natura humana Chriſti, cui licet deficiat propria ſubſiſtentia, tamen erat integra natura, nec illi deficiebat aliquid naturale ſpectans ad naturam humanam, ſed ſolum aliquid naturale ſpectans ad ſuppoſitum. *Item* Verbum divinum habet totam integram naturam divinam, non tamen habet ſubſiſtentiam Patris, nec Spiritus Sancti.

Secun-

Digitized by Google

Secundum Argumentum.

765 SEcundum Argumentum eſt, quia animæ damnatorum non torquentur tali pacto, ergo nec dæmones. Probatur conſequentia, quia ſi ignis corporeus poteſt alio pacto torquere animam ſpiritualem, poterit etiam dæmones. *Reſpondetur* negando ſequelam; ſuppono enim ex Philoſophia, in compoſito ſubſtantiali dari duas ſubſiſtentias partiales, unam pro materia, alteram pro forma: ut docent *Guarinus* in ſua Philoſophia doctiſſima [a] & Compronus, [b] qui dicunt eſſe ſententiam communem inter recentiores. *Dico* ergo, animas damnatas ſubſiſtere per ſubſiſtentiam non totius ignis, ſed ſolius formæ ignis; unde non poteſt dici, anima eſt ignis; nec, ignis eſt anima; ſicuti nec in triduo mortis Chriſti poterat dici, Verbum eſt anima, vel Verbum eſt materia, eo quia nomen formæ & materiæ ſunt nomina naturæ, non ſuppoſiti. Hinc quando animæ damnatorum unientur cum corporibus, reſtituetur illis ſubſiſtentia propriæ animæ; & torquebuntur per corpus; neque hoc debet videri inveriſimile, quum reproducatur materia panis, quando ſub Euchariſticis ſpeciebus generatur vermis; immo per omnes quando animæ damnatorum unientur corporibus, mutabitur in illis modus, quo ignis illos nunc torquet.

Tertium Argumentum.

766 TErtium Argumentum eſt, quia ſecundum noſtram ſententiam dæmones deberent eſſe ſemper penetrati cum igne, ut ſubſiſterent per ſubſiſtentiam ignis; hoc autem eſt falſum, quia quando ſunt in hoc aëre vel in corporibus hominum, non habent ſecum ignem. Hoc Argumentum habet vim contra omnes ſententias, ut patet. *Reſpondetur* ergo, vel negando ſequelam, quia ſi ſubſiſtentia eſt res, non modus; poteſt replicari a Deo in dæmone abſente igne. Eſſe autem rem docent Hurtadus [c] & multi alii. *Vel* negando minorem, quia ut habet Gloſſa, [d] poteſt dici, quod dæmones extra inferos ferant ſecum portionem ignis, quæ per Dei potentiam, nec a nobis videatur, nec comburat. [e]

Quartum Argumentum.

767 QUartum Argumentum eſt, quia in noſtra ſententia deberet quilibet dæmon habere portionem ignis determinatam, cum qua eſſet hypoſtatice unitus,

a Diſp. 2. de materia, ex. penſ. 3.
b Diſp. 8. Metaph. ſect. 9.

c Diſp. 11. ſect. 5.
d *Gloſſa ordinaria ad cap. 3. Jacobi*, *ſic*: Portant ſecum ignem gehennæ, quocunque vadunt: & *Venerab. Beda in cõmentariis ad idem cap.* ubicunq. in aëre volitant, vel in terris, vel ſub terris vagantur, ſua ſecum ferunt tormẽta flammarum, inſtar febricitantis.
e *Ignis enim ille* ſuccenſus eſt in Dei furore, *juxta quẽ & ardet; quare tametſi æqualis ſit omnibus, non tamen omnes æque comburit.*

Digitized by Google

tus, ſed hoc eſt falſum: ergo & cetera. Probatur minor, quia ſi hoc ita eſſet, non poſſet quilibet dæmon vagari ad libitum per infernum, niſi deferendo ſemper ſecum talem portionem ignis. Hoc argumentum habet vim etiam contra ſententiam dicentem: dæmones torqueri per qualitatem, ſive corpoream, ſive ſpiritualem productam in ipſis ab igne; debet enim in hac ſententia aſſignari portio determinata ignis pro quolibet dæmone; & ſic, quum dæmon non poſſit facere, ut deſinat producere in ipſo talem qualitatem hæc portio, & producat illam alia portio, nec etiam poſſit facere, ut portio quæ producit in ipſo talem qualitatem, agat in diſtans, debet, ſi vult vagari per infernum, deferre ſemper ſecum talem portionem ignis. *Reſpondetur* ergo ad argumentum negando minorem; & ad probationem concedo adſumtum, ſed in eo nullum eſt inconveniens, quod ſcilicet dæmon ſine Dei diſpenſatione non poſſit exire a portione ignis illi determinata, ſed vel debeat ſtare ubi ipſa eſt, vel ſecum illam deferre, a & ex hac etiam carceratione habet etiam dæmon *pœnam*. Verum eſt, quod ſi Deus replicat in dæmonibus ſubſiſtentiam ignis, ſufficit, ut ſecum ſemper ferant ſubſiſtentiam, non vero ipſum ignem; ut diximus contingere, quando permittuntur ſtare extra inferos.

a Quemadmodum exiſtimare Gloſſam & Bedam paullo ante viſum eſt.

Quintum Argumentum.

768 QUintum Argumentum eſt, quia iſta portio ignis aſſignata pro quolibet dæmone, ut ſit unitus cum ea hypoſtatice, vel eſt minor ſphæra, quam dæmon poteſt naturaliter occupare, vel æqualis (nam utique non eſt major) utroque autem modo videtur ſequi aliquod inconveniens. Si enim eſt minor, dæmon non poteſt ſe extendere localiter ad totam ſuam ſphæram, alioquin in loco, ubi eſt ultra portionem ignis, non haberet ſubſiſtentiam ignis. Si vero eſt æqualis, jam dæmon non poteſt ſe reſtringere ad minorem locum, quia ſubſiſtentia illius partis ignis exiſtentis, ubi non eſt dæmon, non poſſet facere illum ſubſiſtere. Hoc argumentum habet vim contra ſententiam dicentem: dæmones torqueri per qualitatem ſpiritualem productam in ipſis ab igne; vel enim portio ignis producens talem qualitatem, eſt minor ſphæra dæmonis, vel æqualis. Si minor, ergo dæmon non poteſt ſe extendere ad totam ſuam ſphæram, alioquin ignis deberet producere talem qualitatem in diſtans, vel producere illam etiam in medio corporeo, & utrunque eſſet novum miraculum. Miracula autem non ſunt in poteſtate dæmonis. Si æqualis, ergo dæmon non poteſt ſe reſtringere ad partem ſuæ ſphæræ, quia ſequeretur idem inconveniens, ut patet.

769 *Reſponderi* ergo poſſet ad argumentum, portionem ignis, cum qua

qua dæmon eſt unitus, poſſe eſſe tum minorem, tum æqualem ſuæ ſphæræ juxta beneplacitum Dei. Et ſi eſt minor; poteſt dici, vel quod ſubſiſtentia ignis minoris ſphæræ dæmonis, poſſet ſubjectata in dæmone extendi quantum ipſe extenditur, vel quod non ſit neceſſe, ut in toto loco in quo eſt dæmon, ſit ſubſiſtentia, [a] per quam ſubſiſtit, ſed ſufficit, ſi ſit in dæmone in aliquo loco. Et ſi æqualis; poteſt dici, quod quum dæmon ſe reſtringit, penetrentur quoad locum illæ partes ſubſiſtentiæ, ut ſtantes in dæmone, quæ, ut ſtantes in igne, non ſunt penetratæ, & quod pars ſubſiſtentiæ proveniens a parte ignis diſtante ab Angelo, ut in Angelo, ſit diſtans a tali parte ignis cujus eſt ſubſiſtentia.

770 Sed his reſponſionibus omiſſis, *reſpondetur melius* ad Argumentum, portionem ignis facientem ſubſiſtere dæmonem, eſſe tantam, quantus eſt locus, quem Deus vult dæmonem occupare, ita ut ſine nova diſpenſatione Dei non poſſet dæmon occupare majorem, nec minorem: nec mirum; quia ſicuti animæ rationali determinatur locus a quantitate corporis, ita dæmoni a quantitate ignis cui Deus illum unit hypoſtatice. [b] Si autem *quæras*; an dicta quantitas ignis, & conſequenter locus quem dæmon occupat, ſit æqualis ſphæræ ipſius? Puto quod non, ſed quod ſit valde minor; [c] & hoc etiam augebit *pœnam* dæmonum, quod non poſſint ſe extendere ad tantum locum, ad quantum poſſunt naturaliter.

a Quam tamẽ totus dæmon pateretur; non ſecus ac homo bilocatus, qui tametſi in uno loco tantũ vapulaverit, totus ipſe dolorem ſuſtinebit.

b Veriſimilius quoq. eſt, juxta ſcripturarum locutiones, unicuique dæmonum contigiſſe ſuá ignis portionem in ea figura, ut in uno exprimeret formá hydræ, *in altero* draconis, *in alio* ſerpentis, *in alio* vermis, *atque in ſingulis, horribilis & fœtidi* monſtri: *& hæc eſt nova illorum* pœna *ex deformitate orta.*

c Quo ſit, ut quandoque inſideãt Energumenis ad mille et amplius dæmones.

Sextum Argumentum.

771 SExtum Argumentum eſt: quia ſequeretur, quod duo dæmones non poſſent ad invicem penetrari; nam portio ignis unius non poteſt penetrari cum portione alterius, & ipſi debent eſſe penetrati cum dictis portionibus ignis. Hoc argumentum habet etiam vim contra ſententiam docentem, dæmones torqueri per qualitatem ſpiritualem productam ab igne in ipſis; nam portiones ignis diverſæ, producentes tales qualitates in diverſis dæmonibus, non poſſunt inter ſe penetrari; & ex alia parte non poſſunt agere in diſtans ſine medio; ut contingeret, ſi dæmon exiret a ſua portione ignis, & iret ad portionem alterius. *Reſponderi* poſſet in mea ſententia, quod ſi Deus vult replicari ſubſiſtentiam ignis, poſſint dæmones exire a portionibus propriis ignis, & penetrari inter ſe. *Reſpondetur* tamen *melius*: concedendo, dæmones ſine Dei diſpenſatione non poſſe ad invicem penetrari ratione diverſarum portionum ignis cum quibus ſunt hypoſtatice uniti; ſicuti animæ rationales ratione diverſorum corporum quæ informant, non poſſunt inter ſe penetrari. Immo etiam ex hoc habent *pœnam* dæmones; nec mirum, hoc contingere ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritibus in pœnam; quum e contra Beatis in præmium detur penetrabilitas corporum. [a]

Septimum Argumentum.

772 Septimum Argumentum eſt; ſi vera eſſet noſtra ſententia, non torqueretur *idem Angelus* qui peccavit, ſed hoc eſt falſum, ergo: prob. ſeq. maj. quia per nomen *Angelus* venit in recto ſubſiſtentia, vel ſuppoſitalitas: ergo quando hæc non eſt eadem, nec etiam eſt idem Angelus. *Reſpondetur* neg. ſeq. maj. & probationem illius, quia nomina concreta ſubſtantialia quæ explicite dicunt naturam, ut Deus, Homo, Angelus, Leo, &c. non diverſificantur, niſi diverſificata natura; ſicuti non multiplicantur, niſi multiplicata natura; ut docent communiter cum Divo Thoma: unde unus eſt Deus, licet tres perſonalitates habeat, & ſi una natura humana adſumeretur a pluribus perſonis divinis, eſſet unus homo. Cujus rei ratio an ſit; quia hæc nomina dicunt in recto naturam, in obliquo perſonalitatem: an vero alia ratio, non ſpectat ad præſentem quæſtionem; & de hac re fuſiſſime tractavi, quum agerem de *Incarnatione*.

773 *Dices*: ſaltim non torqueretur *eadem perſona* quæ peccavit, ſed hoc eſt falſum: ergo, & unde ſequitur. Prob. ſeq. maj. quia mutata ſubſiſtentia non eſt amplius eadem perſona: probatur etiam minor, quia eadem perſona quæ peccavit, debet torqueri. *Reſpondetur* primo negando minorem, & probationem illius; ratio eſt, quia peccare & torqueri, vere formaliter conveniunt naturæ, perſonæ vero ſolum denominative: [b] unde ſolum debet torqueri natura quæ peccavit, licet non torqueatur eadem perſona; & hoc præcipue, quando tormentum & pœna habentur per ipſam *variationem* perſonæ, ita ut naturæ quæ peccavit, detur in pœnam, ut *amittat* ſuam perſonalitatem, [c] & habeat aliam, & conſequenter deſinat eſſe hæc perſona, & fiat altera. Sicuti ſi humanitas Chriſti extitiſſet cum propria ſubſiſtentia, & per opera facta ex gratia meruiſſet unionem hypoſtaticam de congruo (quod eſſe poſſibile, videtur certum, ut inquit Georgius de Rhodes [d]) in tali caſu non eadem perſona quæ meruit, præmiaretur, quia prius erat perſona humana, deinde divina, ſed ſolum præmiaretur eadem natura; & quia meritum eſt de *mutatione* perſonæ, & præmium habetur per ipſam *mutationem* perſonalitatis.

774 Hæc reſponſio eſt ſufficientiſſima; tamen ad uberiorem doctrinam, volo etiam dare aliam: pro intelligentia cujus advertendum eſt ex multis Theologis apud Johannem de Lugo [e] hoc nomen ſuppoſitum vel perſona, quando eſt ſermo de ſuppoſitis & perſonis crea-

a Sed quum forte pleriq. dæmones ſimul penetrati in infernũ ceciderit, nova iis ex penetratione pœna cõſurgit; ut qui ſub ead. portione ignis perpetuo manebũt, ceu mãcipia in triremib. bini, terni, quaterni &c. vinculis æternis ſub caligine reſervati: quo caſu erunt plures naturæ angelicæ, ſed unũ ſuppoſitũ, eo modo quo dicitur de Chriſto. Porro cogitatio hæc evangelio maxime cõgruit, in quo interrogatus in ſingulari *dæmon a Chriſto* : quod nomen *tibi* eſt? *reſpondit ille in ſingulari itẽ, ſe* Legionem *eſſe, ideſt certã multitudinẽ dæmonũ, his verbis:* Legio *mihi* nomen eſt.

b Ceterũ ſubſiſtẽtia dæmonũ ſatis paſſa eſt, quũ paſſa ſit deſtructionem.

c Sicuti mulier quæ peccat vanitate pulchritudinis, cõgruẽter punitur ejus amiſſione.

d Diſp. 1. de Inc. q.5. ſect. 1.

e Diſp. 13. de Inc. ſect. 3. n. 21.

Digitized by Google

creatis, dicere in recto naturam; in obliquo vero ſuppoſitalitatem, ſeu perſonalitatem; quando vero eſt ſermo de ſuppoſito & perſonalitate divina, dicunt in recto ſuppoſitalitatem & perſonalitatem. Ratio diſcriminis eſt, quia ſuppoſitalitas creata eſt veluti forma habita a natura; unde natura eſt habens, & venit in recto; ſuppoſitalitas vero eſt habita, & venit in obliquo; e contra ſuppoſitalitas ſeu perſonalitas increata eſt veluti habens naturam, & ideo ipſa venit in recto, natura in obliquo. Ex qua doctrina deducunt, quod multiplicatis, vel variatis ſuppoſitalitatibus creatis in una natura, non multiplicantur, nec variantur ſuppoſita, aut perſonæ, bene tamen multiplicatis, vel variatis perſonalitatibus increatis. Hac ergo poſita probabiliſſima doctrina, *Reſpondetur ſecundo* ad argumentum, negando ſequelam majoris, & probationem illius, quia quum nomen perſonæ, loquendo in creatis, dicat naturam in recto, ſubſiſtentiam vero in obliquo, non variatur, variata ſola ſubſiſtentia, ſed debet etiam variari natura, ut varietur; quod non contingit in caſu noſtro. a

775 *Inſtabis* contra hanc reſponſionem, & ſimul etiam contra reſponſionem ad hoc ſeptimum argumentum, quia in hac ſecunda reſponſione dicitur, quod nomen *ſuppoſitum* (loquendo de creatis) dicat in recto naturam, in obliquo ſubſiſtentiam; item in reſponſione ad ſeptimum diximus, quod nomen *Angelus*, *ignis* &c. dicant in recto naturam, in obliquo ſubſiſtentiam; ſed hæc omnia ſunt contra doctrinam concluſionis, ergo male hæc dicuntur. Prob. min. quia ſi talis doctrina vera eſſet, non poſſet dici, ſuppoſitum dæmonis eſt ſuppoſitum ignis, & e contra; nec diabolus eſt ignis, & e contra, quod nos dicimus expreſſe in concluſione. Quod autem hæc non poſſent dici, patet, quia in prædicatione debet dari identitas inter ea quæ veniunt in recto per nomen ſubjecti, & quæ veniunt in recto per nomen prædicati; unde in caſu noſtro dicere, ſuppoſitum dæmonis eſt ſuppoſitum ignis, & diabolus eſt ignis, idem eſſet ac dicere, natura dæmonis eſt natura ignis, quæ ſunt falſiſſima. Ad hoc argumentum poſſet *reſponderi* neg.maj. & probationem illius, & ad illam doctrinam; quod ad prædicationem requiratur identitas inter rectum ſubjecti, & prædicati, dico non eſſe ab omnibus acceptam, & eſt res, quæ ſpectat ad logicam, & requirit non ordinariam diſcuſſionem.

776 Attamen, ne videar declinare difficultatem: *Pro reſponſione* ſciendum eſt, ſæpe ſubjecta variare ſignificationem ratione prædicatorum, quæ illis apponuntur & tribuuntur, ut ſignificent nomen ſecundum quod de illis poteſt intelligi prædicatum. Do exemplum; ſi dico, homo eſt animal; ly homo ſignificat hominem, ut eſt *in re*, quia ita poſtulat tale prædicatum; ſi vero dico, homo eſt ſpecies; ly homo ſignificat hominem, ut eſt *abſtractus* in mente, quia ita poſtulat

a Juvat etiá rem hanc id quod ex Damaſceno, Ambroſio, & Divo Thoma docet Paſqualigus de *Incarn. diſput. 57. ſect. 2. n. 19. Chriſtú nempe poſſe dici perſoná humaná, nõ quod in ipſo ſit perſonalitas humana, ut volebat Neſtorius, aut duæ perſonæ diſtinctæ in re, ſed una perſonalitas divina, quæ conſtituat uná perſonam, quæ ſimul ſit perſona humana & divina: quare in caſu noſtro habebitur perſona puta* Lu*ciferi per uná ignis ſuppoſitalitatem; quæ conſtituat unú ſuppoſitú quod ſimul ſit perſona Luciferi & ſuppoſitú ignis. Multo magis quod* luciferei*tas non eſt niſi forma metaphyſice abſtracta a concreto naturæ Luciferi, & cujuſcunq. ſubſiſtentiæ, quemadmodum homeitas eſt abſtracta a cõcr. nat. humanæ et cujuſq. ſubſiſtétiæ, ſecus Chriſtus non eſſet homo.*

ſtulat tale prædicatum; item ſi dico, omne animal moritur, ſubjectum *animal* intelligitur pro *ſingulis generum*: ſi vero dico, omne animal fuit in Arca Noë, intelligitur pro *generibus ſingulorum*, quia ita poſtulant talia prædicata. Hinc licet hi termini ſimplices, ſuppoſitum, perſona, Angeli, ignis &c. ſignificent in recto naturam, in obliquo ſuppoſitalitatem & perſonalitatem; tamen in propoſitionibus ratione prædicatorum quæ illis affinguntur, (quæ non poſſent aliter verificari) mutant ſignificationem, & poſſunt ſignificare ſuppoſitalitatem & perſonalitatem in recto, naturam in obliquo. Hæc doctrina fuit olim a me tradita in *logica*, & in tractatu de *Incarnatione*, poſtea inveni illam expreſſe traditam a de Rhodes, [a] qui ait eſſe vulgarem doctrinam apud Dialecticos; ſed ego nunquam illam legeram expreſſe de variatione per mutationem recti in obliquum & obliqui in rectum.

[a] Diſp. 2. de Incarn. quæſt. 5. ſect. 3. §. 2.

777 *Reſpondetur* ergo ad argumentum negando majorem & probationem illius, quia licet dæmon & ignis, ut termini ſimplices, ſignificent in recto naturam, tamen in mutua prædicatione ſignificant in recto ſuppoſitalitatem, eo quia quando quis prædicat unum de altero, intelligitur ea ſumere ſecundum id, in quo ſunt *idem*; idem dico, quando dicitur, ſuppoſitum dæmonis eſt ſuppoſitum ignis, & e contra; unde oppoſita probatio nulla eſt. Adverto heic, quod poſita hac doctrina, per quam fit differentia inter ſuppoſitum divinum & humanum; quod nempe in terminis ſimplicibus abſolute prolatis illud veniat in recto, hoc in obliquo; ſequitur, quod non ſit admittenda tanta & ſimilis communicatio prædicatorum inter dæmonem & ignem, [b] quanta communicatio idiomatum admitti poteſt inter Deum & hominem. Quæ doctrina erit valde utilis ad compeſcendas multas difficultates, quæ in hac materia poſſent fieri, licet omnes eſſent de voce. Quamvis etiam adſint alia capita, ex quibus debet inter ignem & dæmonem reſtringi talis communicatio prædicatorum.

[b] Vide num. 758. in adnot. ad lit. a.

Octavum Argumentum.

778 Octavum Argumentum eſt, quia *Incarnatio* eſt opus nedum mirabile, ſed etiam unicum & ſingulare, ut docent Sancti Patres; ſed in noſtra ſententia non eſſet tale, ergo non eſt admittenda. Prob. min. quia in noſtra ſententia darentur tot incarnationes, quot ſunt uniones hypoſtaticæ dæmonum cum igne, quæ ſunt innumeræ. *Reſpondetur* neg. min. & probationem illius, quia per nos nulla alia daretur Incarnatio, niſi adſumtio humanitatis facta a Verbo; nam Incarnatio non ſignificat quamlibet unionem in ſuppoſito, vel hypoſtaſi, ſed vel unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate, vel unionem alicujus alterius ſuppo-

ſuppoſiti cum natura, conſtante ex anima & corpore, quod dicitur *caro*. Nulla ergo a nobis Incarnatio ponitur, niſi jam dicta Verbi cum humanitate.

779 *Dices*: nedum Incarnatio, ſed etiam unio hypoſtatica duarum naturarum ſub uno ſuppoſito, debet eſſe mirabilis, unica & ſingularis, ergo falſa doctrina; antecedens probatur, quia ita docent Patres. *Pro reſponſione* ſciendum eſt, poſſe unum opus habere *duas* mirabilitates, unam communem cum aliis & ſecundum rationem in qua convenit cum illis; aliam ſibi ſpecialem & propriam & ſecundum rationes, ſecundum quas differt ab illis: v. g. *Reſurrectio* Chriſti eſt mirabilis, nedum, ut reſurrectio eſt (in qua mirabilitate convenit cum reſurrectionibus aliorum hominum) ſed etiam, ut *talis* reſurrectio, nempe ut facta virtute ipſius reſurgentis, & ex aliis capitibus. Item *Aſcenſio* Chriſti eſt mirabilis, nedum, ut aſcenſio eſt, ſed etiam, ut taliter facta, nempe quia fuit prima, & facta virtute ipſius aſcendentis. Hinc *unio hypoſtatica* Verbi cum humanitate, nedum eſt mirabilis, ut unio hypoſtatica eſt, ſed etiam ut talis eſt, eo quia eſt unio perſonæ divinæ infinitæ, increatæ, immenſæ, immortalis &c. cum natura humana finita, creata, circumſcripta loco, mortali &c. Item ob *circumſtantias* ſpeciales, nempe, quia fuit facta virtute ipſius Verbi ſe unientis cum natura humana, quia fuit facta in utero Virginis ob redemtionem hominum &c.

780 Sciendum *ſecundo*, quod unum opus nedum mirabile ſecundum rationem communem in qua convenit cum aliis, ſed etiam ſecundum alias rationes & circumſtantias ſpeciales in quibus differt ab illis, poteſt dici etiam unicum & ſingulare in mirabilitate, non quidem in mirabilitate quam habet communem cum ceteris, ſed in mirabilitate, quam habet ſibi propriam & ſpecialem. Quod patet in exemplis allatis de Reſurrectione & Aſcenſione Chriſti: item ex Divo Bernardo, [a] virtutes Mariæ, nempe puritas, humilitas &c. vocantur unicæ & ſingulares, non quidem, ut virtutes ſunt abſolute, qua ratione conveniunt cum multis aliis; ſed ut tales, & ſecundum intenſionem ipſis propriam & ſpecialem. Sciendum *tertio*, quod Sancti Patres dicendo: unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe mirabilem; nullo modo excludant has uniones hypoſtaticas dæmonis cum igne; poſſunt enim multæ res eſſe ſingulæ mirabiles: immo omnes debent concedere, pœnam dæmonum ab igne corporeo eſſe *quid mirabile*; torquentur enim dæmones, ut inquit Divus Auguſtinus loco citato, *modo miro*. Difficultas videtur eſſe, eo quia Sancti Patres dicunt illam eſſe in mirabilitate *unicam* & *ſingularem*.

[a] Sermone 4. de Adſumtione.

781 *Reſpondetur* ergo ad argumentum diſt. ant. unio hypoſtatica duarum naturarum in uno ſuppoſito eſt unica & ſingularis in mirabili-

Digitized by Google

tate; ſi loquamur de qualibet unione hypoſtatica, nego; ſi loquamur de illa, quam habet Verbum cum humanitate,ſubdiſt. Eſt unica & ſingularis, ut unio hypoſtatica eſt, & ſecundum rationem quam habet communem cum ceteris, nego; ut talis unio hypoſtatica eſt, & ſecundum rationes & circumſtantias ſibi ſpeciales, concedo: unde negatur conſeq. Ad probationem dico, Patres dicere unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe unicam & ſingularem in mirabilitate, non abſolute, ut unio hypoſtatica eſt; ſed ut talis unio hypoſtatica eſt, & ſecundum rationes ſpeciales & proprias illius.

§ 782. Hoc autem patet clariſſime multis de cauſſis. *Primo*, quia eo ſenſu dicunt Patres eſſe unicam & ſingularem, quo Theologi omnes cum Divo Thoma [a] dicunt illam eſſe *maximam*: at Divus Thomas tali loco dicit, unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe maximam ratione *perſonalitatis divinæ* in qua Deus & homo ſunt unum: ergo non ut unio hypoſtatica eſt abſolute, ſed ut talis, ſcilicet, ut uniens duas naturas ſub perſonalitate divina; ergo in eodem ſenſu oportet, ut loquantur Patres, quando illam dicunt unicam & ſingularem. *Secundo*, quia quum multi Theologi, ut ſupra dixi, concedant eſſe poſſibiles has uniones hypoſtaticas, quas ego admitto de facto; quo ergo modo ipſi dicerent, quod ſi Deus feciſſet, adhuc unio hypoſtatica Verbi cum humanitate eſſet unica & ſingularis; ita ego dico de facto. Immo Yſambertus [b] loco citato dat hanc reſponſionem dicendo: unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe unicam & ſingularem, *ut talis* eſt, non vero, ut unio hypoſtatica eſt abſolute. *Tertio*, quia nullus Patrum poteſt inveniri, qui dicat: unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe unicam & ſingularem, ut unio hypoſtatica eſt abſolute;ſed ſolum loquuntur de illa,ut talis unio hypoſtatica eſt. Videantur Patres.

783. Solum adferam heic Mellifluum Bernardum, [c] ubi ait: *Hodie tres mixturas, id eſt, tria opera fecit Deus, ita mirabiliter SINGULARIA, ut talia, nec facta, nec amplius facienda ſint; conjuncta ſunt ad invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. Prima conjunctio eſt valde mirabilis, QUIA conjuncta ſunt limus & Deus, majeſtas & infirmitas, tanta vilitas & tanta ſublimitas, nihil enim eſt Deo ſublimius, nihil limo vilius. Secunda conjunctio &c.* Ecce quænam ſit cauſſalis hujus *ſingularis mirabilitatis*, quam dat Bernardus, & eodem fere modo loquuntur alii Sancti Patres, & non ut putant, qui ita arguunt, ad deſtruendam hanc meam ſententiam. Sed, ut manifeſtiſſime appareat, nihil in hoc argumento eſſe contra me, advertendum eſt, nunquam fieri comparationem inter opus quod eſt gratiæ, & opus quod eſt pœnæ & tormenti: unde quæ dicuntur in favorem operis gratiæ & privilegii, non dicuntur comparative & cum reſpe-

[a] 3. parte q. 2. art. 9.

[b] *Doctor Sorbonicus, multum obtinens apud ſuos.*

[c] Sermone 3. in Vigilia Nativit. Domini.

Digitized by Google

reſpectu ad opera pœnæ & tormenti: v.g. *Immortalitas* poteſt dici ſingulare privilegium beatorum, licet illam habeant damnati; quia quando loquimur de immortalitate, ut gratia & privilegium eſt, non venit immortalitas in pœnam & tormentum, nec fit comparatio cum illa.

784 *Dico ergo*, quod eſto Sancti Patres dicerent, quod unio hypoſtatica, ut unio hypoſtatica eſt (quod tamen nullo modo dicunt) eſſet opus Dei unicum & ſingulare; tamen quia loquuntur de illa, ut donum, gratia & privilegium eſt, non excludunt alias uniones hypoſtaticas in pœnam & tormentum dæmonum: quæ autem comparatio, aut, ut ait Paullus, [a] *Converſio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial?* comparabiturne dæmon cum Chriſto, quia nec Chriſtus, nec dæmon poſſunt amplius mereri, aut quia uterque eſt major ceteris, Chriſtus in cælo, Lucifer in inferno? nequaquam profecto, quia immortalitas oritur in Chriſto a ſtatu beatitudinis; in dæmone a ſtatu damnationis; ratio capitis in Chriſto provenit ex gratia unionis, in Lucifero ex majori malitia & pœna,

[a] 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. 15.

Nonum Argumentum.

785 NOnum Argumentum eſt veluti appendix ad præcedens: hoc nomen *unio hypoſtatica* eſt *ſacroſanctum*, & ſignificat quid ſacroſanctum: ergo male dicitur dæmones illam habere: prob. conſeq. quia ex hac locutione offenduntur piæ aures: unde talis concluſio erit propoſitio *offenſiva piarum aurium*. Puto per hoc argumentum adverſarios non contendere de veritate ſententiæ & concluſionis, ſed ſolum male ſentire de *modo loquendi* per hæc verba *unio hypoſtatica*: unde ſi dixiſſem; dæmones torqueri per unionem *ſuppoſitalem*, nihil mali eſſet; teneamus ergo ſententiam ex una parte, & ex altera non relinquamus oſtendere nihil mali eſſe in hoc loquendi modo, nec eſſe trepidandum timore, ubi non eſt timor. Hoc autem oſtendo, accipiendo nomen, unde derivatur illa vox hypoſtatica; derivatur nempe a voce hypoſtaſis: ſi ergo hoc nomen hypoſtaſis non eſt ſacroſanctum, nec ſignificat aliquid ſacroſanctum (dicitur enim, ut communiter docent, de omnibus individuis completis naturæ ſubſtantialis, vel ſaltim intellectivæ: unde dæmon dicitur habere hypoſtaſim) quomodo nomen hypoſtaticus, hypoſtatica, hypoſtaticum, ab eo derivatum, erit ſacroſanctum, & ſignificabit quid ſacroſanctum? Nonne omnis unio hypoſtaſis cum natura, erit unio hypoſtatica? unde ergo ortus eſt ille timor? Præterea ſi hoc nomen eſſet ſacroſanctum, & ſignificaret quid ſacroſan-

 ctum,

Digitized by Google

ctum, neque de poſſibili poſſemus tribuere dæmoni aliam unionem hypoſtaticam cum alia natura; nam unio hypoſtatica ſignificat omnem unionem hypoſtaticam, ſive poſſibilem, ſive exiſtentem; ut ergo eſſet nomen ſacrum, & ſignificaret quid ſacrum, deberet omnis unio hypoſtatica ſive exiſtens, ſive poſſibilis, eſſe quid ſacrum. Quomodo ergo tot Doctores a me ſupra citati, & præcipue Yſambertus,[a] dicunt, eſſe poſſibiles quaſcunque uniones hypoſtaticas naturarum creatarum inter ſe ſecundum ſuppoſitum, ut eſt illa dæmonis cum igne?

[a] Ad quæſt. 3. de Incarn. diſp. 1. ſect. 1. *Qui quum ſit unus ex Sorbonicis, & maximæ apud ipſos æſtimationis, multum apud eoſdem obtinere debet.*

786 An forte *dicent*, quod ſi darentur actu tales uniones hypoſtaticæ naturarum creatarum in ſuppoſito, jam in tali caſu, hoc nomen *unio hypoſtatica* deſineret eſſe ſacrum, & ſignificare quid ſacrum; modo vero eſt quid ſacrum, & ſignificat quid ſacrum? *Sed* non poſſum credere, quod hoc dicant: nam ſi hoc nomen eſt ſacroſanctum, & ſignificat quid ſacroſanctum; ergo quando dicimus eſſe poſſibilem entitatem aliquam, quæ ſit unio hypoſtatica, & non ſit ſacroſancta; jam diceremus eſſe poſſibilem aliquam entitatem, quæ ſit, & non ſit unio hypoſtatica; ſit, ut ſupponitur; & non ſit, quia per ſe hæc vox, *unio hypoſtatica*, de facto ſignificat quid ſacroſanctum: ſi ergo illa entitas non eſſet ſacroſancta, quo modo ſignificatur per hanc vocem, ſolum ſignificantem quid ſacroſanctum; eſſet idem ac dicere, eſt poſſibilis homo qui non habeat id, quod ſignificat hoc nomen *homo*, ſed ſit leo, vel aliquid aliud. Hæc ſufficerent ad diſcutiendum hunc vanum timorem, non relinquamus tamen dare argumento reſponſionem *in forma*.

787 *Reſpondetur* ergo diſt. ant. hoc nomen *unio hypoſtatica* eſt ſacroſanctum & ſignificat quid ſacroſanctum, ſi reſtringatur ad ſignificationem Verbi divini cum humanitate, concedo: ſi relinquatur in toto ſuo ſignificato, vel reſtringatur ad aliam unionem hypoſtaticam præter dictam, nego: unde negatur conſeq. & probatio illius. *Primo*, quia ſi aliquis proferat aliquam vocem abſolute, non debet dubitari, nec fingi periculum offendendi pias aures, timentes, ne intelligatur reſtricta ad aliquod ſignificatum ſpeciale talis vocis; nam ſicuti ille abſolute profert talem vocem, ita debemus putare, velle, ut abſolute ſignificet: unde etiamſi dixiſſem abſolute, dari plures uniones hypoſtaticas, nihil addendo; nec quidem talis propoſitio debuiſſet eſſe offenſiva piarum aurium; quia quum hoc nomen *unio hypoſtatica*, ut dixi, ſignificet nedum illam Verbi cum humanitate, ſed etiam omnes alias; talis propoſitio deberet accipi abſolute, ſicuti profertur, & non ut reſtricta ad ſignificandas tantum plures uniones hypoſtaticas divinas; quaſi quod vellemus plures tales uniones admittere, *Secundo*, quia dato & non conceſſo, quod aliqua vox, ſi non reſtringatur in ſuo ſignificato, ſignificet rem principaliorem ſignificatam per talem vocem;

cem; & conſequenter quod hæc vox, *unio hypoſtatica*, ſi non reſtringatur, ſed proferatur abſolute, ſignificet unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate: tamen quando vel ex ſubjecta materia vel ex adjunctis reſtringitur ad aliud ſignificatum diverſum a ſignificato principaliori; tunc non poteſt eſſe dubitatio, ſed eſt clarum, quod non accipiatur pro ſignificato principaliori: unde ex illa nulla offenſio piarum aurium poteſt oriri.

788 At ita eſt in caſu noſtro; nam ego non dico abſolute in concluſione, dari plures uniones hypoſtaticas, ſed pœnam in dæmonibus oriri ex unione hypoſtatica per quam fiunt ignis; ubi a ſubjecto de quo agitur, nempe dæmone; ab antecedentibus, quod ſit unio pœnalis; & a conſequentibus, quod per illam dæmon non fiat Deus, ſed ignis; jam nimis ſuperflue talis vox, *unio hypoſtatica*, eſt reſtricta ad ſignificandam, non unionem hypoſtaticam divinam, ſed aliam pœnalem, & cum ſuppoſito ignis. Unde ergo poteſt eſſe dubium, & offenſio piarum aurium? Eſto ergo, quod unio hypoſtatica abſolute prolata ſignificet *antonomaſtice*, ſeu per figuram quæ dicitur *antonomaſia*, unionem Verbi cum humanitate (quod poſſet negari in locutionibus ſcholaſticis; nam locutiones Scholaſticorum non debent accipi tropice, ut locutiones Rethorum, ſed in ſignificato proprio;) eſto hoc, inquam; at quando ex ſubjecta materia, vel ex adjunctis, talis vox determinatur & reſtringitur ad ſignificatum ſpeciale, diverſum ab eo quod ſignificat ſumta antonomaſtice; nihil eſt periculi, quod debeat intelligi pro eo quod ſignificat antonomaſtice, & conſequenter nulla poteſt eſſe offenſio piarum aurium; at ita eſt in caſu noſtro, ut dixi, & ut patet.

789 Sed ſi adverſariis non ſufficit doctrina; habeo mille exempla. Hoc nomen *Filius Dei* abſolute prolatum & per antonomaſiam ſignificat *Chriſtum*; ſi ergo quis dicat, dæmon per ſuas ſuggeſtiones aliquando Filium Dei facit filium diaboli; eſtne periculum & offenſio piarum aurium in hac propoſitione? non equidem, quia ex ſubjecta materia vox *Filius Dei* determinatur ad aliud ſignificatum diverſum a Chriſto. Item hoc nomen *Verbum* abſolute prolatum & per antonomaſiam ſignificat Verbum *divinum*, quod eſt quid adeo ſacrum; & tamen ſolet dici, quod per omnem cognitionem producatur *Verbum*, nec quis ſomniavit periculum & offenſionem piarum aurium ob eandem rationem; item hoc nomen, *Spiritus Domini*, abſolute prolatum & per antonomaſiam ſignificat tertiam perſonam SSS. *Trinitatis*: at quando in lib. Regum [a] dicitur: *Spiritus Domini malus*; eſtne hæc ſcriptura plena periculo & offenſiva piarum aurium? abſit: quia ex illo adjuncto, *malus*, determinatur ad non ſignificandam tertiam perſonam SSS. Trinitatis, ſed dæmonem; & ita in mille aliis exemplis,

Unde

[a] Primo cap. 19, verſ. 9.

Digitized by Google

Unde ergo, ex qua parte orbis, quis ventus portavit hoc periculum, & hanc offenſionem piarum aurium, quando dicitur, quod pœna dæmonum habeatur per *unionem hypoſtaticam*, per quam dæmon factus eſt ignis; quod intelligatur de unione hypoſtatica divina: quando (ut dicebam) ex *ſubjecta materia*, ex ratione *pœnæ* adjuncta ante, & ex *identitate cum igne* adjuncta poſt; veluti ex omni parte, propoſitio excludit talem unionem hypoſtaticam divinam & ſacroſanctam? Quis cæcus hoc non videt, & quæ auris hæc verba non dijudicat?

Decimum Argumentum.

790 Decimum Argumentum eſt, quia hæc opinio eſt *nova*; ſed omnis opinio nova in rebus ſpectantibus ad fidem eſt inſolens, & non admittenda: ergo neque iſta opinio: prob. maj. quia a nullo Sancto Patre vel Doctore fuit tradita. *Reſpondetur* neg. maj. quia hæc, ut dixi, eſt ſententia *Divi Auguſtini*, [a] neque enim, ut ſit ſententia illius, neceſſe eſt, ut doceatur ab illo expreſſis verbis, ſed ſufficit, ſi valde rationabiliter colligatur ex dictis illius, ut nos fecimus. Sed dato & non conceſſo, hanc ſententiam non habere pro ſe tantum Patronum; pro alia reſponſione ſciendum eſt, *dupliciter* poſſe eſſe novam aliquam ſententiam, *Primo*, ſi omnes conveniant in una re, & aliquis doceat oppoſitum. *Secundo*, ſi omnes conveniant in una re, & diſcrepent inter ſe in modo quo talis res eveniat, ſeu in aſſignanda cauſſa & modo illius, & incedant ad illam veritatem firmandam diverſis viis. Hæc autem eſt differentia inter hos duos modos, quod ſententia nova primo modo poteſt admitti in rebus philoſophicis, non vero in rebus ſpectantibus ad fidem; & ſententia nova ſecundo modo, ſi bene rem explicet & ſit ingenioſa, nedum eſt admittenda, ſed etiam eſt valde laudabilis, immo eo magis laudabilis, quo magis eſt nova.

[a] *Quem ſane ſi ſatis* Veranus *perpendiſſet, ſententiam hanc quã ante profeſſus fuerat, Patribus incognitã, ſeu ab iis neutiquã traditam, non dixiſſet: loco ſupra cit. §. Hanc tamen ſententiam.*

791 Quæ doctrina debet eſſe tam certa, ut nemini debeat venire dubium de oppoſito, *Primo*, quia alioquin præcluderetur via ingeniis Scholaſticorum ad ſpeculandos modos faciles & claros ad explicandas res fidei. *Secundo*, quia non deberent amplius typis mandari libri Theologici; nam ſolum poſſent repeti, quæ jam dicta ſunt; qui eſſet vanus labor. *Tertio*, quia nec novæ expoſitiones ſacræ Scripturæ poſſent adferri, quod eſt falſiſſimum; immo quando expoſitiones huc uſque datæ non plene ſatisfaciunt, laudabiliſſimum eſt excogitare novam, quæ magis ſatisfaciat. *Quarto*, quia alioquin eſſet abbreviata manus Domini, nemini concedens novum lumen ad declarandam rem aliquam inter innumeras ſacræ Scripturæ & Theologiæ. *Quinto*, quia ipſi Sancti Patres ita fecerunt, unuſquiſque dicendo aliquid

Digitized by Google

aliquid non dictum ab aliis, & Chriſtus præcipit nobis ſcrutari ſcripturas. *Sexto*, quia ita de facto faciunt omnes Scholaſtici, ut videre eſt in eorum libris; immo in præſenti materia ait Coninch: [a] dæmones torqueri, eo quia Deus formavit illis corpora ignea, quibus veluti induuntur: quid magis novum quam hoc? & tamen laudabiliter fecit. *Septimo*, quæro ab iſtis, qui negant poſſe de novo a nobis inveniri novas ſubtilitates & modos explicandi res fidei; uſque ad quæ tempora Eccleſiæ duravit hoc privilegium; ut deinde poſteri ſequentes nihil potuerint de ſuo dicere? certe nullum poteſt aſſignari, & Deus ſemper in ſua Eccleſia Doctores habet, qui laborent ad declarandas res fidei. Pulchre Caſtro Palao; [b] Aliquando, quod multis reconditum & abſtruſum erat, alicui manifeſtatur: quot enim veritates tempore Divi Thomæ & Bonaventuræ elucidatæ ſunt adverſus communem & receptam ſententiam. Eccleſia enim Dei quotidie illuminatur, & ut bene dicit Gloſſa in cap. *Ad noſtram* de Conſuetudine, verbo, *Incipientibus*: *interdum revelatur minori, quod major neſcit*; & eſt optimus textus ad id probandum cap. *Si habet* 24. quæſt. 3. quod eſt Auguſtini, & cap. *Eſto ſubjectus*, quod eſt Hieronymi ante finem 95. diſt. Ubi nota ly *contra communem & receptam ſententiam*; id quod nullo modo eſt in caſu noſtro; quia in hac re de modo quo torquentur dæmones ab igne, nulla eſt ſententia recepta communiter; ſed omnes ſtudent invenire aliquem modum, qui ſatisfaciat.

[a] Quæſt. de Purgator. *ſed ſi abſolute intelligatur, quod induantur localiter, non poteſt hoc illis eſſe, niſi pœna carcerationis.*

[b] Diſp. 2. de Conſcient. errante punct. 1.

792 *Reſpondetur* ergo *ſecundo* ad argumentum; hæc opinio eſt nova primo modo, nego; ſecundo modo, tranſeat; deinde nego min. de opinione nova ſecundo modo; immo dico, non ſolum eſſe inſolentem, ſed eſſe valde laudabilem, ac deinde negatur conſeq. [c] Ad probationem majoris tranſeat pro nunc, quod a nullo Patre vel Doctore fuerit exhibita; at hoc non ſufficit ad faciendam illam inſolentem, & non admittendam, ſed ut ita ſit, requiritur, ut *omnes* Patres & Doctores illi contradicant, non autem ut de ea *ſolum* non ſint locuti, eo quia forſan non venit illis in mentem. Addo *tria* ſupponi falſo in argumento. *Primum* eſt, hanc concluſionem de modo quo torqueantur dæmones ab igne, eſſe materiam ſpectantem ad fidem, quod falſiſſimum eſt; ſolum enim ſpectat ad fidem, quod torqueantur ab igne corporeo; de modo autem nihil ad fidem, ſed eſt res mere philoſophica, dummodo per quamlibet opinionem ſalvetur, quod torqueantur; & ſolum poſſet reprobari modus, quo deſtrueretur hoc quod eſt torqueri ab igne; at nullus modus melius, quam a me poſitus, hoc explicat. *Secundum* eſt, hanc opinionem non eſſe juxta Sanctos Patres, quia illam non docuerunt; at hoc etiam eſt falſiſſimum, quia Sancti Doctores dicunt, dæmones torqueri ab igne modo *miro* & *ineffabili*, non explicantes, qualis ſit iſte modus; unde qui dicit torqueri per modum, qui eſt mirus & ineffabilis, ut iſte,

[c] *Legatur Cardin. CIENFUEGOS tom. 1. diſp. 6. ſect. 2. §. 3. a numero* 18. Ænigmatis *ſui* Theologici; *qui novitatis horrorem animum invadentem, ſi undecunque proveniens recipiatur, & hunc vanitatis, & recipientē levitatis damnat, ſuumque hoc judicium multis probat.*

Digitized by Google

ut iſte, quem ego pono, jam conformatur cum Sanctis Patribus; determinat enim ad ſpeciem, quod ponunt Patres ſub genere. *Tertium* eſt, ad reprobandam aliquam ſententiam ſufficere, quod Sancti Patres illam non dicant; ſed quis non videt hanc falſitatem? Requiritur enim nedum, ut non dicant, ſed ut *contradicant* illi; & præterea nec ſufficit unus vel alter, ſed debent eſſe vel omnes vel ſaltim omnes tractantes de tali materia. Oſtendant ergo hos Patres, qui contradicunt meæ ſententiæ; quid dico, oſtendant omnes Patres, oſtendant unum Patrem, & ſufficit nobis. Ultra quod, ut dixi, hæc ſententia eſt Divi *Auguſtini*, ſi illius verba perlegantur, & ſubtiliter perſcrutentur.

793 Non debeo heic præterire, quod Illmus & Revmus *Archi-Epiſcopus Senonenſis*, vir genere, ingenio, doctrina & omni nobilitatus prærogativa virtutum fecerit, ut adverterem, Sanctos Patres non poſſe citari contra meam ſententiam, eo quia magna pars illorum fuit in opinione, quod dæmones haberent *corpus*; [a] & pauci ex illis qui non fuerunt in hac opinione, tractarunt de pœna dæmonum; unde de Rhodes [b] ait: *Mirum eſt, quam multi Sancti Patres ſentiant tribuenda eſſe Angelis corpora*: & citat Origenem, Juſtinum, Clementem Alexandrinum, Sanctum Ephrem, Cyrillum, Baſilium, Bernardum, Rupertum, Fulgentium & alios. Non relinquam adferre verba Gabrielis Vaſquez; [c] Vidi aliquos ita ſuis opinionibus adhærentes, ut putarent contrariam ſententiam periculo erroris expoſitam, quod prudens Theologus cavere debet, mature ſemper de rebus judicans, nec leviter aliquid damnans: diſputatione vero aſſidua factum eſt, ut diligenter Scripturæ & Patrum libris perſpectis, res jam facilior appareat, & ubi periculum videbatur, ipſa veritas eluceat. Sed quid verba Vaſquez, quando Chriſtus Dominus inquit, [d] quod *Omnis Scriba doctus in regno cælorum* (ſcilicet in præſenti Eccleſia, ut explicat Gregorius Magnus [e]) *profert de theſauro ſuo NOVA & vetera!*

Hęc pauca CURSIM dictabam ego Albertus Fardella Cler. Reg. in Ædibus S. Annę Regię Pariſiorum, 16. Aprilis 1666. plura in libris meis Theologię ſacrę quę ſub prælo eſt, dicturus.

EXPLICIT.

a *De quo ſuo etiam loco ſuperius diſſeruimus: quin Auguſtinus loco laudato, ubi deſcēdit ad hanc noſtram unionem hypoſtaticam in re admittendā; movetur ex ſola ſuppoſitione, quod Angeli ſpirituales omnino ſint; ait enim:* Si quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat, *cetera*.

b Diſp. 1. de Angelis quęſt. 1. ſect. 2.

c In part. 1. q. 1. diſp. 12. art. 8. cap. 2.

d Matth. 13. verſ. 52.

e In Evangelia, hoc loco.

De

De cruciatu combuſtionis in Dæmone.

794 QUemadmodum *tempori ſerviens*, atque illi qua potiſſimum Scholaſtici tunc utebantur, dicendi methodo & ſtylo ſe accommodans, juxta doctrinam *Peripateticorum* linguamque quas undique *Fardelliana* præ-exhibita diſſertatio deprehenditur reſonare, ſuum Magnus ille Autor ſyſtema procudit; ita, ut capiti membra reſpondeant, *perſonatus* incedo hac in theſi, atque Peripateticum ago affectoque, illius unice obſecuturus opinioni, cujus nobilitas & novitas [a] ad id me plurimum impulere. Quo autem redeat, unde divertit oratio; eo prædictam *hypoſtaticam unionem* ignis cum dæmone reducendam fui arbitratus, ut hic propterea immane ipſum *combuſtionis* tormentum miſerrime ſentiat, percipiat, experiatur. Audivimus ſane nonnullos, qui, quoniam quoad hoc non ſeſe aperuit Autor ſententiæ, hanc ipſam, tametſi multis extollerent, nihilominus deſerendam duxerunt; putantes (inconſulto, ni fallor) fore ut nulla quam e Scripturis & Patribus tenent inevitabilem, combuſtionis pœna in dæmonibus exinde oriatur; ac nova etiam accedente modo ſententia, in eodem ſemper luto hæſitemus. Fuerunt autem & ante nos (non inficior) alterius quoq. ſcholæ homines, initio commemorati, qui ex præjacta *Fardelliana* hypotheſi tantum in dæmones ſupplicium derivarunt: ſed quin eorum a nobis greſſibus incedatur (neque enim habemus ad manus) ſi non magis; nec minus fortaſſe facile eorundem in metam ſtudebimus pervenire.

795 Claræ quidem ſunt, aut ita nobis ſaltim videntur, pleræque Bibliorum locutiones; ipſiſſa *cremationis* tortura univerſos in inferno Angelos impiorumque ſecum animas excruciari: *Dabo ignem* (præcipue ſic exhibent [b]) *in carnes eorum*, [c] *ut URANTUR & SENTIANT.* Quibus porro obſecutos Patres atque adluſiſſe dixeris, qui cum Magno Gregorio [d] hujuſcemodi de diabolo locuti ſunt: *In tormento ignis SENTIENDO punitur; ignem patitur; & CREMATUR: ſicque fit, ut res corporea incorpoream EXURAT, dum ex igne ſenſibili ARDOR ac dolor trahitur.* [e] Et quidem nullatenus alioquin antiquis illis qui tandem Angelos corporibus exuerunt, difficilis explicatu quæſtio fuiſſet; quomodo in eos ageret ignis, etſi corporeus, quem non *combuſtive* acturum credidiſſent. His hoc ergo modo præjactis; nil noſtra intereſſe ſatis didicimus; valeantne Angeli, Spiritus omnino quum ſint, combuſtionis tamen ſuſtinere torturam: ſiquidem, *remote* ſaltim, eos poſſe, Scripturæ Patreſque dicunt, ſi & actu illos perpeti, dictaq. pœna nunc detineri. Quod in præſens vero ad nos ſpectat, inveſtigare nonniſi eſt propriiſſimum modum, atque attenta rei ardui-

[a] *De qua tamen num.* 792.

[b] Judith cap. 16. verſ. 21.

[c] *Seu ad rem loco carnium.*

[d] Dialog. 4. cap. 29.

[e] *Et quanquã inibi S. Doctor* inviſibilẽ *ardorem appellet, ac flammã* incorporeã; *id dicit (uti ſcite* Paſqualigus *animadvertit) ut longe a dolore & flamma* terrenis *eos, quos in inferno dãnati patiuntur, diverſos indicet; quaſi ſpiritualis ſit ardor ille, quẽ* viviorem *præ terreno excitat ignis tartareus.*

Digitized by Google

tate facillimum,quo rectius eveniat,ut *remota* illorum capacitas ad *proximam* reducatur. Sed quem propriorem dixeris, quemq. faciliorem, quam noſtrum? Quum enim Angelos in *unum ſuppoſitum* igni alligamus; jam ipſiſſimum evenire, perſpèctum erit, quod & rationalibus hominum animabus. *Anima* quoque hominis & ipſa ſpiritus eſt; *proxime* & ipſa ſenſationum minime capax; ubi vero carnibus in *unum compoſitum* alligatur, *combuſtionis* ineopte cruciatum ſuffert & ſenſum, dum corpus comburitur. *Videmus animam incorpoream*, ait Auguſtinus, [a] *uniri corpori humano, & cum illo ſimul* corporaliter *gaudere & pati: ita poteſt uniri ſpiritus igni, ut ab illo pœnam trahat; licet modus utriuſque unionis ſit prorſus incognitus*. Fit inde, ut quemadmodum quo caro magis caleſit aut igneſcit, eo illi unita anima magis cruciatur; ita & *in ſummo* crucientur ardore dæmones, quibus *dati ignes in carnes*, ſibimet ipſis calidi ſunt (Ariſtotelem rurſus ſapio) in ſummo quidem, ita ut ſeſe devorent. [b]

796 Illic igitur ubi non erat timor, trepidaverunt timore illi, qui exemplo alterius *hypoſtaticæ* in Chriſto unionis, quam *mirabiliter ignis æmulatur*, [c] nullum, putant, fore ut in dæmonibus æque alligatis redundet combuſtionis tormentum; quoniam nullum in Verbo, unito licet, *paſſibilitatis* genus redundavit. Veriſſimum quidem eſt: ſed quia Verbum fons eſt omnis gaudii, ſupremumq. gaudium ipſum, omnemq. voluptatem tranſcendens, doloris omnis, triſtitiæ & pœnæ, natura ſua & eſſentia omnimodis expers: facilius profecto eſt, ut aquæ fluminum dulces amariſſimum quod ſubeunt mare dulcire faciant, quam creaturarum miſeriæ vaſtiſſimum divini gaudii pelagus utcunq. exturbent. Alia autem Angelorum eſt ratio: hi, etſi non proxime, quemadmodum neq. anima hominis; uti tamen ipſa, *remote* in ſe *paſſibiles* ſunt: ſecus, neutri dolorem materialem *actu* ſentirent, Patreſq. ſi hoc dixerunt, falſi fuiſſent. Sed qui remote pati poſſunt, *proxime* id potentes fiunt; anima per unionem *ſubſtantialem* ad carnem, dæmones per aliam illius adinſtar, *ſubſiſtentialem* [d] ad ignem; & nihil illis in utriſq. amplius exigitur. Nonne intellectus humanus Chriſti Domini ejuſdemque voluntas, utpote remote in ſe capaces viſionis beatificæ ac *ſupernaturalis* ſanctificationis, per *ſimplicem* ad Verbum ſanctum beatumque *hypoſtaticam* unionem effecti ſunt *formaliter*, ut ita loquar, etiam ipſi; illa ſancta, iſte beatus?

797 Intercedit nihilo ſecius inter animas carni unitas, Angeloſque igni tartareo, latum diſcrimen: combuſtionis tormentum hi ſuſtinent, ſeu cruciatum ac pœnam, & una inſimul comburuntur, ceu *in faſciculos alligati ad comburendum*, ceu *pabulum & eſca ignis*; illæ vero quum corpus comburitur, combuſtionem in ſe minime ſufferunt, ſed cruciatum duntaxat ignis percipiunt, ſed combuſtionis ſolummodo dolorem & ſenſum patiuntur. Totum hoc quod grave alios cete-

roquin

[a] Loco ſupra laud. nu. 756. ad lit. a.

[b] *Hujuſmodi enim eſt natura ignis, ut calores exigat, qui tamen cui adhærent ſubjecto officiunt: clarum id in carbone, ligno &c. ignis ſubjectis & calore deſtructis. Sic enim anima ſenſitiva medio calore vitali ab ipſa exacto deſtruit exactas diſpoſitiones a carne, cũ qua facit unum compoſitum, ſicq. conſummando partes carnis ſe tandem deſtruit. Quo fit, ut calor connaturalis igni poſſit atque debeat eſſe nocivus Dæmoni cum quo facit unum ſuppoſitum.*

[c] Ut numero 754.

[d] Ut numero 759.

roquin negotium agere cogit, unione hacce noſtra *hypoſtatica* enodatiſſime expeditur, ac vi ſua fere profluit. Siquidem comburi lignum, quid profecto aliud dixeris, quam totum ab igne in ignem converti? Convertitur autem ſic; quod tendat ignis juxta Peripateticos ad expellendum in ligno aliquid ejus, ſeu peculiarem ejus formam, introducendamque mox ſuam, ita ut quod antea ſimpliciſſimum lignum erat, ſit poſtea lignum ignitum & ipſe ignis. Recta igitur igneſcunt dæmones & comburuntur, totique transformantur in ignem, dum hic expulſurus eorum aliquid, introducturuſque aliquid ſui in illos, totus ſuo intentus modo ſtatuitur, quo Angeli exinde ignis evadant. Hoc autem quum evenire minime poſſit per introductionem formæ ignis in illos, illiuſque Angelorum, ut qui omni omnino formæ hujus generis impares extant, expulſionem; optime atque unice habebitur, quod expulſa Angelica ſemel hypoſtaſi, ea ignis in dæmonem introducatur, quem ineopte ignem conſtituat, immaneſque ſuos eidem cruciantes communicet [a] calores.

798 At *Petrus Paternò* ex noſtratibus, *FARDELLÆ* auditor, tametſi acceptæ ſententiæ, ut par erat, plurimum detuliſſet; acutiſſimum nihilominus ingenii ſui, quo ſe non longe eſſe a magiſtro oſtendit, nonnulliſque id elucubrationibus confirmavit; in majorem illius intelligentiam argumentum produxit: Fore nimirum ut non *amplius* comburerentur dæmones, qui ceteroquin comburendi ſunt in *æternum*, mittendiq. *in æternam combuſtionem*; [b] ſed jam *combuſti* omnes eſſent, quoniam igne undique candeſcentes, atque ignes effecti per laudatam eam unionem ad ignem: perinde ac ligno ſemel ignito, introductaq. in id forma ignis, hoc non comburi amplius, ſed combuſtum crematumque rectius dicetur. [c] At nedum Angelos ſolutaſq. impiorum animas æterna eximere combuſtione videtur hæc ratiocinatio, verum & damnatorum corpora poſt Judicium: igneſcunt illico quoque iſta, [d] quæ cremari tamen in ſempiternum dicuntur. Hinc etſi lignum imbutum igne, quod jam ſupponatur corruptum, ac propterea non adeſſe amplius quod comburi dicatur, abſolute combuſtum reputetur & ſit; dæmones tamen, impiorum animæ, atque dein ipſorum corpora comburi ſemper cum tota adhuc intima ignis præſentia dicentur, quoniam vere igni eorummet natura & ſubſtantia coëxiſtunt, quæ in perpetuum & ultra ſemper crementur. Proporro quia lignum eſt *in comburi*, tum quum ignis ad formam ejus propellendam rapidus tendit; inde fit, ut continuo comburantur dæmones, perenniterq. crementur, quia eorundem fatalis ignis tartareus, ne amiſſa jam horum ſubſiſtentia iterum profluat (ſecus certiſſime profluxura) continuo impedit, accedereque quaſi nitentem ſemper propellit.

799 Quo vero tandem perfectiorem cogitationis noſtræ ideam mente exprimas; ſeu quantum decantatas in Scripturis dæmoniorum

a Non inde tamē per hanc unionē omnia unius ſubjecti prædicata aliud formaliter afficiunt; uti neq. per unionem animæ cū corpore (quæ eſt paritas Auguſt.) id habetur: anima quidem tribuit corpori vegetare, non ſapere; recipit ſentire, non corrūpi; ita ignis dat dęmoni calefactionis dolore affici, non recipit ab eo intelligere, etc.

b Ex Divo Hieronymo.

c Extát alia ejuſdem argumenta; inter quæ: quod ſi Angelus exiſteret per ignē, non inde cruciaretur; quare neque quod per illum ſubſiſtat. Verum adhuc torqueretur, ſi eadem incōmoda importaret in Angelo ignis exiſtentia, ac ejuſdem ſubſiſtentia.

d Dicuntur enim pabulum & eſca ignis.

Digitized by Google

pœnas una illa ignis *ſubſiſtentia* ſit inducendo, habeas ſimul ob oculos; placuit (nec tibi injucundum fore arbitror) quæcunq. ſparſim de iis hactenus dicta ſunt, modo juxta congerere & coadunare. Facilius ita inſinuationi omnibus erimus, ultimæq. perſuaſioni: ubi enim plures ſeorſum milites adverſam arcem non impetunt, hanc uniter ut frequentius ſuam trahunt in ditionem. *Prima* autem eſt, privari dæmones ob eam, tanquam aliquod naturaliter ſaltim *incompoſſibile*, ſubſiſtentia propria ſpirituali a natura ipſorum maxime exacta. [a] Privatio nempe cognita boni alicujus debiti & exacti illud eſt ex Angelico, [b] ex quo pœna multoties oriri ſolet: hinc pœna famis ex exacti ab animali alimenti privatione proficiſcitur. *Secunda*: habere *hypoſtaſim* ignis *materialem* ſibi adhærentem, quæ valde illis diſconveniens quum ſit, eiſdem non mediocris erit cauſſa doloris: [c] res enim nobis diſconvenientes, puta cibus inſipidus, odor pravus, experientia omnium, nos torquent. Enim vero ex amiſſione boni nedum, ſed & ex conjunctione mali, ut ait Divus Thomas, [d] oritur dolor. Sunt igitur dæmones quoad has duas recenſitas pœnas, ut ſuo aqua privata frigore, alienoq. affecta calore. *Tertia*: non poſſe ob eam ſeſe ad libitum coarctare, aut dilatare quoad loci ſpatia, [e] debereq. intra ignem ceu carcerem conſiſtere, acceptæq. ejus portioni perenniter ſe conformare. *Quarta*: detrahi ex vi illius ad ultimam profunditatem in centrum terræ, in quo ſphæram ignis Philoſophi plures conſtituunt; [f] contra id quod ſuperbe admodum appetierunt, ſuper cælos aſcendere, ſuumque inibi ſolium erigere. [g] *Quinta*: monſtrorum plurium imagines figuraſq. juxta acceptam ac diſpoſitam ignis portionem exprimere horribiliſſimas, undequaque intus foriſque ignibus imbutos, ceu memorabiles olim ſerpentes, quos Deus Pharaonis tempore ac Moyſi in terras immiſit. *Sexta*: pati propterea omnes illos dolorem æternæ combuſtionis, atque hunc atrociſſimum, æterneque ab igne comburi, ceu cadentes carbones qui in ignem dejiciantur. Et *aliæ* plures id genus. [h]

De loco prælii Angelorum, eorundemque præliandi genere.

800 QUoniam ubi primum creatus eſt, ibi plane audaciſſimus Lucifer, præliandi ergo, tentoria fixit; non tam prælii Angelici loco proprium videtur quæſitum iſtud, quam ac etiam creationis: quin & immo, ubinam iſta contigerit, non quidem levem commiſſum hoc bellum animadvertendi ſuppeditat rationem. Enim vero patratum *ſcelus*, indicta *pugna*, prævaricantium Angelorum *ejectio*, tria hæc in cælo *medio* (quod & *planetarum*) inter aëreum & Empyreum contigiſſe liquido pandunt ſeſe, co-

[a] Ut n. 732.
[b] P.1. q. 48. art. 3.
[c] Ut nu. proxime laudato.
[d] P.2. q. 27. art. 1.
[e] Ut numero 770. *Interim de ſphæra Angelorũ quidpiã occurrit: quæ incerta licet, cõmuniter tamen inæqualis cẽſetur pro inæqualibus Angelis; ita vero ut quiſque infimus ſphæram habeat quavis anima rationali majorem; quicunq. vero ex ſupremis, unius forte vel alterius milliaris. Differunt autẽ quoad hoc Angeli ab animabus, quod hę ſunt in majori vel minori ſpatio ob corpus tum minus tũ majus, aut minorẽ majoremve glandulã pinealem; illi vero ad libitum.*
[f] Ut nu. 631.
[g] Num. 746. in adn. ad lit. c.
[h] *In alia Operis parte, ubi de inferno ut pœna peccati mortalis agetur, ampliorem adæquatamq. dæmonũ pœnam, et ſenſus & damni, exhibebimus.*

eodemq. loci Spirituum omnium creationem conſignant. Porro quod *ſcelus* & *ejectionem* concernit; notiſſima ſunt, quæ de iis divini referunt ſcripturarum Codices: intendiſſe olim Luciferum *ſupra cælum aſcendere*, ac Satanam viſum eſſe *de cælo cadentem*. Niſi autem in cælo reliquorum medio creationem pugnamq. Angelicam colloces; horum neutrum, nec aſcenſum nec deſcenſum verificabis. Quum enim dæmones omnes ex eo in quo peccaverunt, ipſiſpſo cælo fuerint expulſi, neq. ullus poſthac inventus ſit eorum amplius inibi locus; [a] jam e ſuperiori aliquo ſupra *aëreum*, quod multi illorum etiamnum incolunt, tempeſtatibuſq. ſepius infeſtant (unde & *Aërearum Poteſtatum* nomen) excidiſſe credendi ſunt. At neq. minus ſupremum omnium *Empyreum* ulterioris Lucifero *aſcenſus* prætendendi copiam dediſſet; aut parandi belli (quod ad *pugnam* indictam attinet) mæſtitiæq. capiendæ, patrandive etiam ſceleris utcunque facultatem & campum. Inibi pax ſumma regnat, neque luctus neque dolor in eo eſt, neque aliquid inquinatum illuc intrabit. Deo maxime ſacer eſt locus; ſancto, pacifico, beato; conformibuſque ejus imaginibus *Civibus*, non *Viatoribus*; eumque ob finem creatus. Aliud igitur ab Empyreo jam erit Angelorum primævum cælum, in quo & *prælium magnum* fuiſſe factum, *luctum*que & *dolorem* cepiſſe dæmones, tertiamque ſtellarum partem draconis tractam cauda ſeſe *inquinaſſe*, iterato divinæ Literæ conteſtantur.

801 Antequam autem e cælo deturbarentur, ſuas (ut dictum eſt) ac ſerpentes blaſphemas acuerunt *linguas*, horrendumque in *murmur* impiiſſimi prorupere, unde & extremum ſibi exitium pepererunt. Lingua ipſis pro gladio, proque eo lingua etiam Angelis bonis; amboque tum invicem præliati ſunt. *Similis ero Altiſſimo*; diabolus effutiebat: ſed *Quis ut Deus*? Sanctus Michaël præſto ſubdidit: [b] qui tum quum vidit, ex illius ſuperbia execrabiles in Deum profectas blaſphemias, acceptum indixit ei Numinis imperium, quo mox illum de cælo exulare cogeret: [c] & factum eſt ita. Simile quiddam etiam eſt actum quum iterum Michaëli altercandum fuit cum diabolo de Moyſi corpore: *Imperet*, ait, [d] *tibi Dominus*; tantaq. vis & autoritas prolatum imperium fuit ſubſecuta, ut continuo diabolus exterrefactus abſceſſerit, illique, volens nolens, protinus morem geſſerit. Sed quei loquentes Angelos inducemus? qua lingua quidem, qua forma loquendi unquam utentur? & quei quoq. uni duntaxat ſoli, ſi libuerit, loqui poterunt, dum lingua omnium loquuntur; aut quempiam decipere, dum internum conceptum interna etiam locutione manifeſtant? *Spiritualibus* nonnulli quibuſdam *ſignis* ſecum invicem ſermocinari Angelos putant, quibus ea initio creationis indidit naturæ Autor; ut qui non aliuſmodi cum noſtris quoque primis parentibus agere voluit. Sed iis etſi mentiri inter ſeſe Angeli poſſunt; ſecreto tamen loqui non poſſunt. Veri autem ſimilius alii ſupernorum Spirituum loquelam in propriorum conceptuum *directionem*

[a] Apocalypſ. cap. 12. verſ. 8.

[b] *Quidquid dicat Theodoſ. Beza in Comment. Apocalypſ. qui Angelos inter ſe loqui inficiatur.*

[c] *Quo tempore fortaſſe ceſſatum eſt a blaſphemiis & harum inductū ſilentiū in cælo, juxta Eccleſiam in officio S. Michaëlis: de quo nu. 718. in adnot. ad lit. f.*

[d] In epiſt. Judæ verſ. 9.

quam inde analogice *linguam* vocant, refundunt. Sic fit; ut dum unus expreſſas mente ſua ideas ad alterum dirigit, cum ipſo loqui dicatur: quod ſi magno dirigit cordis impetu, vociferare & clamare; ſi aliter atque putat, conceptum quem dirigat, ſubſtituit, mentiri tunc; ſi ad unum dirigit, & non alterum, cum eo dicatur ſecreto loqui. Et quidem non alia nobis eſt ſæpe loquendi ratio, quum Deum vel Sanctos vel nos etiam met ipſos ſolo animo adloqui cupimus: dirigimus & ordinamus tum ſane ad illos aut nos conceptus noſtros hac mente, ut iis vel nobis inde innoteſcant. Secus autem; occultam cuique noſtrum eſſe crediderim germanam Spirituum illorum veramq. locutionem; atq. fore propterea, ut aliam in patria linguam quam non novimus, audiamus.

De divinatione Dæmonum.

802 TAmetſi antiquum illum *æmulandæ divinitatis* genium poſtremam intuliſſe ſibi perniciem, experientia dæmones didicerunt; a ſuis nihilominus, longe ac prius poſt ſupplicium obſtinatioribus, cordibus minime abjecere: quin & radices in eis fixiſſe paſſi ſunt profundiſſimas, ita ut quotidie *furari* conentur, illius (uti ajebat Tertullianus [a]) maxime cauſſa, rerum omnium *divinationem* præſenſionemq. & qui *ſuper aſtra* ſe olim ſeſſuros jactitabant, ex tunc ſeſe facere judiciarios aſtrologos cogitarint. Non eſt tamen cur credas, quoties occultiora futura aliqua certo prædicunt, ea ex aſpectu ſiderum, planetarumve mutatione edoctos dæmones præſentire. Profecto *Aſtrologicæ* artis hac in re vanitatem, præter ea quæ *Sextus* olim *Empireus*, ac recentius *Picus* Mirandulanus animadverterunt, duorum ab Auguſtino [b] adſumtorum fratrum nobile exemplum ob ipſos fere oculos ponit: *Jacob* inquam & *Eſau* ſub communi uno aſtro, eodemq. ſatu progenitos, *quos* tamen *inimicos inter ſe fecit morum diſtantia*. [c] Præſcit igitur nonnulla diabolus, tum ſuapte quandoq. induſtria, ex præteritorum videlicet exacta indagatione, quam recte *experientiam callidiorem propter magnam vitæ longitudinem* nuncupat Auguſtinus; [d] *ſicut Medici, Agricolæ vel etiam Nautæ multa prænunciant*: tum quoniam non raro a bonis vel Angelis vel hominibus, alicubi divino inſtinctu illa præfantibus, ſurripiunt, quæ uti ſua alibi venditant: *Audiunt enim iſta* (ſic ſcite laudatus Pater [e]) *aëreæ Poteſtates, ſive Angelis ea nunciantibus, ſive hominibus*: tum quod eorundem futurorum ſæpiſſime autores exiſtant; *ſicque quæ ipſi* facturi ſunt (inquiebat Euſebius [f]) *velut divinando prædicunt*: tum tandem quod ejuſmodi ambiguitate verborum ea proferant, ut in utranque extremam partem facile flecti poſſint; *ſicque interpretibus ſuis, ſignorumque ſuorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti*. [g] Et quidem præclara ſunt, ac vulgaria hujus rei paſſim exempla,

a Loco ſupra laudato num. 719.

b Lib. 5. de Civit. Dei cap. 4.

c E contra Cicero lib. 2. de divinat. ſic de illis, qui in Cānenſi pugna ceciderunt, fuit locutus: Qui quum uno aſtro non fuerint, exitus quidem omniū unus & idem fuit.

d De Geneſi ad lit. cap. 17.

e Lib. 4. de Trinit. cap. 17.

f De præparat. Evangel. pag. 108.

g Auguſt. de divinat. Dæmon. cap. 10.

803 Quo-

Digitized by Google

803 Quoniam vero ſuperius dictum eſt, [a] fuiſſe Angelis initio creationis ſuæ rerum omnium productarum quas decuit non ignorare, ſpecies congenitas, ac futurorum quorundam; id efficere modo videbitur, ut ea ex tunc per ſpecies neceſſario repræſentata noviſſent dæmones, quæ hominibus identidem valerent prænunciare. At nonne illæ quoque quas nos habemus, præteritorum quamplurium ſpecies non hoc ipſo præcontentam intelligentiam pariunt; pariunt autem tum quum primo memoria excitantur? Excitari igitur ad id muneris oportebit & præfatas futurorum inditas ſpecies: quod tum primum eveniet, quum illarum reſpectivum objectum (per *ſympathiam* tunc acturum quis dicet) eiſdem fuerit co-exiſtens. Pari fortaſſe formiter *ſecretorum* alterius cordis cujuſq. congenitas Angeli habuere ſpecies; excitandas, ſed unice ad ſolam loquentis atq. puram directionem. Nec aliam putarem eſſe Angelorum ac *animarum* in præſentia rationem: ſiquidem crediderim inditas quoq. ipſis & æque ab initio ſimiles ſpecies, ut ſuis tandem ſolutæ corporibus, ſeu in limbo exiſtant, ſeu in purgatorio, vel alibi, excitatis ad præſentiam objectorum ſpeciebus, hæc ubicunq. poſita cognoſcant; maxime quæ ad ipſas pertinent. Hoc autem; ni, ut videbitur, ſeſe illi quadantenus opponat textui: [b] *Viventes ſciunt ſe morituros, mortui autem nihil noverunt amplius*: aut alii cuipiam id genus.

[a] Num. 717.

[b] *De quo nu. 309. qui tamē explicari poteſt de notitia rerum impertinentium: ſane quidem noverat dives Epulo ſe in mundo reliquiſſe fratres, et alia.*

De Angelis Tutelaribus.

804 SUperbia actus diabolus, quod æterno Numinis decreto intimiores humani cordis receſſus, aliter atque ipſe expetebat, ſubditi ſibi prorſus non fierent, intelligentiæque ſuæ totam aciem effugerent; ulterius deteriuſque, quod in amiſſas a ſe gregalibuſque ſuis Cæli ſedes elatiores, exinde impleturi ruinam homines avocarentur, extrema in eos ardere cœpit invidia. Nihil interim non tentatum relinquit, nullum non vertit lapidem, ut ſuum illos in infernum trahat, atque Cælo furetur. Circuiſſe olim Satanas terrarum orbem, non tam facta hominum quæ alibi prænunciaret, indagaturus; quam decepturus quempiam quem poſſet, ætate *Job* perhibetur. [c] Id ipſum quoq. ceu rugientem leonem, quærentemq. quem devoraret, egiſſe diabolum ſub Petri tempora, iſmet retulit. [d] Et quanquam, in abyſſum poſthac ad mille annos detruſus, niſi inde prius diſceſſio venerit, revelatuſque fuerit homo peccati, has iterum noſtras in auras non evadet; [e] miniſtri tamen ei ejuſdem furfuris non deficiunt quos mittat; quique, poſtquam *ab initio homicida* ille univerſos in uno omnium parente homines perdere ſtuduit, *deſideria* ejus etiamnum velint *perficere*. Qui ſane quidem, tametſi appoſite non delegarentur, ex ſe ipſiſmet agerent: communis profecto dæmoniis omnibus eſt in homines invidia, protervia, rabies.

[c] Job cap. 1. verſ. 7.

[d] In epiſtola cap. 5. verſ. 8.

[e] Apocalyp. cap. 20. verſ. 3.

805 Hinc

805 Hinc ſupremus orbis Proviſor æterna ſua erga nos pietate noſtrorum omnium miſeratus pericula, piiſſime hominibus ſingulis proſpexit, Angeliſq. Angelos oppoſuit, ut ubi primi infeſtarent, alteri patrocinarentur. Porro unicuiq. hominum, ſtatim atque aſpicit lucem, unum ex Superis præpoſitum eſſe, quoad vixerit, fidelem *Cuſtodem*; antiqua ac pene indita mortalium animis eſt ſententia; quam ne Philoſophi quidem duntaxat, ſed & ceteri omnes e vulgo, noſtrorum quoque myſteriorum rudes Ethnici adamarunt. *Ita nobis*, ait Cenſorinus, [a] *adſiduus obſervator appoſitus eſt, ut ne punЄto quidem temporis longius abſcedat: ſed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur*. Hunc ex ſuorum more atque lingua Deum [b] ac *Genium* nuncupavit; *ſive* (ut inquit [c]) *quod una genitur nobiſcum, ſive etiam quod nos genitos ſuſcipit ac tuetur: certe a genendo, Genius appellatur*. Sed neq. ſub Genii hocce vocabulo Chriſtianorum cuſtodes duntaxat Angelos adumbravere; verum & quæ de iis noſtri prædicant atq. differunt, omnino illi omnia Gentiles adtribuerunt. Regendo & conſervando cuilibet, ut mortalem vitam ingreditur, comitem adjunxere; civitatibus etiam ac locis aliis, domibus, familiis, exercitibus tutela præeſſe arbitrati ſunt: duplicem etiam conſtituerunt, bonum & malum, [d] hominemque in amborum medio conſtitutum, alterutrius ſcopum ac propoſitum effecere; quemadmodum noſtrates quoque, Origenes [e] & Gregorius Nyſſenus [f] ex libro *Hermæ*, ſive *Paſtoris*, [g] ceu ex majorum traditione, in Eccleſia ſunt conteſtati.

806 Quæ tanti profecto ponderis in ſe ſpectata videntur, ut nullus dubitem, ne non Chriſtianæ Religionis hominibus qui ſuum providentiorem præ Ethnicis Deum norunt, altam de tutelaribus Angelis opinionem ingererent, quantumvis & id ipſum conteſtantia ſcripturarum loca haud extarent. Hæc tamen extant; & quidem luculentiſſima omnium, ſeu in veteri (a quo forte doctrinam ſuam pagani Doctores ſunt expiſcati) ſeu in novo etiam teſtamento. Infinita inibi ſunt, quæ Angelos humanas res procurare, inq. homines tuendos diu incumbere; iiſq. quandoq. opem adferre oſtendunt. *Ab Angelo* ſe Jacob ereptum *a cunctis malis*; [h] ab Angelo euntem & redeuntem ſe quoq. cuſtoditam Judith gratulatur: [i] atque de ſingulorum hominum inita per Angelos cuiq. proprios tutela memorabile extat Chriſti Domini teſtimonium: [k] *Videte, ne contemnatis unum ex iis puſillis: dico enim vobis, quia ANGELI EORUM ſemper vident faciem Patris mei*. Enim vero quum dicit, *Angeli eorum*, ſignificat, quibuſdam ex Angelorum cœtibus fuiſſe a Deo moderandorum regendorumque hominum, aut ſingulorum ſingulis, aut univerſim pleriſque, provinciam demandatam.

807 Sed & quanquam id eſſe conſequens Calvinus audacter inficietur, [l] *infirmumq. eſſe* dicat, *quod hunc locum ita quidam accipiunt, quaſi Deus ſingulis fidelibus proprios Angelos adtribuat*, cumq. tota Scriptura effu-

[a] Cap. 3. de die Natali.

[b] *De eorum tamē numero, quos ex Ovidio*, de plebe Deos, *vocat Seneca epiſtola* 110.

[c] Loc. citato *paullo ante dicta*.

[d] *Cujus exēpla produntur a Plutarcho in ſuo Bruto.*

[e] Homil. 35. in Luc.

[f] Lib. de vita Moyſis pag. 194.

[g] Hermas *de quo ad Rom.* 16. 14. *Divus Paullus cujus diſcipulus fuit, ſcripſiſſe fertur* Paſtoris *hunc librū, qui licet non improbatus, Canonicis tamē Scripturæ aliis nunquam fuit cōmuniter accenſitus.*

[h] Geneſ. cap. 48. verſ. 16.

[i] Cap. 13. verſ. 10.

[k] Matth. cap. 18. verſ. 10.

[l] In Harmo: *etſi in ſuis Inſtitutionib. rē in dubio relinquat.*

eſſutiat repugnare; hoc nihilominus omni ſemper ætate tenuit Eccleſiæ Patrum traditio. Quum enim poſtquam e carcere eſt eductus, quoddam oſtium Petrus pulſarit, dixerintque qui intus erant, *Angelus ejus eſt*; ſcite inde Origenes argumentatur: [a] *Ergo intelligitur eſſe & alius Paulli Angelus, ſicut eſt Petri, & alius alterius Apoſtoli, ac ſingulorum per ordinem*. Hieronymus etiam maxime commendat animarum omnium noſtrarum dignitatem magnam, *quod unaquæque habeat ab ortu ſuæ nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum*. [b] Sed & preſſius S. Baſilius ſilentium Calvino indicit, eruendarumque e ſcripturis ſacris veritatum porrigit formam; dum ex illis ſimul collatis eas eruit: *unicuique fidelium* adeſſe Angelum, *tanquam pædagogum*, ait, [c] & quod *Dominus* dixerit: *Ne contemnatis unum ex iis puſillis, quoniam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*: & *Pſalmiſta*: *Caſtrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipſum*: & : *Angelus qui eruit me a juventute mea*; & *cetera id genus*.

808 Verum enim vero non omnibus indiſcriminatim hominibus, ſed fidelibus tantum, atque eorum non quibuſcunque, ſed ſolis piis ac bonis appoſitos tutelares ſpiritus, nonnulli [d] poſt Baſilium [e] judicaſſe viſi ſunt: qui, perinde ac fumus apes in fugam agit, columbaſque cogit abire odor pravus, ita & per fœtidiſſimam animæ culpam credidere ſalutis perſæpe Angelos propulſari. Huc reſpexiſſe etiam eo *Iſaiam* [f] loco ſunt arbitrati, quo tandem *auferendam* impio circum-impoſitam animæ *ſepem* comminatur: *Et auferam SEPEM ejus*; quod videlicet *unuſquiſque in peccatis deprehenſus muro privetur, hoc eſt, ſanctarum Virtutum tutela*. [g] At quoniam promiſſus Judaico populo Angelus neutiquam *dimiſſurus* eum erat, quum *peccaviſſet*; [h] quoniam infidelium ipſorum Regna atq. Urbes (ut dicam mox) Angelorum quoq. præſidio in Scripturis ſuffulta perhibentur; eo divinam Clementiam rectius alii [i] non redigunt, ut quos ſua excitante gratia non deſtituit, deſtituat Angelis: ſingulis, ſeu fidelibus aut infidelibus, piis vel impiis, prędeſtinatis ſeu reprobis, ſingulares ſuos, ex generali illa erga ſingulos homines Dei benevolentia, Cuſtodes Angelos adtribuunt: bonis quidem ut, ne cadant, ſint fulcimento; malis vero, quo ad reſurgendum dexteram porrigant. Ceterum multa quidem Patres ii cum Baſilio protulerunt, ſed volentes fortaſſe minus intelligi: non omnem omnino curam bonos Angelos malis hominibus ſubtrahere intellexere, ſed vehementiorem duntaxat (ob eorundem incapacitatem & reſiſtentiam) ſed efficaciorem opportunioremque, ac ut prope deſerant: [k] quemadmodum peccatores etiam quandoque deſerere Deus dicitur, quos aptioribus gratiis ſolum privat. [l] Quia vero præcipuum tutelarium Spirituum munus eſt concreditas ſibi a Deo animas ad Deum tandem perducere, idque in ſolis obtinent prædeſtinatis; iccirco *propter eos in miniſterium miſſi* dicuntur, [m] *qui* ſolum *hæreditatem capiunt ſalutis*: non ſecus

[a] Homil. 11. in Numer.

[b] In cap. 8. Matth.

[c] Lib. 3. contra Eunomiũ pag. 79.

[d] Ut Chryſoſtomus, Anaſtaſius Sinaita, Petrus Damianus, aliiq.

[e] Loc. laud.

[f] Cap. 5. verſ. 5.

[g] Baſil. loc. laud.

[h] *Juxta illud Exodi cap. 23. verſ. 21.* Non dimittet quum peccaveris.

[i] *Quinimmo Tertullianus lib. de Anima c. 37. ipſámet* hominis in utero ſerẽdi, ſtruendi, fingendi paraturam divinis officiis, *ideſt Angelis, commiſſam putat*.

[k] *Sic de Sepe tandem auferenda dicendum eſt*.

[l] *Abſolute enim ex Cõcil. Colonienſi in Enchiridio de Pœnit. cap. 16,* nemini quantumvis ſcelerato gratia ſubtrahitur: *de quo num.* 417.

[m] Ad Hebr. cap. 1. verſ. 14.

ſecus ac de breviatis *propter electos* extremis mundi diebus, ſuperius pluribus dictum eſt, quo te in præſentia remittimus.

809 Pari porro ſolicitudine qua Deus ad uniuſcujuſque vitæ tutelam ſalutares Angelos adhibuit, maleficos quoque a Diabolo additos alios, qui ſinguli ſingulorum vitæ inſidiarentur, Veterum nonnulli ſunt opinati. Rem hanc, ultra Origenem ac Nyſſenum laudatos, *a* *Caſſianus* etiam ex recenſito quoque *Hermæ* libro (ut quem a ſe adductæ teſtem traditionis nominat) aliique tradidiſſe deprehenſi ſunt. Verum is, quod inde argumentaretur, *inter boni & mali contrarias ſuaſiones ita omnem hominem naturali judicio, & propriæ diſcretioni eſſe commiſſum, ut ei non plus a Deo præſidii, quam a Diabolo ſit periculi*; nonniſi merito relatis, ex admiratione dictis, his verbis a Divo Proſpero reprehenditur. *b* Quibus non id tamen ſimpliciter a Chriſtianorum dogmatis alienum exiſtimat, quod duos Caſſianus Angelos, bonum unum, alterum malum (ut ſibi Henricus Cuyckius perſuaſit) adeſſe cuique noſtrum intenderit; ſed quod pluſculum inde quam oporteret, arbitrio humano virium conceſſiſſet. Nihilo tamen ſecius quoad corruptorem Angelum iſtum crediderim, non ſingulis ſuum, aut non ſemper a Diabolo fidelibus deputari: plerique nempe Dæmoniis voluntarie ita ſerviunt, eiſq. in totis pene concupiſcentiæ ſuæ deſideriis mancipantur, ut nec vel minimum indigeant ab illis provocari. Quod ſi piis quorundam revelationibus modo obſequi velis: viſus eſt ſemel ac iterum Dæmon unus, & quietus dormire ad januam civitatis magnæ cujuſdam, quam pro ſe ſtare videbat; & pluribus advocatis mox ſociis, circum quoddam non longe ab ea abſens virorum religioſorum exiguum monaſterium maxime exagitari, ut quempiam deciperet.

a Num. 805.

b Ex ipſius Caſſiani collat. 13. cap. 12.

810 Aſt quemadmodum peculiarem hominum ſingulorum immortalibus demandando Angelis tutelam, ſuam erga nos generalem Proviſor ſummus non abdicat (qui enim *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; *c* ipſemet etiam *ab omni malo cuſtodire te dicitur*, *d* civitatique domuique ſuæ invigilare) ita & ſingulariter cuſtodientibus Angelis, & alios quoq. addere potuit atque voluit, qui pluribus in communi, quaſi aliis a ſe ſingillatim ſumtis, in communibus æque cauſſis patrocinarentur. Civitatibus, Regnis, aliiſque hominum cœtibus iſti præſunt: ac multo magis Eccleſiis, univerſis Religionis jure ſociatis Congregationibus, lociſq. iis, in quibus Chriſtiana ſacra exſolvuntur. Crebra ſiquidem Præſidentium iſtorum in ſacris Literis mentio extat, ubi & excelſo quoq. nomine *Principum* honeſtantur. Adfertur apud *Joſue* *e* quidam Angelus, qui *Principem exercitus Domini ſe eſſe* ajebat; ac *Danieli* *f* alter apparuit, cui, ſibi *Perſarum Principem viginti & uno diebus reſtitiſſe*, ac tandem *Michaëlem Archangelum, unum ex Principibus primis*, auxilio accurriſſe, ipſemet patefecit. At vero neutiquam me præterit, magnam olim a Patribus venti-

c Pſalm. 90. verſ. 11.

d Pſalm. 126. verſ. 1. *ex quo alioque ſimili Angelorũ cuſtodiam Sectarii excludere nituntur: ſed quemadmodũ, quin excludãtur operantes creaturæ, Deus Pater uſquemodo operari dicitur; ita & cuſtodiẽte Deo Angeli etiam homines cuſtodiunt.*

e Cap. 5. verſ. 14.

f Cap. 10. verſ. 13.

Digitized by Google

ventilatam controverſiam, ſitne inter bonos referendus, an malos Angelos Princeps ille Perſarum, Græcorum alter, nonnullique alii, qui & aliis præeſſe dicti ſunt regionibus. Ambiguam hac in re *Hieronymus* viſus eſt edidiſſe ſententiam; qui dum Principum horum mentionem habens, ad hoc *Deuteronomii* ſe retulit; *ſtatuit terminos Gentium juxta numerum Angelorum Dei*; [a] quo quippe textu bonos illos intelligitur exhibuiſſe; *Danielem* tamen alibi adducens: *Exiit in occurſum mihi Princeps Regni Perſarum, & Princeps Regni Medorum, & Princeps Regni Græcorum*; ita ſtatim ſubjungit: *Hos igitur Principes, qui ſuum non ſervaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii*: cetera. [b] In id etiam *Caſſianus* pedibus ivit, [c] qui Dæmonum inter ſeſe velitationes & pugnas ex illa Danielis aſtruit hiſtoria. Sic & Richardus, ſic & Victorinus, quos Origenes [d] omnes unus præcucurrit.

811 Quoniam autem multo plures in eam partem Patres conſpirant, ut bonos a Daniele commemorari Angelos velint, dum ex illo Angelorum præfecturas per gentes ac populos diſtribui colligunt; ideo incerta hac in re opinioni huic poſteriori deferendum prudentius arbitramur. Ita nempe Baſilius, [e] ita Theodoritus, [f] Gregorius Papa, [g] aliiq. ita ſentiunt. Nec tamen certa quædam, vel ratio vel congruentia huic quam fuimus amplexi, poſteriori ſententiæ, crederem, deeſt: quei quidem Perſarum Princeps viginti & uno diebus Angelo illi qui Danielem adlocutus eſt, utiq. bono, potuit reſiſtere, ni etiam bonus erat & ipſe, æquali inde atq. ille, poteſtate præditus? Jam vero, etſi boni omnes; utrinque tamen jure certabant, ac ſancte; inter quos quædam erat *miſericordiæ* & *juſtitiæ*, quæ ſimul invicem *oſculari* dicuntur, oſculiſque certant, pugna & conflictus. Quum enim iis, ante adventum Michaëlis qui propterea ſuccurriſſe dicitur, reſerata Divina voluntas non eſſet; Judæorum patrono cenſenti æquum fore, Dei populum a Perſarum ſervitute tandem abduci, potuit alter reſiſtere, nefarios Judęorum mores pandens & crimina, longiore adhuc dignos captivitate. Quemadmodum & Peluſiota [h] & Theodoritus acute explicant.

812 Sed ſi unicuique vel civitati vel domui vel hominum quoruncunque cœtui ſuus eſt, qui eos procuret, Angelus tutelaris; nullus inde credas, *res ſacras* ſcribentium almo Ordini deputabitur? Sunt immo plures, qui ut *aureolas* in Paradiſo Dei Doctoribus conſignabunt, ſic & *aſſiſtunt* modo (mihi illud de oratione a Baſilio dictum, [i] ad rem cum oratione communem [k] uſurpare liceat) *verba ſingula deſcribentes Angeli ſancti*. Quem igitur fortaſſe *hujus Operis* tutelarem nos eſſe ſortitos Angelum ſperare eſt, qui adverſi maligni alterius prorſus irritos conatus faciat? Seu rectius; quis nobis in præſentia eſt quærendus, quum jure jam habeamus, non tam noſtrum, quam ſuum optimum ſibi cuſtodem, *Venerabilem* JOSEPHUM THOMASIUM? Quinimmo iccirco erit noſter, quia ſuus: quidquid enim in opus hoc arceſſivimus,

[a] Cap. 32. juxta lxx. Interpretum, *in quo quidē loco ut veriſimilius præcipui aliqui populi ſignificantur, ſic et præcipui intelligendi ſunt Angeli, quibus peculiaris illorum cura eſt commiſſa.*

[b] *Cui cōgruit illud Paulli*: nunc Princeps hujus ſeculi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.

[c] Collation. 8. cap. 13.

[d] Homil. 9. in Geneſim.

[e] Lib. 3. contra Eunomiū.

[f] In Comment. ad Danielem.

[g] Lib. 17. Moral. cap. 18.

[h] Lib. 2. epiſtol. 85.

[i] In Pſalm. 28. pag. 179.

[k] *Juxta illud*: ſtudere eſt orare.

mus, ad illius inſtitutionem diligentiſſime ſtuduimus præformare. Recta igitur de eo interea *ſperamus adſuturum nobis ope ſua apud Deum in Cælis,* [a] ut opus iſtud *ſuum-noſtrum,* ſi forte ab æmulis (ubi fuerint) inconſulto traductum, ab iis uti a Diabolo totius invidiæ fonte tueatur, protegat, defendat; quodque paucis retro annis pro ſuis indocte inepteque impetitis, [b] vindicandis elucubrationibus e cælo (ut pie creditur) ſolicitus præſtitit, [c] id etiam, tum quum dabitur caſus, pro iſtis faciat æque ſuis.

[a] *Quemadmodum de* THOMASIO *ipſomet Clemens Papa XI. ait.*

[b] & [c] *De quibus* Joſeph del Pezzo, *ut ſupra n.*139.*in adnot. ad lit. b.*

EXPLICIT

Prima Pars Divi Thomæ noſtræque hujus SYNOPSEOS:

Quam illi quidem cujus judicio ſubdi omnia oportet, Incarnatæ Sapientiæ in terris Vicario ſubmiſſiſſime totam ſubjicimus. Quidquid ipſe cujus eſt imbecillos confirmare Fratres, tanquam minus ex ea forte Catholicæ-Romanæ fidei conſonum nobis objecerit, aut etiam reputaverit, penitus ex nunc deteſtamur, omninoque indictum volumus. Neque enim alia eſt a Romana ſub cælo fides, in qua oportet nos ſalvos fieri; regula alia, ad quam conformari.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
ALPHABETICUS
RERUM NOTABILIUM
In hoc opere contentarum.

A

ABen Hezræ de fatali arbore, ſcientiæ commentum. fol. 331. num. 686.

Acacii cauſſæ nova in Concilio diſcuſſio cur interdicta fuerit? f. 59. n. 108.

Accidens a ſubſtantia in re diſtinctum Patres agnovere nullum. f. 132. n. 281.

Accidentia phyſica Peripateticorum in Euchariſtia Johannes Saguens ex antiquis Patribus ſolide profligat. f. 132. n. 281.

Acta Concilii Conſtantinopolitani III. f. 46. *a.*

Acta Lini apocrypha. f. 57. n. 104.

Adam & Eva qualiter fuerint a Deo creati? f. 318. n. 667. cur ita dicti? ibid. eorum ætas, magnitudo corporis, aliaque dona &c. ibid. eorum quoque lapſus. f. 330. n. 686. quamdiu in innocentia originali ſteterint? f. 331. n. 687. Virgines e Paradiſo fuere expulſi. f. 331. n. 687. quonam die peccaverint? ibid. eorum pœnitentia. ibid. error hac in re Tatiani Syri. ibid.

Adjutorium *quo*, & *ſine quo non* explicatur. f. 190. n. 429.

Adtributum divinum. v. Nomina divina.

Ægyptii primi idolorum cultores. f. 94. n. 189. & f. 96. n. 192.

Æqualitas Patris & Filii contra Arianos oſtenditur. f. 269. n. 583. 584. & 585. item f. 272. n. 591. & 592.

Æra quid? f. 303. n. 641. & 642. æræ celebriores recenſentur: ubi præcipue de Æra Chriſtiana. f. 304. n. 642.

Aër quando & qualiter fuerit a Deo productus? f. 296. n. 628. num firmamentum, num cælum ipſe conſtituat? ibid. n. 627. & 628.

Æternitas Dei ad mentem Patrum explicatur. f. 107. n. 220. & 221. Deo in æternitate omnia ſunt præſentia, etiam futura. f. 108. n. 222. Patrum de hac re ſenſus. ibid. n. 223. difficultas quædam præcipua explanatur. ibid. n. 224.

Æternitas quomodo actibus divinæ voluntatis competat? f. 170. n. 383. & 384. Conradus Vorſtius carpitur, quod eam illis deneget. f. 170. n. 385. & 386.

Ævi partitio, quam fecere gentiles. f. 307. n. 649. Poëtæ. f. 308. n. 650. & Patres. ibid. n. 651.

Afri rebaptizantes cur ut hæretici non fuerint habiti? f. 59. n. 109.

Albanenſes Manichæiſmum revocant. f. 101. n. 205.

ALBARI Cardinalis *CIENFUEGOS* laus. f. 167. n. 375. ipſius peculiaris ſententia de libertate actuum divinorum, modusque explicandi producitur ſtatuiturque. ibid. a n. 375. ad n. 380. quomodo myſterium Trinitatis cum noto principio: *quæ ſunt eadem uni tertio* &c. conciliet? f. 228. n. 520. & f. 261. n. 564. ejus ingenioſiſſimum de *Trinitate* ſyſtema in medium adfertur ac propugnatur. f. 259. a n. 562. ad n. 573. pluries quoq. alibi in hoc opere allegatur.

ALBERTUS FARDELLA ex C.R. laudibus exornatur. f. 91. n. 180. eſſentiam Dei ad mentem Patrum explicat. ibid. ſparſim in hoc opere allegatur, præcipue vero circa infinitatem Dei contra errorem Calviniſtarum vindicandam. f. 110. n. 228. & ubi de eſſe ſupernaturalitatis agitur. f. 130. n. 275. 276. & 277. de ſcientia divina futurorum contingentium peculiarem ſtatuit ſententiam,

Digitized by Google

quæ late heic exponitur, & defenditur. f. 153. a n. 338. ad n. 348. eamq. ſententiam ab ipſo primitus inventam, nec a Maignano qui illam quoque tradit, mutuatam fuiſſe declaratur. f. 156. a n. 348. ad n. 353. Theologiam quoque Pariſiis cudere ſub auſpiciis Sereniſſimæ ADELAIDIS Bavariæ Ducis cœpit, ſed non abſolvit. f. 156. n. 348. libertatem divinæ volitionis egregie explicat. f. 169. n. 381. & 382. ipſius ſyſtema quoque de gratia Dei ſeu de auxiliis editur & propugnatur. f. 186. a n. 422. ad n. 433. duo ipſius placita circa myſterium Trinitatis cum noto principio: *quæ ſunt eadem uni tertio* &c. conciliandum proferuntur. f. 237. n. 518. & 519. ingenerabilitatem Spiritus Sancti peculiari quadam ſententia tuetur, quæ in hoc opere quoque defenditur, f. 286. a n. 612. ad n. 627. Angelos ſexta die poſt hominem creatos validiſſimis fundamentis demonſtrat. f. 336. n. 695. quæ ejus opinio expenditur una & ſtatuitur. f. 337. a n. 696. ad n. 708. ipſius aliud inventum de peccato Angelorum propugnatur. f. 346. a n. 717. ad n. 722. uti & illud de pœna dæmonum: quæ in re ipſius ratiocinium de verbo ad verbum per extenſum ſubnectitur, f. 353. a n. 729. ad n. 793. magna ipſi cum Doctoribus Sorbonicis quoad hoc punctum ſubnaſcitur cōtroverſia. f. 350. n. 725. & 726. plures tamen ex eruditis viris eum ſequuntur. f. 351. n. 727.

Albigenſes Manichæiſmum denuo inducunt. f. 101. n. 205. eorum hæreſis in Lateranenſi III. damnatur, f. 46. uti & in IV. f. 47.

Almarici hæreſis proſcripta, f. 47. & f. 120. n. 249.

S. Ambroſius autor Commentarii in epiſt. Divi Paulli creditur. f. 55. n. 98. c.

Amor procedens. v. Spiritus Sanctus.

Anacletus Papa alius a Cleto oſtenditur, f. 77. n. 150.

Anaſtaſius Bibliothecarius num Autor vitarum Pontificum ſit habendus? f. 70. n. 136.

Angeli in Spiritum Sanctum miſſum de cælo deſiderant proſpicere: quinam hujus loci ſenſus? f. 121. n. 250.

Angeli naturali ratione non innoteſcunt. f. 334. n. 691. ratio redditur, cur de illis, dignioribus licet, poſt hominem in hoc opere tractetur. f. 335. n. 664. quo tempore fuerint creati? Scholaſticorum hac in re opinio. f. 336. n. 694. rejicitur. ibid. Auguſtinus quid? ibidem. Hieronymus Matranga & Albertus Fardella, ambo Clerici Regulares, ſexta eos die poſt hominem creatos volunt. f. 336. n. 695. paucis præmiſſis ſtatuitur hæc eadem ſententia. f. 337. a n. 696. ad n. 704. ſolvitur difficultas præcipua ex Lateranenſi IV. petita. f. 340. a n. 704. ad n. 708. ab ipſo exordio ſuæ creationis obtinuerunt a Deo infuſas ſpecies exiſtentium cunctorum, multorum futurorum, & rerum ſupernaturalium. f. 346. n. 717. non longe poſt creationem lapſi fuere. f. 339. n. 701. c. ubi contigerit eorum lapſus? f. 384. n. 800. quomodo loquantur? f. 385. n. 801. & cognoſcant? f. 387. n. 803.

Angeli ab omni corpore pronunciantur immunes. f. 342. a n. 709. ad n. 713. Patres antiqui qua ratione olim eos corporeos dixerint? ibidem. n. 708. Concilium Lateranenſe nihil unquam definiit circa ſpiritualitatem Angelorum. ibid. n. 709. cur pingantur? f. 343. n. 710.

Angeli Cuſtodes hominibus quibuſvis, etiam perditiſſimis, adtribuuntur. f. 388. a n. 805. ad n. 808. num & Angeli mali? f. 390. n. 808. Regnis quoq. provinciis ac civitatibus tutelares Angeli præſunt, f. 390. n. 809. & 810. Caſſianus quid intelligat per Angelum bonum & Angelum malum? f. 390. n. 808.

Angelorum exiſtentia probatur. f. 334. n. 691. Sadducæorum hac in re error perſtringitur. ibid. uti & Hermanni de RisWick, aliorumque. ibid. eorum nomen, Ordines ſeu Chori, & Hierarchiæ diſtinguuntur. f. 334. n. 692. & 693. eorum peccatum; in quo ſitum fuerit? variæ DD. ſententiæ adferuntur, quæ & rejiciuntur inſimul, f. 344. a n. 713. ad n. 717. peculiaris hac in re opinio Alberti Fardellæ C. R. ſtatuitur. f. 346. a n. 717. ad n. 722. eorum prævaricatorum pœna. v. Pœna Dæmonum.

Anima

Digitized by Google

Anima locomotiva, ſive etiam intellectiva num inſit ſideribus? f. 298. n. 632.

Animæ corporibus ſolutæ quomodo cognoſcant? f. 387. n. 823.

Anni antiquorum ſive ante ſive poſt diluvium noſtris æquales demonſtrantur. f. 309. a n. 652. ad n. 656.

Anni Ægyptiorum quot menſibus olim conſtiterint? f. 311. n. 656. & illi Romanorum quot? f. 313. n. 657.

Annus non apud quaſvis nationes idem initium habet. f. 307. n. 648.

Annus biſſextilis. f. 312. n. 657. Julianus quoque explicatur. f. 304. n. 642.

Anomæi in quo a Patribus impugnati? f. 101. n. 206. & f. 121. n. 251. refelluntur quoque f. 131. n. 278. & 279.

Antichriſtus qualiter & ex qua natione naſcetur? f. 314. n. 661. ejus nomen. f. 315. n. 662. ſedes & tyrannis. f. 316. n. 663. referuntur plurima, quæ tempore Antichriſti evenient, ibidem. ſigna adventum ipſius præcurrentia, comitantia, & ſubſequentia. ibidem. n. 664. exploduntur ineptiæ Sectariorum, qui illum jam advenisse, huncque Romanum Pontificem ſeu ipſam ſeriem Pontificum eſſe volunt. f. 317. n. 665. & 666. de adventu Antichriſti quamplura vaticinia. f. 314. n. 660.

Antiochena cathedra quando erecta? f. 57. n. 103. fuit prior quam Romana. ibid. n. 104.

Antiochus Rex cur miſericordiam a Deo non impetraverit? f. 185. n. 419.

Antipodæ a quibus olim negati fuerint? f. 192. n. 434. & f. 301. n. 639. qua de cauſſa? f. 301. n. 640.

Antiquorum ſapientiam exquirere quid ſit? f. 1.

Antonini Dianæ ex C. R. ejuſq. operum laus. f. 53. n. 94. edito ſingulari opuſculo primatum ſolius Petri acerrime defendit. ibid.

S. Antoninus Archi-Epiſcopus Florentinus quid de Johanna Papiſſa ſenſerit? f. 77. n. 149.

Ven. Antoninus Ventimiglia ex C. R. primus vexillum crucis in Bornei inſulam intulit. f. 303. n. 640. laudibus exornatur. ibid.

Antonius Arnaldus autor creditur libri *de tricipiti capite Eccleſiæ*. f. 53. n. 94. b.

Antropomorphitæ corpus Deo aſſingentes redarguuntur. f. 102. n. 208. 209. & 210.

Apoſtoli infallibilitatis jure, & in univerſam Eccleſiam juriſdictione a Chriſto donantur. f. 60. n. 110.

Apoſtolorum Concilia quot, & quænam? f. 36. n. 67. & 68. onera gentibus non amplius ſuperimponenda eſſe Hieroſolymis decernunt. f. 37. n. 67. hujus decreti magiſtram fuiſſe Beatam Virginem vult Aloyſius Novarinus C. R. ibid. num Antiochiæ quoque Concilium ab ipſis fuerit celebratum? f. 37. n. 68. eorum ſonus quomodo exiverit in univerſam terram? f. 302. n. 640.

Appellatio propria a Papa ad Concilium nunquam licita: & quid de impropria dicendum? f. 63. n. 118.

Appetitus innatus videndi Deum eſt a Deo ipſo hominibus inditus. f. 118. n. 244.

Aquæ cooperientes univerſam terram quomodo a Deo Creatore in unum fuerint redactæ, ut maria conſtituant. f. 296. n. 629.

Aquila Ponticus quis? f. 18. n. 27. græcam S. Scripturæ verſionem adornavit. ibid.

Arbitrium liberum. v. Liberum arbitrium.

Arbor ſcientiæ & vitæ non duæ, ſed una duntaxat arbor erat. f. 323. a n. 675. ad n. 681.

Arbor ſcientiæ, de qua fructum fatalem decerpſere proto-parentes noſtri, cujus ſpeciei fuerit? f. 330. n. 686. Aben Hezræ de hac arbore commentum. f. 331. n. 686.

Archangeli. f. 334. n. 692.

Ariæ Montani editio S. Scripturæ? f. 23. n. 38.

Ariana hæreſis tandem Euſebiana ſeu Nicomediana vocata eſt ob Euſebium Nicomedienſem Arianorum Coryphæum. f. 223. n. 495. proſcripta a Concilio Nicæno I. f. 45.

Arianorum Conciliabula, & variæ fidei formulæ. f. 277. a n. 597. ad n. 601. item f. 39. n. 86. eorum fundamenta contra æqualitatem ſeu conſubſiſtantialitatem Filii cum Patre evertuntur. f. 296. n. 583. 584. & 585. item f. 272. n. 591.

n. 591. & 592.

Arida, quæ apparuit congregatis tertia creationis die in unum aquis, Terra fuit appellitata. f. 296. n. 629.

Ariſtæas quis? f. 18. n. 28. & 29. ipſi falſo aſcribitur liber, fabulis & anachroniſmis ceteroquin plenus, qui ſub ipſius nomine vulgo circumfertur. f. 21. n. 34. a quo & quando confictus? ibid. anachroniſmus quidam in eo contentus affertur. ibid.

Ariſtoteles cur opiniones inevidentes ex albo ſcientiarum excluſerit? f. 11. n. 13. videtur negaſſe libertatem in Deo. f. 165. n. 371. ab hoc tamen errore eximitur a pleriſque. f. 166. n. 372. de Providentia Dei & de animæ immortalite non admodum recte philoſophatus eſt. f. 182. n. 412.

Ariſtotelis philoſophia Patribus intelligendis minus accommoda. f. 132. n. 281. quondam erroribus contra fidem plena & cenſuris perſtricta, ſed repurgata poſtmodum fuit. f. 145. n. 317.

Arius hæreſiarcha nefandus adverſus Trinitatis myſterium, quiſnam fuerit? f. 271. n. 586. ejus hiſtoria, artes, doli, damnationes variæ; item ſumma hæreſeos ipſius, morſque peſſima. ibid. a n. 586. ad n. 590. ſcripſit librum vilem & impurum Thalejam vocatum. f. 272. n. 587. ejus hæreſis quam diverſa nomina ſubierit, & in diverſas ſectas quam varie diſtracta fuerit? f. 272. n. 590. refellitur. f. 269. n. 583. 584. & 585. item f. 274. n. 591. & 592. num etiam contra Spiritum S. inſanierit? f. 282. n. 606.

Armeniorum circa viſionem Dei error. f. 120. n. 249. impugnatur. ibid. n. 250. & 151. eorum converſionem Ven. *Clemens Galanus* ex Cler. Reg. tentat. ibid. f.

Arnaldi de Brixia errores proſcripti. f. 46.

Arnaldus de Villanova cur damnatus? f. 143. n. 311.

Arnaldus. v. Antonius Arnaldus.

Arnobius junior Semi-pelagianis accenſetur. f. 205. n. 461. autor eſt libri *prædeſtinati*. ibid.

Aſiatici quartadecimani cur non fuerint habiti ut hæretici? f. 59. n. 109.

Aſtrologia judiciaria vana omnino. f. 386. n. 802.

Athanaſius deponitur. f. 49. Ario obſiſtit. f. 183. n. 415. ejus vitæ ſanctitas. f. 246. n. 535. eum autorem eſſe Symboli, quod ſub ipſius nomine circumfertur, late demonſtratur. f. 246. a n. 536. ad n. 542. ſparſim in hoc opere citatur, præcipue ubi de Arianis.

Atheiſtarum origo & progreſſus. f. 89. n. 176. & 177. convelluntur. f. 87. n. 172. & f. 88. n. 173.

Atomorum fortuitus concurſus, quo mundi hujus fabricam conſtituerent, improbatur. f. 191. n. 620.

Audiani corpus Deo affingunt. f. 319. n. 668.

Averrois conditio, & error circa Scientiam Dei. f. 145. n. 317. reſolvitur ejus hac in re difficultas præcipua. ibidem. 318.

S. Auguſtinus de Scriptura græca hebraicave in latinum vertenda cum S. Hieronymo diſſidet. f. 19. n. 30. de cellulis LXX. Interpretum valde dubitaſſe videtur. ibid. Marcellinum Papam contra Donatiſtas invicte a lapſu in idololatriam vindicat. f. 96. n. 194. & 195. Manichæiſmi prius defenſor, poſtea everſor exiſtit. f. 101. n. 205. dubitavit aliquando de oculo corporeo, num elevari poſſit ad videndum Deum. f. 135. n. 289. locus ex Auguſtino petitus contra Divinam Scientiam conditionatorum adducitur & reſolvitur. f. 158. n. 354. vindicatur Auguſtinus a conviciis quorundam obtrectatorum. f. 159. n. 357. de voluntate Dei ſalvandi omnes quomodo intelligendus? f. 172. n. 387. & 388. Pelagio ſe opponit. f. 182. n. 413. falſo ei aſcribitur illa ſententia: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*. f. 170. n. 383. ipſius adjutorium *quo*, & *ſine quo non*. f. 190. n. 429. cur nativitatem externam *ex* matre prærequirat in parvulis ad recipiendum baptiſma? f. 192. n. 434. & 436. quid de prædeſtinatione poſt prævisa merita ſentiat? f. 195. n. 443. acriter Semi-pelagianos inſectatur. f. 198. n. 451. calumnioſe traducitur a Semi-pelagianis, quaſi quod autor fuiſſet confictæ ab ipſis hæreſeos Prædeſtinatia-

Digitized by Google

ſtinatianæ, f. 305. a n. 461. ad n. 465. item f. 211. n. 473. qua occaſione librum de correptione & gratia, & de gratia & libero arbitrio ediderit? f. 208. n. 467. ejus autoritas præcipue in materia de *gratia*. f. 80. n. 158. Athanaſii Symbolum nec Athanaſium circa illud citavit, aut ab eo de Trinitate quidquam mutuavit. f. 247. n. 537. Antipodas negat. f. 302. n. 639. quo fundamento? ibid. n. 640. ejuſdem de *ſimultanea* rerum creatione ſententia. f. 301. a n. 637. ad n. 640. quid nomine cæli & terræ atque lucis in creatione productorum intelligat? f. 295. n. 626. de tempore creationis Angelorum liberam cuique opinandi copiam facit, modo Deo coæterni non dicantur. f. 330. n. 694. num ſit autor librorum ſoliloquiorum animæ ad Deum? f. 341. n. 705. *c.* item f. 342. n. 707. *a.* de pœna Dæmonum quid ſenſerit? f. 363. a n. 756. ad n. 762. paſſim in hoc opere allegatur.

SS. Auguſtinus & Proſper conciliantur cum S. Fulgentio & Valentina Synodo III, quibus illi circa geminam prædeſtinationem *ad vitam & ad mortem* adverſari videntur. f. 215. n. 482.

Auguſtinus de Bellis ex C. R. abſolutam Divi Petri Monarchiam contra Gallum quendam Neotericum juſſu Innocentii X. egregie defendit. f. 53. n. 94.

Auguſtinus Calmet quid de arbore ſcientiæ & vitæ? f. 325. n. 680.

Auguſtinus Marino ex C. R. piam quandam abſtinentiam die Palmarum obeundam ſuo exemplo & prædicatione introducit. f. 40. n. 75. contra impugnatores obtrectatoreſque ſuos defenditur ab *Innocentio Raphaële Savanalora*. ex C. R. ibid.

Aureus numerus quid ſit? f. 305. n. 645.

Auxilium ſufficiens ad ſalutem conſequendam nulli denegatur. f. 183. n. 415. num paretur tantum, an vero ſimul & cuique conferatur; diſſident Doctores inter ſe. ibid. n. 416. nedum parari, ſed & conferri oſtenditur. f. 184. a n. 417. ad n. 422. nomine auxilii ſufficientis quid veniat? f. 186. n. 421. v. Gratia Dei.

B

Babylonis vocabulo Roma pluries denotatur. f. 56. n. 101. Babylones duæ. ibid.

Baptiſmus parvulorum, f. 30. n. 53. de eo collato ab hæreticis quid? ibid.

Baptiſmus conferendus ſub conditione, ſi dubitetur, num partus vivus aut mortuus ſit? f. 194. n. 437. ſi vero partem ex utero emittat, in illa parte eſt abluendus. ibid. n. 436. & 437. Baptiſmum ad infantes intra uterum exiſtentes deferri poſſe & debere oſtenditur, f. 191. a n. 433. ad n. 438.

Baptiſmus nil relinquit damnationis in homine baptizato. f. 200. n. 455.

Barnabas cum aliis Paulli diſcipulis judaizat. f. 54. n. 96. num Romanos ad Chriſti fidem converterit ante adventum Petri? f. 55. n. 100. quando ſe Divo Paullo comitem adjunxerit? ibid.

Beatitudo major vel minor ex majori vel minori penetratione divinæ eſſentiæ derivatur. f. 142. n. 310.

Beguardorum & Beguinarū errores proſcripti. f. 47. quinam fuerint, recenſetur. f. 131. n. 278.

De Bellis. v. Auguſtinus de Bellis.

S. Benedictus, adhuc viator, Deum vidiſſe credendus non eſt. f. 120. n. 248.

Benedictus XIII. obtrectatores doctrinæ D. Thomæ carpit. f. 157. n. 334. & f. 218. n. 486.

Bernardini Ochini errores. f. 225. n. 498. a *Divo Cajetano* detecti. ibid.

Beſſario Cardinalis, unus e græcis Patribus, in defenſionem Græcorum, ne quidquam Symbolo addatur, in Concilio Florentino perorat. f. 252. n. 545. & 546.

Bibliorum nomen unde derivetur? f. 12. n. 15. b. v. Scriptura ſacra.

Bibiliotheca Patrum a quo collecta? f. 78. n. 152. correcta dein fuit. ibid. ſemel ac iterum recuditur, ac *Bibliotheca maximæ* nomen obtinet. ibid.

Bibliotheca Palatina ſub Urbano VIII. Romam advehitur. f. 76. n. 147.

Blandrata. v. Georgius.

Bogomiles in Trinitatem blaſphemus. f. 225. n. 497. quam juſte puniatur, ibid.

Bonifacius Papa eos ipſos, qui nunc in Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia habentur ut canonici, S. Scripturæ libros recenſet & qua tales probat. f. 14. n. 20.

C

CAbalæ inconſtantes. f. 315. n. 662.
Cæleſtinus in epiſtola ad Galliæ Epiſcopos non Prædeſtinatianos ullos, ſed Semi-pelagianos carpit, quod Auguſtinum male traducerent. f. 208. n. 468.
Cælum quando creatum? f. 295. n. 626. Auguſtinus quid nomine cæli intelligat? ibid.
Cælum, quod eſt planetarum, medium inter aëreum & Empyreum, Angelici prælii locus fuit. f. 385. n. 800.
S. CAJETANUS ſe ſuamque Congregationem Luthero opponit. f. 182. n. 143. divinæ Providentiæ peculiari ſtudio inhæret. ibid. & f. 183. n. 414. probabile eſt, quod Lutherus illum Romæ cognoverit. f. 182. n. 413. Bernardini Ochini errores detegit. f. 225. n. 498.
Cain a quo timuerit? f. 333. n. 690.
Calendarii correctio a Gregorio XIII. facta. f. 304. n. 643. & f. 312. n. 657.
Calmet. v. Auguſtinus Calmet.
Calviniſtæ ſunt hæretici Prædeſtinatiani. f. 204. n. 461. eorum commentum de immenſitate Dei exploditur. f. 105. a n. 218. ad n. 220. ſparſim in hoc opere convelluntur.
Calvinus in Concilio Tridentino damnatur. f. 48. negat, Petrum Pontificatu Romano ad mortem uſque fuiſſe functum. f. 55. n. 99. errorem Semi-millenariorum adſumit. f. 124. n. 257. de prædeſtinatione quam male ſenſerit? f. 198. n. 452. a Manichæis & Priſcillianiſtis ſuam hac in re ſententiam mutuaſſe videtur. f. 199. n. 453. denique convellitur. f. 200. n. 455. & 456. ſparſim in hoc opere confutatur. v. Calviniſtæ.
Canones Nicæni cum Sardicenſibus confuſi. f. 49. n. 86. circa eos controverſia oritur. ibid. apud Eccleſiam Romanam erant permixti, apud Afram ſeparati. f. 69. n. 132. a.
Canones Trullanæ Synodi partim approbati, partim reprobati. f. 48.
Canones vulgo Apoſtolorum quot, a quo collecti, atque ex græco in latinum tranſlati perhibeantur? f. 39. n. 72. Apoſtolis tamen perperam adſeruntur. ibid. a n. 73. ad n. 82. a quo & quo tempore fuerint conficti. f. 40. n. 76.
Capitulorum trium cauſſa diſcuſſa. f. 45.
CAROLUS VI. Imperator erectum a ſe Panhormi *Nobilium Collegium* Clericis Regularibus vulgo Teatinis devinxit. f. 3.
Caſpar SchWencfeldius ſacram Scripturam rejicit. f. 13. n. 16. ejus in hac re fundamenta retunduntur. ibid. & n. 17.
Caſſianus quid per Angelum *bonum* & *malum* intelligat? f. 390. n. 808.
Caſui conſtructio univerſi minime aſcribenda. f. 87. n. 171. & f. 291. n. 619. & 620.
Cathecumenis ſecretiora fidei myſteria non committebantur. f. 227. n. 250.
Cellulæ LXX. Interpretum fabuloſæ. f. 19. a n. 30. ad n. 32. quinam ex Patribus & ex quo motivo pro iis abundaverint. ibid. n. 31.
Cephas quis? f. 54. n. 64.
Cerinthus de gentibus ad Chriſtum ſe convertentibus quid? f. 37. n. 67. Millenariorum fabulæ autor. f. 122. n. 252.
Chalcedonenſes Patres Dioſcorum reprehendunt, quod Roma inconſulta Synodum generalem coëgerit. f. 34. n. 60.
Chaldæi Doctores quo tempore Paraphraſim ſuam Chaldaicam elucubraverint? f. 17. n. 26. num eorum plures fuerint? ibid.
Characteres ſacramentales quid præſtent? f. 130. n. 276.
Cherubim ad cuſtodiendam viam ligni in Paradiſum immittitur. f. 328. n. 680.
Cherubim a fortitudine ita dicuntur. f. 335. n. 693.
Chiliaſtæ. v. Millenarii.
Chori Angelorum quot? f. 334. n. 692. & 694.
Chriſtiani in urbe Roma non fuere ante adventum Divi Petri. f. 55. n. 100.
Chriſti deſcenſus ad inferos. f. 30. n. 53. item f. 38. n. 70. cur in Symbolo Nicæno prætermittatur, & in illo Apoſtolorum habeatur? ibid. n. 71.
Chriſtophorus Columbus novi orbis inventor. f. 302. n. 639.
Chriſtus mortuus eſt pro ſalute æterna omnium hominum. f. 174. a n. 393.

ad n.

ad n. 402. quid Janſenius hac in re ? f. 179. n. 407. 408. & 409. & quidem eo ipſo quo Adam peccavit die mortem ſubiit. f. 331. n. 687. nec deſunt, qui Chriſtum ex eadem arbore fructus vetiti ſuſpenſum quoque volunt. ibid. *d.*

Chriſtus num dici poſſit perſona humana, & quo ſenſu ? f. 371. n. 774. *a.*

Chronicon Sigeberti a quo depravatum ? f. 76. n. 147. *b.*

Chronologia Hiſtoriæ lumen f. 83. n. 163. quot & quænam ejus principia ? ibid.

Chronologiæ Sacræ ratio expenditur, f. 303. a n. 641. ad n. 649. item f. 307. a n. 649. ad n. 652. & f. 309. a n. 652. ad n. 658.

Cicero ſcientiam futurorum libere contingentium in Deo inficiatus eſt. f. 149. n. 327. redarguitur, ibid. a n. 328. ad n. 331.

CIENFUEGOS. v. Albari Cardinalis.

Circuminſeſſio divinarum Perſonarum, in quo conſiſtat ? f. 268. n. 581.

Circunciſio. f. 193. n. 436.

Ven. Clemens Galanus C. R. converſionem Armeniorum tentat. f. 120. n. 249. *f.* ejus laus. ibid.

Clemens VII. *Clericis Regularibus* vulgo *Teatinis* Breviarii corrigendi curam committit, f. 98. n. 198.

Clemens XII. quando ad Pontificatum evectus ? f. 70. n. 135. ejus laus, ibidem.

S. Clementi I. Canones vulgo Apoſtolorum perperam adſeruntur. f. 39. n. 72. uti & Conſtitutiones Apoſtolicæ. f. 43. n. 83.

Cletus alius eſt ab Anacleto. f. 77. n. 150.

Codex Gelaſianus a Cardinali *THOMASIO* primum editus fuit ſub titulo *Codicum Sacramentorum*. f. 73. n. 140. num Gelaſio totus aſcribendus ? f. 248. n. 538. S. Athanaſii Symbolum eidem in hoc codice inſcriptum extat. ibid.

Cognitio Angelorum. f. 387. n. 803.

Cognitio de Origene præceſſit in Concilio Conſtantinopolitano II. diſcuſſionem trium capitulorum. f. 45. *d.*

Collatio Catholicos inter & Severianos quænam ? f. 117. n. 243.

Collectionis noviſſimæ Conciliorum Labbejanæ notitia datur. f. 44. n. 85. *i.*

Combuſtione quomodo Dæmones animæque damnatæ crucientur, explicatur ad mentem Fardellæ. f. 381. a n. 795. ad n. 799. difficultates quoque hac in re ſolvuntur. ibid. comburere quid importet ? f. 383. n. 797.

Commentarii in epiſt. D. Paulli quiſnam autor ſit habendus ? f. 55. n. 98. *c.*

Communio pro mortuis. f. 350. n. 726. *d.*

Comprehenſio quid importet ? f. 143. n. 312.

Conceptio Immaculata Beatæ Virginis. f. 83. n. 166.

Concilia quid ſint ? f. 32. n. 56. eorum autoritas quænam ? ibidem. infallibilitas ipſis aſciſcitur. ibidem. n. 57. ſolvitur difficultas quædam ex Auguſtino petita. ibidem. eorum firmitas ab aſſenſu Papæ pendet, f. 33. n. 59. hujus defectu plura errarunt, & quænam ? f. 33. n. 59. eorum variæ claſſes ſeu ſpecies. ibidem. n. 60. Concilia convocandi jus non ad Principes ſeculares, ſed ad Summum Pontificem ſpectat. f. 34. a n. 61. ad n. 65. difficultates hac in re enodantur. ibidem. ad Concilia quinam & quonam titulo interveniant ? f. 35. n. 65. & 66. Concilia generalia quot ? f. 44. n. 85. eorum ſeries chronologica & hiſtorica compendioſe exhibetur. f. 45. & ſeqq. Conciliorum tempore Schiſmatis aut ſedis vacantis coactorum quæ autoritas ? f. 34. n. 62. ſingularis obſervantia Pontificum erga priora octo Concilia generalia. f. 45. *b.* Concilia quatuor priora quinam congregaverint ? f. 35. n. 63.

Concilia Apoſtolorum quot, & quænam illa ? f. 36. n. 67. & 68. de Antiocheno quid ? f. 37. n. 68.

Conciliabula Arianorum, & variæ fidei formulæ. f. 277. a n. 597. ad n. 601.

Conciliorum Provincialium jus & autoritas. f. 33. n. 69.

Concilium Antiochenum anno 341. celebratum ne cum aliis Antiochenis confundatur, cavendum. f. 49. *a.*

Concilium Aquiſgranenſe quid circa proceſſionem Spiritus S. a Patre & Filio ſtatuerit ? f. 241. n. 525.

Concilium Arauſicanum & Valentinum, quid de Prædeſtinatianiſmo ? f. 208. n. 469.

Concilium tum Arelatenſe tum Lugdunenſe

Digitized by Google

nenſe contra Prædeſtinatianos dicitur congregatum. f. 209. n. 469. magnæ ſuppoſitionis de utroque ſuſpicio. ibid. a n. 470. ad n. 474.

Concilium Ariminenſe. f. 49. cur a voce *Conſubſtantialis* abſtinuerit. f. 278. n. 599.

Concilium Baſileenſe partim approbatum, partim reprobatum. f. 48. & f. 66. n. 124. & 125. ejus hiſtoria pertexitur breyibus adjectis animadverſionibus. ibidem.

Concilium Cariſiacum contra Gotheſcalcum. f. 211. n. 474. & f. 213. n. 477.

Concilium Chalcedonenſe. f. 45.

Concilium Complutenſe ſub Alphonſo Carillo Archi-Epiſcopo Toletano Magiſtrum quendam oxomenſem proſcribit. f. 34. n. 60.

Concilium Conſtantienſe ex parte duntaxat approbatum. f. 44. n. 85. & f. 48. ejus hiſtorica narratio criticis quibuſdam animadverſionibus illuſtrata. f. 65. n. 122. & 123.

Concilium Conſtantinopolitanum I. II. III. & IV. f. 45. & 46.

Concilium Epheſinum I. a quo convocatum? f. 35. n. 63. & f. 45. prohibet, ne altera fides ſeu Symbolum, præter Nicænum, condatur. f. 299. n. 539. quomodo id intelligendum? f. 252. a n. 544. ad n. 548. cui & conſonat Chalcedonenſe. ibid. Epheſinum II. *latrocinale* dictum, injuſte ſententiam fert in Euſebium & Flavianum. f. 253. n. 547. ex toto rejectum. f. 44. n. 85. & f. 49.

Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. f. 47. & f. 242. n. 526. ſæpius quoque in hoc opere allegatur.

Concilium Francofordienſe fuiſſe videtur duntaxat Provinciale: nec unquam reprobatum neque quoad partem. f. 48. *b.*

Concilium Gentiliacenſe de Spiritu S. num a Filio procedat, inquirit? f. 241. n. 525. & f. 251. n. 543.

Concilium Laodicenum ſacræ Scripturæ librorum primum Canonem condidit. f. 14. n. 19.

Concilium Lateranenſe I. II. III. IV. & V. f. 46. & 47.

Concilium Lateranenſe IV. cur ſine addito nominetur *Generale*? f. 47. *a.* ejus Canones perperam a nonnemine ſoli Innocentio III. inſcribuntur. ibid. nihil definiit circa tempus creationis Angelorum, f. 337. n. 696. neque circa eorum ſpiritualitatem. f. 342. n. 709. quid intelligat per illa verba: *Simul ab initio temporis utranq. de nihilo condidit creaturam* &c. f. 337. n. 696. & f. 340. n. 704. & ſeqq.

Concilium Lingonenſe adverſus Capitula Cariſiacenſia. f. 214. n. 480.

Concilium Lugdunenſe I. & II. f. 47. II. ob concordiam Græcos inter & Latinos ſtabilitam perquam celebre. f. 242. n. 526.

Concilium Lugdunenſe & Arelatenſe. v. Concilium Arelatenſe.

Concilium Mediolanenſe ex toto improbatum. f. 49. & f. 279. n. 601.

Cōcilium Moguntinum ſub Rabano Mauro contra Gotheſcalcum. f. 211. n. 474. item f. 212. n. 476.

Concilium Nicænum I. f. 45. & f. 35. n. 63. Nic. II. f. 46. ſtatuit, Angelos eſſe pingendos. f. 343. n. 710. ejus acta nunquam fuere convulſa a Francofordienſi f. 48. *b.*

Concilium Piſanum I. nulli quo approbaretur, vel reprobaretur, judicio ſubjectum. f. 44. n. 85. & f. 49. *d.* hiſtorica de hoc Concilio narratio criticis animadverſionibus illuſtrata. f. 64. n. 121. & 222. de Piſano II. f. 49.

Concilium pſeudo-ſeptimum generale, Conſtantinopoli celebratum, eſt ex toto rejectum. f. 49.

Concilium Romanum ſub Gelaſio Papa, quales Apoſtolorum Canones rejecerit? f. 40. n. 75. libris probandis reprobandiſque maxime addictum. f. 248. n. 538.

Concilium Sardicenſe appendix eſt Nicæni. f. 49. n. 86. aliud quoque ſub hoc nomine ab Arianis celebratum, quod vere ut conciliabulum exſufflatur. ibid. & f. 277. n. 597.

Concilium Siculum contra Arianos. f. 273. n. 590.

Concilium Sinveſſanum fictitium. f. 97. n. 196. & 197. item f. 210. n. 471.

Concilium Sirmienſe. f. 48. & f. 277. n. 597.

Concilium Tridentinum. f. 48. cur interruptum? ibid. *a.* ſparſim in hoc opere allegatur.

Conci-

Concilium Trullanum ex parte duntaxat approbatum. f. 44. n. 85. & f. 48. cur Quini-ſextum vocetur? ibid. c.

Concilium in Tullo apud Saponarias adverſus capitula Cariſiacenſia num vere fuerit aliquod celebratum, conſtans non eſt inter criticos. f. 214. n. 480.

Concilium Valentinum III. adverſus capitula Cariſiacenſia celebratur, cui & ſubſcribit Nicolaus I. Pontif. x. f. 214. n. 480. de Chriſti morte pro omnibus quid ſtatuerit? f. 177. n. 481. Auguſtino & Proſpero videtur circa geminam Prædeſtinationem adverſari, ſed conciliatur. f. 215. n. 482.

Concilium Viennenſe. f. 47. item f. 131. n. 278.

Congregatio aquarum in unum locum quando & qualiter a Deo fuerit facta? f. 296. n. 629.

Conradus Vorſtius carpitur. f. 105. n. 216. & ſeqq. item f. 110. n. 227. & f. 171. n. 385. & 386.

Conſtitutiones vulgo Apoſtolorum ſeu Apoſtolicæ validis argumentis demonſtrantur apocryphæ. f. 42. a n. 82, ad n. 85.

Conſubſtantialitas a quibus negata in divinis Perſonis? f. 273. n. 590. refelluntur. f. 274. n. 591. & 592. cur vox *conſubſtantialis* ab Ariminenſi fuerit prætermiſſa? f. 278. n. 599.

Conſuetudo Eccleſiæ in credendo eſt infallibilis, & inter locos Theologicos reponenda. f. 83. a n. 164. & ſeqq.

Continentium ſeu Encratitarum ſecta. f. 332. n. 688.

Cor piſcis poteſtatem diabolicam qua ratione potuerit profligare in Tobia? f. 344. n. 712.

Cornelius Janſenius quis? f. 178. n. 403. ejus ſcripta. ibid. damnantur, & quot in Gallia perturbationes civerint? ibid. a n. 404. ad n. 407. quinta ipſius propoſitio damnata examinatur & rejicitur. f. 179. a n. 407. ad 409. Prædeſtinatianum errorem cur Auguſtino impingat? f. 216. n. 483. quarta quoque ejus propoſitio refertur. ibid. oſtenditur eam fuiſſe proſcriptam *in ſenſu ab Autore intento*. ibid. n. 484. nullam niſi gratiam victricem agnoſcit. ibid. ſed refellitur. f. 217. n. 485. & 486. diſtat longiſſime a Thomiſtis. f. 151. n. 334. item f. 218. n. 486.

Corpora qualiter Patres olim Angelis adtribuerint? f. 342. n. 708. Lateranenſe IV. quid hac de re? ibid. illis Angelos carere oſtenditur. f. 343. n. 706. & 707.

Corpus Chriſti in triduo mortis non erat *perſona*. f. 358. n. 742.

Corpus quinam Deo tribuerint? f. 102. n. 208. & ſeqq. refelluntur. ibid.

Creatio Univerſi Deo adtribuitur contra Ethnicos. f. 290. n. 619. & 620. & contra alios hæreticos. f. 292. n. 621. & ſeqq.

Creatio cur Patri in divinis peculiariter adtribuatur? f. 294. n. 624. creationis modus & ordo recenſetur. f. 293. a n. 624. ad n. 637. & item f. 338. n. 698. & 699. Auguſtini hac in re ſententia. f. 301. a n. 637. ad n. 640. nullum in Deo otium infertur per creationem rerum ſucceſſivam. f. 300. n. 636. creatio Adam & Evæ. f. 318. n. 667.

Creatio Angelorum. v. Angeli.

Creatura dici non poteſt in divinis filius, quum ſit æqualis & coæternus Patri. f. 269. n. 583. & ſeqq.

Creaturæ teſtes ſunt divinæ Providentiæ. f. 181. n. 410.

Cycli ſolares & lunares quid ſint? f. 305. n. 645.

D

DÆmones ſuffimentis quandoque fugantur ex energumenis. f. 344. n. 712. eorum pœna. v. Pœna dæmonum. qua ratione pleraque futura præноſcant atque prædicant? f. 386. n. 802. & 803. quantum homini inſidientur. f. 387. n. 804. cur? f. 346. n. 717. num cuilibet hominum adjunctus ſit quidam ex dæmonibus? f. 390. n. 808.

Deus per ſe cuique lumine naturæ innoteſcit. f. 85. a n. 172. ad n. 176. Atheiſtæ exinde Dei exiſtentiam inficiantes perſtringuntur. ibid. non tamen *ex terminis*, ſed *medio* ſeu diſcurſu aliquo, etſi facili, Dei exiſtentiæ notitia comparatur. f. 86. n. 169. & 170. homo rationis capax Deum ignorare invincibiliter non poteſt. f. 88. n. 175. pec-

catum pure philoſophicum eſt nullum; fabula quoque cenſenda Molinæ narratio, quod ante Luſitanos in Braſilia nulla Dei ſuſpicio fuerit. ibid. Dei eſſentia conſiſtit in *eſſe* ex doctrina Patrum. f. 90. a n. 178. ad n. 184. unitas Dei quoque oſtenditur. f. 93. n. 185. & ſeqq. ubi de idololatria. f. 94. a n. 188. ad n. 193. ſumma Deo bonitas tribuitur. f. 93. n. 199. error hac in re Manichæorum convellitur. f. 99. a n. 200. & ſeqq. Dei ſimplicitas qualis & quanta? f. 101. n. 206. & 207. error Antropophormitarum exploditur. 102. n. 208. & 209. Deo cur in ſcripturis quandoque humana membra, ut oculi, brachia, manus &c. tribuantur? 102. n. 209. Dei immenſitas contra errorem Ethnicorum & Calviniſtarum defenditur. f. 104. a n. 213. ad n. 220. æternitas Dei qualis & quanta? f. 107. n. 220. & 221. futura num in æternitate Dei exiſtant? 108. a n. 223. infinitas Deo aſciſcitur contra errorem Calviniſtarum. f. 109. a n. 225. ad n. 229. divina nomina quomodo tum inter ſe, tum ab eſſentia diſtinguantur? f. 111. n. 229. & 230. variorum hæreticorum errores hac in re rejiciūtur. f. 112. n. 231. & 232. & a n. 234. ad n. 238. Deus a nullo unquam viatore viſus fuit clare & intuitive, niſi a ſola Beata Virgine MARIA. f. 119. a n. 246. eſt incomprehenſibilis. f. 142. n. 311. & ſeqq. quomodo cognoſcat poſſibilia, f. 147. n. 323. & 324. & futura contingentia? f. 153. a n. 338. ad n. 348. uti & futura conditionata. f. 158. a n. 353. ad n. 361. Dei libertas explicatur, f. 167. a n. 375. & ſeqq. Deus quam benigne velit omnes homines ſalvos fieri. f. 172. a n. 387. quam mire cunctis provideat? f. 181. n. 410. nulli denegat auxilia ſufficientia ad ſalutem obtinendam. f. 183. n. 415. ea nedum parat ſed & confert omnibus quibuſque hominibus. f. 184. a n. 417. ad n. 422. quomodo dicatur, *obcæcare, indurare corda hominum* &c. f. 185. n. 420. gratis motus eſt, ut voluerit ad æterna gaudia elevare homines: nemini tamen ea vult gratis dare, f. 193. n. 438. & 441. voluntatem ſalvandi omnes etiam poſt Adamum peccantem adhuc habet. f. 194. n. 442. e. & f. 200. n. 455. quem ordinem ſeu ſeriem teneat in prædeſtinando. f. 203. a n. 458. ad n. 461. Deum Univerſi Creatorem eſſe contra Ethnicos oſtenditur. f. 290. n. 619. & 620. & contra alios hæreticos. f. 292. n. 622. & 623. quem in creatione ordinem ſervaverit. f. 293. a n. 624. ad n. 637. item f. 338. n. 698. & 699.

Diaconi ad prophanam ſacramque menſam olim inſtituti. f. 36. n. 67.

Diagoras Atheiſmum propagat. f. 89. n. 176. & etiam d.

Diana. v. Antoninus Diana.

Dies ſex creationis fuere veri, non ficti ſeu ideales. f. 295. n. 626. quomodo tempore creationis, Sole adhuc deficiente, fuerint habiti? f. 295. n. 626.

Differentia inter ſubſiſtentiam & perſonalitatem eſt tantum extrinſeca & connotativa; & qua ratione ſe habeat? f. 357. n. 742.

Dii gentilium, f. 88. n. 174. & f. 95. n. 192.

Dionyſius nec Alexandrinus nec Corinthius autor eſt librorum divinorum Nominum, f. 115. n. 239.

Dionyſius Areopagita ipſe eſt, qui libros divinorum Nominum conſcripſit. f. 74. a n. 239. ad n. 241. uti & illos de Eccleſiaſtica Hierarchia, f. 116. a n. 241. ad n. 244. item f. 335. n. 693.

Dionyſius Exiguus 50. priores ex Canonibus vulgo *Apoſtolorum* in cenſum latinæ Eccleſiæ retulit. f. 41. n. 79. ejus collectio ſæpe laudatur in hoc opere. Decretalium Pontificum collectionem a Siricio auſpicatur, f. 67. n. 127.

Dioſcorus anathematizatur in Concilio Chalcedonenſi. f. 45. & f. 253. n. 547.

Diſciplina Eccleſiaſtica reſtauratur. f. 46. & 47.

Diſtinctio inter divina Nomina quænam ponenda? f. 111. n. 229. & 230. rejiciuntur hac in re nominales. f. 112. n. 233. uti & Eunomius. ibid. n. 231. & 232. Gilbertus quoque Porretanus & Gregorius Palamas divina adtributa ſeu nomina a ſubſtantia realiter diſtingui volentes redarguuntur, f. 113. a n. 234. diſtinctio formalis Scotiſtica. f. 114. n. 238. diſtinctio virtualis Sabellianorum de Trinitate errori nullum

robur

robur adfert. f. 227. n.500. diſtinctio duo involvit, unum de perfectione, alterum de imperfectione: quid horum in creatis, quid in divinis importet. f. 229. n. 504. & 505. diſtinctio perſonarum in Deo ex quo colligenda? f. 260. n. 562. & 563.
Divinare futura quomodo dæmones poſſint? f. 386. n. 802. & 803.
Doctrina temporum exhibetur. f. 303. a n. 641. ad n. 649. item f. 307. a n. 649. ad n. 652. & f. 309. a n. 652. & ſeqq.
S. Dominicus Waldenſibus obſiſtit. f. 182. n. 413.
Donatiſtarum cauſſa in Cæcilianum refertur. f. 96. n. 194. lapſum Marcellini Papæ in idololatriam & Concilium Sinüeſſanum confinxerunt. ibid. & f. 210. n. 471.
Donatus vitæ ſanctitatem in miniſtris ad validam Sacramentorum adminiſtrationem requirit. f. 51. n. 89.
Dulciniſtarum errores proſcripti. f. 47.
Duns Scotus. v. Johannes Duns.

E

Ebbo Remenſis Epiſcopus cur exauctoratus? f. 214. n. 480. *e.*
Eccleſiæ conſuetudo. v. Conſuetudo Eccleſiæ.
Eclipſium Solis & Lunæ obſervationes quantum ad Chronologiam conferant? f. 82. n. 163. item f. 306. n. 648.
Editio ſacræ Scripturæ multiplex. f. 15. n. 22. in hoc opere præcipue agitur de principalioribus, nempe de hebraica. f. 15. n. 23. & ſeqq. de græca. f. 18. a n. 27. de latina. f. 22. a n. 36. ad n. 42.
Editiones ſacræ Scripturæ a variis Doctoribus Catholicis adornatæ, aliæque vernaculæ cujuſque nationis qua polleant autoritate? f. 23. n. 38. illæ vero ab hæreticis factæ nullius fidei nulliuſque autoritatis ſunt. f. 23. n. 39.
Efficacia gratiæ. v. Gratia Dei.
Electi quomodo ſecundum ſententiam quoque *Fardellæ* in æqualium etiam gratiarum collatione beneficium majus præ reprobis recipiant? f. 190. n. 431. *b.* cur vocentur prædeſtinati? f. 215. n. 482.
Electio ad gloriam. v. Prædeſtinatio.
Elias in Paradiſo, in quem tranſlatus ſeu raptus olim fuit, adhuc vivit. f. 329. n. 683. ejus literæ ad Joram Regem. ibid.
Elias & Henoch apparebunt tempore Antichriſti, & martyrio tandem afficientur. f. 316. n. 663. *b.* & n. 664.
Elias Dupin plura contra infallibilitatem Papæ audacter congerit, quæ ſuis locis refelluntur. f. 61. n. 114.
Eliphas Themanites patientiam Job ſubvertere tentat. f. 181. n. 410.
Emmanuel Maignanus eandem, quam *Albertus Fardella* ex C. R. de divina ſcientia futurorum contingentium & de gratia tradit ſententiam. f. 156. n. 348. illam tamen inventam fuiſſe a *Fardella*, non a *Maignano*, late demonſtratur. ibid. a n. 348. ad n. 353.
Ennodius Ticinenſis Semi-pelagianis accenſetur. f. 205. n. 461.
Ens per participationem. f. 147. n. 323. per *ens a ſe* non recte explicatur abſoluta eſſentia Dei. f. 92. n. 184.
Entitates pure reſpectivæ abſolutis ſuperadditæ, quibus Scholaſtici quidditatem divinarum perſonarum explicant, rejiciuntur. f. 257. n. 555. & 556. exponitur, quomodo ſine hujuſmodi entitatibus divinæ tres perſonæ habeantur. f. 260. a n. 263.
Epicuri opinio circa mundi conſtructionem. f. 87. n. 171. & f. 89. n. 176. confutatur. f. 290. a n. 619. ad 620.
Epiſcopi cur Apoſtolis in infallibilitatis jure & generali juriſdictione non ſuccedant? f. 60. n. 110.
Epiſtola Leonis I. Papæ in Chalcedonenſi cur firmata fuerit? f. 59. n. 108.
Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum a Clemente ad Siricium uſque quis collegerit? f. 67. n. 127. & f. 69. n. 129. apocryphis amandantur. f. 68. n. 130. & ſeqq.
Epiſtola Fauſti ad Lucidum num a Concilio Arelatenſi fuerit approbata? f. 200. n. 455.
Epiſtola S. Ignatii Martyris quando ſcripta? f. 115. n. 240.
Epocharum uſus quis? f. 305. n. 644.
Erithrææ Sybillæ Vaticinium de Petri Pontificatu. f. 55. n. 100.
Eſau cur lachrymis ſuis miſericordiam a Deo non obtinuerit? f. 185. n. 419.

Eſdra Sacram Scripturam, poſtquam igne jam conſumta fuerat, denuo reſtaurat ex ſuperſtitibus exẽplaribus. f. 15. n. 23.

Eſſentia Dei conſiſtit in *eſſe*, f. 90. n. 178, & ſeqq.

Ethnici plures Deos ſibi conſtituunt, Platonici tamen volunt eos ab uno aliquo maximo propagatos. f. 94. n. 187. origo idololatriæ exhibetur. ibid. n. 188. & 189. duplex Ethnicorum idololatrantium genus. f. 95. n. 190. tempus idololatriæ quãdo inceperit. ibid. n. 191. Deorum numerus & multitudo. ibid. n. 192. Ethnicorum errores circa immenſitatem Dei. f. 105. n. 215. proſcribuntur, ibid. n. 216. Libertas Dei contra eos quoque defenditur. f. 165. n. 370. & 371. Divinam in terris Providentiam negant, ſed exemplo S. *Cajetani* confunduntur. f. 182. n. 412. & ſeqq. num Trinitatis Myſterium agnoverint? f. 220. n. 489. circa fortuitam & caſualem quam falſo aſtruunt mundi conſtructionem refelluntur. f. 291. n. 619. & 620. naturali inſtinctu eo devenere, ut faterentur immortales ſpiritus dari aliquos in rerum natura, qui non quidem oculis ſed uſu & officio ſentiantur; & hos *genios* ſeu etiam dæmones appellitabant. f. 333. n. 691. his quoque cuſtodiam ſeu tutelam hominum commiſſam eſſe fatebantur, f. 388. n. 805.

Eva. v. Adam & Eva.

Eunomius Cizicenus Epiſcopus omnem omnino inter divina nomina diſtinctionem inficiatur, quod ea velit eſſe pura ſynonyma. f. 111. n. 231. refellitur. f. 112. n. 232. fuit Autor ſectæ Anomæorum. f. 131. n. 278. Arianiſmum quoque profitetur. f. 273. n. 590.

Evodius Petro in Sede Antiochena ſufficitur. f. 57. n. 103.

Euſebius Cæſarienſis nullius fidei eſt, in quo Arianis favet. f. 82. n. 163.

Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus Ario adhæret. f. 272. n. 587. Arianos defendit. f. 273. n. 589. mortuo Ario caput efficitur ſectæ Arianorum, quæ exinde vocatur Euſebiana ſeu Nicomediana. f. 273. n. 590.

Eutyches abſolvitur a Concilio Epheſino II. latrocinali dicto, ejus hæreſis confirmatur, damnato Flaviano aliiſque; f. 49.

Exemplum Petri multos ad judaizandum trahit. f. 54. n. 96.

Exiſtentia Dei cuique lumine naturæ innoteſcit. f. 85. n. 167. & 168. Atheiſtæ convelluntur. ibid. ad n. 177. futura in æternitate Dei exiſtere, Deoque ſic præſentia eſſe oſtenditur. f. 108. n. 222. & ſeqq. exiſtentia Trinitatis ex Scripturis deducitur. f. 220. n. 488. Paradiſum adhuc exiſtere probatur. f. 327. a n. 681. ad n. 683. Angelorum exiſtentia. v. Exiſtentia Angelorum.

Exploratrix ſcientia in Deo antequam prædeſtinet ad gratiam, non admittenda. f. 202. n. 457.

Eymericus nimis acriter Raymundo Lullo ſuccenſet, ipſumque errorum immerito incuſat. f. 235. n. 515. & 516.

F

Fabula Johannæ Papiſſæ exploditur. f. 74. a n. 144. ad n. 150. unde probabiliter derivaverit. f. 241. n. 525. d.

Fardella. v. *Albertus Fardella*.

Fauſtus Regienſis Semi-pelagianis accenſendus. f. 203. n. 457. item f. 205. n. 461. & f. 211. n. 472. ejus de proſcriptione Prædeſtinatianæ hæreſis figmentum exploditur. f. 209. a n. 469. ad n. 473. ejus epiſtola ad *Lucidum* & opus alterum *de libero arbitrio* erroribus ſcatent. f. 210. n. 471.

Fauſtus Socinus in Trinitatem blaſphemus. f. 225. n. 498. Sectæ Socinianæ caput una cum Lælio patruo ſuo ſe effecit. ibid.

Felix Secundus num verus Pontifex & legitimus fuerit vivo Liberio? f. 71. a n. 137. ad n. 144. num in rigore Martyr quoque? ibid.

Fideles omnes concernunt ea, quæ Apoſtolis, qua Eccleſiæ, a Chriſto dicta ſunt. f. 58. n. 106.

Fides veterum Chriſtianorum eſt optima Scripturarum interpres. f. 27. n. 46.

Filioque particula hæc quando fuerit addita Symbolo. f. 250. n. 542. & 543. jure eam additam fuiſſe contra Græcos oſtenditur. f. 252. a n. 544. ad n. 550.

Filius in divinis. f. 255. n. 552. quomodo ſit idem cum Patre in divina eſſentia?

Digitized by Google

tia ? f, 260. a n. 562. ad n. 565. eſt ipſa intellectio eſſentialis ut realiter producta, ſemoto omni alio poſitivo ſuperaddito. f. 260. a n. 564. ad n. 573. qua ratione dicatur a Patre miſſus in mundum? f. 267. n. 578. vocatur ſecunda perſona poſterioritate non temporis, ſed *originis*. f. 281. n. 604. nec effectus neque principiatum dici poteſt, ſed terminus. f. 269. n. 582. cur græcis permittatur, ut filium *principiatum* dicant? ibid. Filium de ſubſtantia Patris progenitum æqualemque Patri eſſe contra Arianos & Socinianos oſtenditur. f. 269. a n. 583.

Filius ſolus eſt genitus: & cur non æque competat Spiritui Sancto ratio *geniti*? f. 284. n. 609. Doctorum hac in re ſententiæ adferuntur. ibid. a n. 609. ad n. 612. illa Fardellæ ſtatuitur. f. 612. n. 612. & ſeqq. filius num intelligatur per illa verba Geneſis: *in PRINCIPIO creavit Deus*; videlicet per *in principio*. f. 293. n. 624.

Firmamentum quando creatum: & quid veniat nomine firmamenti? f. 295. n. 627.

Flaminius Nobilius verſionem græcam lxx. Interpretum latine reddidit. f. 22. n. 35.

Flavianus damnatur a Concilio Epheſino II. Latrocinali dicto, legatis Pontificiis renitentibus. f. 49.

Fluentius Florentinus Epiſcopus damnatur a Concilio Florentino, quod Antichriſtum jam natum prædicaſſet. f. 214. n. 662.

Flumina Paradiſi. f. 322. n. 673. & 674.

Formalitates, quæ emanant per divinas proceſſiones, duplex habent *eſſe*; & quodnam? f. 259. n. 562. late explicatur ibid.

Formulæ fidei Arianæ variæ, variamque ſortem paſſæ. f. 48. & 49. item f. 277. n. 597. & 598.

Franciſci Davidis error in Trinitatem; f. 225. n. 498.

Ven. Franciſcus Magio C. R. ſæpius in hoc opere allegatur, ac præcipue f. 227. n. 500.

Franciſcus Riera Raymundum Lullum edito opuſculo valide a notis Eymerici vindicat. f. 236. n. 516.

S. Franciſcus Saleſius ſententiam de prædeſtinatione poſt prævisa merita ſummopere commendat. f. 194. n. 441. hæc quoque proponitur ac propugnatur. ibid. a n. 441.

Fraticelli in Concilio Viennenſi damnati. f. 47.

Fructus vetitus in paradiſo terreſtri cujus ſpeciei fuerit? f. 330. n. 686. *b*.

Fundatores Religionum quotquot Deum vidiſſe perhibentur, num adhuc viatores ad tantam ſortem elevati fuerint? f. 120. n. 248.

Futura libere etiam contingentia præſcit Deus. f. 148. n. 325. impium quoad hoc Ciceronis aliorumque dogma redarguitur. f. 149. a n. 327. ad n. 331. ſcientiam futurorum contingentium in Deo non recte explicant Thomiſtæ. f. 150. a n. 332. ad n. 334. nec Scotiſtæ. f. 152. n. 335. & 336. neque Mediſtæ. ibid. n. 337. peculiaris hac in re *Alberti Fardellæ* C. R. ſententia adducitur una & ſtatuitur. f. 153. a n. 338. ad n. 348.

Futura contingentia humanæ libertatis & ſecreta cordis ſcire inordinate affectantes Angeli prævaricatores in odium & blaſphemiam contra Deum prorupere, ſuumque ſic peccatum conſummavere. f. 346. n. 717. & ſeqq. futura quomodo prænoſcant & prædicant ſubinde Dæmones? f. 386. n. 802. & 803.

Futura cōditionata num cognoſcat Deus? f. 158. n. 353. & 354. qua ratione ea cognoſcat, explicatur cohærenter ad ea quæ *Fardella* ſtatuit de ſcientia contingentium abſolutorum, f. 160. a n. 358. ad n. 361. futura conditionata nullum habent eſſe, quod ſit medium inter pure poſſibile & abſolute futurum, & ſic nullam conſtituunt ſcientiam, quæ ſit media inter illam *viſionis & intelligentiæ*. f. 161. n. 361. & ſeqq.

G

G*Abriel Gualdo* C. R. de baptiſmate infantium in uteris exiſtentium egregie diſſerens laudatur. f. 191. n. 433. ipſius hac in re ſententia ſtatuitur. f. 192. a n. 434. ad n. 438.

Galanus. v. Clemens Galanus.

Gallus quidam Neotericus Eccleſiæ Pontificatum Petro ſimul & Paullo æqualiter

Digitized by Google

ter aſciſcit. f. 53. a n. 94. impugnatur. ibid.

Gelaſius Papa canonicos S. Scripturæ libros enumerat. f. 14. n. 20. item f. 39. n. 73. canones Apoſtolorum apocryphis accenſet. f. 39. n. 73. cur non permiſerit, ut Acacii cauſſa in Concilio quoque œcumenico iterum cognoſceretur? f. 59. n. 108. Romæ Concilium indicit ad veterum opuſcula diſcutienda, quo genuina ab apocryphis ſecernerentur. f. 248. n. 538. Gelaſianus codex antiquiſſimus num totus, an vero ex parte tantum Gelaſio ſit adtribuendus, & quis adhuc ei manum appoſuerit? ibid.

Generatio qua Filius in divinis per intellectum procedit, eſt perpetua & completa, Patremque facit eſſe ſemper generantem, ſemperque generaturum. f. 274. n. 592. Pater ſolus in divinis generat. f. 239. n. 521. cur Filius dicatur generatus ſeu genitus, non vero Spiritus Sanctus? v. Spiritus Sanctus, quomodo definiatur generatio? f. 284. n. 609.

Geneſis; cur ſic vocetur liber Moyſis? f. 293. n. 624.

Genii quinam appellentur? f. 333. n. 691. item f. 388. n. 805.

Gentiles quomodo ævum diviſerint f. 307. n. 649. v. Ethnici.

Gentilis. v. Valentinus Gentilis.

Gennadius Semi-pelagianorum Princeps. f. 205. n. 461.

Geographia ad hiſtoriam perutilis. f. 82. n. 163.

Georgii Blandratæ error. f. 225. n. 498.

Gilbertus Porretanus divina nomina ſeu adtributa ab eſſentia realiter diſtingui voluit, & revera defendit. f. 113. n. 234. item f. 257. n. 555. redarguitur f. 114. n. 237.

Gotheſcalci Monachi hiſtoria circa hæreſim Prædeſtinatianam a qua immunis omnino oſtenditur, late examinatur f. 212. a n. 474. ad n. 482. ipſius damnatio in Concilio Moguntino. f. 212. n. 474. & 476. uti & in Cariſiacenſi. ibid. & f. 213. n. 477. fuit male intellectus Gotheſcalcus a Rabano Mauro & Hincmaro. f. 213. n. 478. capita, ob quæ ab Hincmaro apud Nicolaum I. Pontificem fuit accuſatus, referuntur. f. 214. n. 479. d. qualiter defenſus fuerit ab Eccleſia Lugdunenſi. f. 213. n. 479. item a Concilio Valentino III. & Lingonenſi. f. 214. n. 480. ab aliis quoque Patribus. f. 215. n. 481. conciliantur cum Synodo Valentina & Fulgentio Auguſtinus & Proſper, quos ſæpe Hincmarus Gotheſcalco objiciebat. ibid. n. 482.

Græci cum Latinis concordiam ineunt. f. 47. quod ſæpius præſtant in Conciliis œcumenicis. f. 240. n. 523. item f. 241. n. 526. ſed ad ſchiſma ſemper revertuntur. ibid. eorum ſchiſma & hæreſis circa proceſſionem Spiritus S. ulterius percenſetur. f. 241. n. 524. 525. & 526. fallacibus eorum argumentis occurritur. f. 242. n. 527. 528. & 529. quando contra ipſos fuerit Symbolo adjecta particula *Filioque*. f. 241. n. 525. rite recteque eam Symbolo additam fuiſſe oſtenditur. f. 252. n. 544. & ſeqq.

Græci longe poſt Moyſen nomenclaturam hanc ſortiti ſunt. f. 222. n. 493.

Gratia Dei omnis eſt quoad ſe *efficax*, nulla vero *unice ſufficiens*. f. 186. a n. 422. ad n. 425. gratiæ diviſio in efficacem & pure ſufficientem rejicitur, & alia in efficientem & inefficientem ſufficitur. f. 187. n. 427. ſolvuntur difficultates contra poſitam doctrinam. f. 188. a n. 425. ad n. 433. declaratur, quomodo ſalventur quatuor illa capita de Gratia divina a SS. Patribus inculcata. f. 188. n. 427. gratiarum diſpenſatio & ordo in earum diſtributione percenſetur. f. 189. n. 428. dividitur item gratia in efficacem abſolute & efficacem conditionate. ibid. conciliantur Scripturarum, Conciliorum Patrumque circa gratiam locutiones. f. 190. n. 429.

Gratia ſanctificans nos formaliter ſanctos reddit. f. 170. n. 276. gratiæ adjuvantes & excitantes quid præſtent? ibid.

Gratiani decretum apocryphis multis aſperſum. f. 41. n. 79.

Gregorii Palamæ de diſtinctione divinorum Nominum ab eſſentia commentum refertur ac rejicitur. f. 113. n. 236. & 237. quid de viſione beatifica ſenſerit? f. 120. n. 249.

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Cappadox in Athanaſii expulſi ſedem ſubrogatur. f. 49.
Gregorius Papa cur Epiſcopus univerſalis totius orbis appellari recuſaverit? f. 52. n. 93. ejus narratio de S. Benedicto, quod quum adhuc viator eſſet, Deum viderit, quomodo intelligenda? f. 120. n. 248.
Gualdo, v. Gabriel Gualdo.
Guillelmus Ochamus cur contra Johannem XXII. calamum ſtrinxerit? f. 127. n. 268.

H

Hæretici quantum ſophiſmatis ſtudeant, f. 7. n. 4. eorum Theologia quænam? f. 11. n. 13. ſcripturas quoque habent, & quales ſint? f. 23. n. 39. Summi Pontificis poteſtatem execrantur. f. 50. n. 87. eorum plures a ſolo Papa damnati, & ita ab Eccleſia habiti: & quinam ſint? f. 59. n. 109. ſunt & Patribus infenſi. f. 79. n. 155.
Hæretici non ſunt rebaptizandi. f. 40. n. 74.
Hebraicus textus ſacræ Scripturæ num integer ad nos pervenerit, non conſtat apud omnes. f. 16. n. 24. ad ipſius correctionem plurimum confert *Maſora*. ibid. cur ad hebraici textus fidem non omnia ſint examinanda? f. 17. n. 26. maximi tamen eſt habendus. ibid.
Helleniſtæ qui? f. 20. n. 32.
Henoch & non Moyſes apparebit cum Elia tempore Antichriſti. f. 316. n. 663. *b.* & n. 664.
Heptaſtadium quando extructum. f. 21. n. 34. anachroniſmus quoad hoc in libro Ariſtææ notatur. ibid.
Hermannus de RisWich Angelos dari negavit. f. 334. n. 693. vivus Hagæ igne combuſtus eſt. ibid.
Heſychius LXX. Interpretum verſionem emendavit. f. 18. n. 27.
Hierarchiæ Angelorum quot? f. 335. n. 693.
S. Hieronymus Biblia vertit. f. 17. n. 25. & f. 23. n. 36. cellulas LXX. Interpretum inficiatur. f. 18. n. 28. Hieronymo adtribuenda videtur emendatio verſionis LXX. Interpretum, quæ Sophronio a quibuſdam aſcribitur. ibid. n. 27.
Hieronymus Matranga ex C. R. de tempore creationis Angelorum, quos ſexta die poſt hominem creatos vult, peculiarem ideam ſuppeditat. f. 336. n. 695. ejus laus. ibid. ſententia hæc late expenditur una & ſtatuitur. f. 336. a n. 696. ad n. 708.
Hincmarus Remenſis Antiſtes cur tanto conatu veteribus hæreſim Prædeſtinatianam adtribuerit? f. 206. n. 465. interfuit Concilio Cariſiacenſi contra Gotheſcalcum. f. 212. n. 474. & f. 213. n. 477. literæ Rabani Mauri in cauſſa ejuſdem ad ipſum. f. 213. n. 478. verba Hincmari de Gotheſcalci rebus. f. 206. n. 465. & f. 213. n. 478. & 479. quid de Gotheſcalco ad Nicolaum I. Papam ſcripſerit. ibid. reprehenditur a Concilio Valentino III. f. 214. n. 480. volumen contra reprehenſores ſuos de *Prædeſtinatione & libero arbitrio* componit. ibid.
Hiſpania ab infidelium tyrannide liberata. f. 46.
Hiſtoria ſacra Theologo maxime neceſſaria. f. 9. n. 9. item f. 81. n. 160. & 161. ejus contemtores carpuntur. f. 10. n. 11. ſacræ hiſtoriæ ſtudium quo tendat? ibid. quædam pro hiſtoria regulæ adferuntur. f. 82. n. 162. & 163. Geographia & Chronologia ad hanc rite addiſcendam maxime juvant. f. 82. n. 163.
Homo ſexta creationis die formatus. f. 300. n. 635. poſt hominem Angeli. ibid. qua ratione fuerit creatus? f. 318. n. 667. homo rationis capax Deum invincibiliter ignorare non poteſt. f. 88. n. 175.
Homouſion Catholicorum teſſera. f. 280. n. 601. hæc vox a Patribus contra Arianos adhibita. f. 273. n. 590. item f. 280. n. 601. cur olim a Patribus orthodoxis damnata ac proſcripta in Paullo Samoſateno. f. 281. n. 603.
Humbertus Cardinalis contra Nicetam agens canones Apoſtolorum rejicit. f. 40. n. 75. & f. 42. n. 79.
Hypoſtaſis vocabulum quo ſenſu a Divo Dionyſio Areopagita uſurpatum? f. 117. n. 242. quando in Eccleſia communiter obtinuerit? ibid. ſæpius quoque ante Concilium Alexandrinum fuit adhibitum. ibid. quo ſenſu Alexandrina Synodus illo uſa fuerit? f. 226. n. 499. olim hypoſtaſis hoc nomen pro *natura* a Pa-

a Patribus accipiebatur. f. 265. n. 573. dein pro *ſubſiſtentia*. ibid. hypoſtaſes tres in Deo haberi oſtenditur. f. 265. n. 573. & 574. rejiciuntur duo hac in re ſcholaſticorum placita. ibid. quid circa præſens pũctum, Cardinalis Cienfuegos? f. 266. n. 574. *a*.

I

JAcobus Apoſtolus Hieroſolymorum Epiſcopus. f. 52. n. 91. qua ratione dicatur a Sanctis Patribus primatum habuiſſe. f. 54. n. 98.

Janſeniana hiſtoria exhibetur. f. 177. n. 403. & ſeqq.

Iconomachi quando & a quonam Concilio damnati. f. 46.

Ideæ Platonicæ quomodo explicentur ab Auguſtino? f. 166. n. 372.

Identitas perſonarum in eſſentia Divina quomodo ſalvetur? f. 260. n. 562. & 563.

Idololatriæ origo & progreſſus. f. 94. n. 188. & 189. ſimulacra quando adhibita? f. 95. n. 189. & 190. idololatrarum duplex genus. f. 95. n. 190.

Idolorum ſeu Simulacrorum cultus quando inceperit? f. 94. n. 189. & f. 95. n. 191.

Jejunium Judæorum octava die Decembris. f. 20. n. 32. jejunii quadrageſimalis autor quis? f. 31. n. 55. jejunium Sabbati. f. 30. n. 54. & f. 40. n. 74. & 75. reprobatur a Niceta. f. 42. n. 82. jejunare die Dominico num liceat? f. 43. n. 83.

JEOVA quid? f. 109. n. 225. bis aſpiratur. ibid. *b*.

Ignis verus eſt, qui Dæmones torquet. f. 349. n. 722. quomodo uniatur cum Dæmone, ipſum torqueat, & comburat. v. Pœna Dæmonum.

Ignis cur ex Ætnæ aliorumque montium faucibus jugiter erumpat? f. 298. n. 631. ejus centrum in terræ viſceribus. ibid.

Imaginum ſacrarũ cultus a Concilio Conſtantinopolitano pſeudo-ſeptimo impie proſcriptus. f. 49. cur imagines Sanctorum ab Apoſtolis fuerint prohibitæ? f. 95. n. 190.

Imago Dei in homine in quo ſita ſit: varia adferuntur placita, ſed deferuntur. f. 319. n. 668. & 669. peculiaris idea ad explicandam imaginem Dei in homine in medium adducitur. f. 320. n. 670. & 671.

Immenſitas Dei explicatur. f. 104. n. 213. & 214. Ethnici quid de illa ſenſerint? f. 105. n. 215. Calviniſtæ quoque confutantur ibid. a n. 216. ad n. 220.

Impii cur vocentur *præſciti*? f. 215. n. 482.

Inæqualitas terræ unde oriatur? f. 296. n. 629. & 630.

Incertorum quorundam duæ fuere repertæ S. Scripturæ verſiones græcæ. f. 18. n. 27.

Incomprehenſibilitas Dei. f. 143. a n. 311. ad n. 315.

Indictio quid ſit? f. 305. n. 645.

Infallibilitas Papæ defenditur. f. 58. a n. 105. ad n. 115. eſt in gratiam ovium & Eccleſiæ. f. 61. n. 113.

Infinitas Deo adtribuitur. f. 109. n. 225. & 226. Vorſtius eam negans refellitur. f. 110. n. 227. & 228.

Ingenerabilitas *Spiritus Sancti*. *v. Spiritus S.*

Innocentii Papæ epiſtola catalogum librorum S. Scripturæ ex Apoſtolica traditione ad nos derivaſſe habet. f. 14. n. 20. hæc cujus fidei ſit? ibid.

Intellectio ſeu ipſamet entitas intellectionis eſſentialis in divinis per veram productionem a Patre realiter emanat, ſine omni entitate ſuperaddita. ita ut, qua producta, ſit formaliter *filiatio*. f. 260. n. 563. 564. & 565.

Intellectus creatus indiget, ut elevetur per lumen gloriæ ad videndum Deum. f. 134. a n. 285. ad n. 289. qua ratione id fiat? ibid. intellectuum inæqualitas viſionis beatificæ inæqualitatem non inducit. f. 140. n. 303.

Joachimus Abbas erroris in Trinitatem incuſatur. f. 230. n. 506. quæ ejus conditio ibid. cur male audiat apud aliquos? ibid. vaticinia quamplura edidit. ibid. n. 507. item f. 70. n. 136. Libellus quidam ſub ipſius nomine circa Trinitatem erroneus a Lateranenſi IV. rite damnatur. f. 47. & f. 231. n. 508. & 509. num hic Joachimo iſti vere aſcribendus? f. 232. n. 510.

Joachimus Floriacenſis alius a Joachimo Abbate

Digitized by Google

Abbate Florenſi. f. 230. n. 506. *c.*

Johannæ Papiſſæ fabula exploditur. f. 74. a n. 144. ad n. 150. quomodo originem habuerit? ibid. & f. 241. n. 525. *c.*

S. Johannes altius quam ceteri Evangeliſtæ ſuum auſpicatur Evangelium. f. 183. n. 414. non in Paradiſum vivus translatus, ſed mortuus vere eſt. f. 329. n. *684.* & *685.*

S. Johannes Damaſcenus fuit ſcholaſticæ Theologiæ apud Græcos autor. f. 7. n. 5. cur Deum ſub genere poſuerit, & quænam hac in re ejus autoritas? f. 102. n. 207. ejus laus. f. 244. n. 530. num Hieroſolymis controverſiam de Spiritu *Sancto* an a Filio quoque procedat, moverit? ibid. & f. 241. n. 525. vindicatur, quod nunquam circa proceſſionem Spiritus *Sancti* Græcorum errori adhæſerit. f. 244. n. 531. & ſeqq.

Johannes Duns Scotus a defenſa ſubtiliter Immaculata Cõceptione celebris. f. 114. n. 238. ejus diſtinctio formalis ex natura rei rejicitur. ibid.

Johannes Monachus, qui controverſiam Hieroſolymis de Spiritu S. num a Filio quoque procedat, acerrime moverat, videtur nonnullis, quod Divus Johannes Damaſcenus fuerit? f. 241. n. 525. & f. 244. n. 530.

Johannes Saguens. v. Accidentia.

Johannes Philoponus Tritheitarum errorem excitat propagatque. f. 228. n. 503. impugnatur. ibid. a n. 503. ad n. 506.

Johannes Wicleffus damnatur in Concilio Conſtantienſi. f. 48. & *67.* n. 128.

Johannes XXII. Semi-millenariorum dogma mature excutiendum Doctoribus proponit. f. 124. n. 257. nonnullis videtur declinaſſe in Semi-millenariorum errorem. f. 127. n. 2*66*. a Philippo Valeſio Gallorum Rege monetur quidem hac in re, non tamen a communione excluditur. ibid. n. 267. a dicto errore vindicatur. ibid. n. 268. & 2*69*.

Joſephus Hebræus plura ex libro Ariſtææ depromſit. f. 21. n. 34. cur? ibid.

Joſephus Neapolis autor *decreti concomitantis* Scotiſtarum. f. 151. n. 335.

Joſephus del Pezzo ex C. R. acerrimus Venerabilis perſonæ Cardinalis *Thomaſii* vindex. f. 72. n. 139. *b.* & f. 392. n. 812. *b.*

Joſephus Scaliger falſo putat, omnes ex tribubus Hieroſolymis in captivitatem abductos fuiſſe. f. 20. n. 33.

Ven. JOSEPHUS Cardinalis THOMASIUS Patrum ſtudioſiſſimus fuit. f. 2. ejus laus. ibid. ſcripta quoque. f. 3. & f. 18. n. 28. item f. 248. n. 538. *e.* & *f.* de mandato Papæ Sanctorum aliquot Pontificum vitas in lectiones brevi narratione redegit. f. *70.* n. 135. contra putidum quendam obtrectatorem egregie edito opuſculo vindicatur a *Joſepho del Pezzo* ex C. R. f. 72. n. 139. & f. 392. n. 812. *b.* & *c.* cur opera Divi Dionyſii Areopagitæ in indiculo ſuo non recenſeat? f. 115. n. 2*39*. *a.* in Eccleſia ſui tituli diviſionem quandam virorum a feminis poſuit. f. 11*6*. n. 241. unde pium hunc morem deſumſerit? ibid. quem Magiſtrum ſuorum ſtudiorum habuerit? f. *90*, n. 180. ſæpius allegatur præcipue f. 1*36*. n. 2*90*. f. 248. n. 538. & f. 250. n. 542. totum denique hoc opus ad ipſius mentem inſtitutum, cui & præfixus eſt ipſius *Indiculus* tertio nunc tandem recuſus.

Joviniani patria, conditio, error circa inęqualitatem viſionis beatificę & damnatio recenſetur. f. 1*39*. n. 2*99*. qui & carpitur. ibid. n. 301. & 302.

Iſidori Clari editio ſacræ Scripturæ quanti facienda? f. 23. n. 38.

Iſidorus Hiſpalenſis autor non eſt collectionis epiſtolarum Decretalium a Clemente ad Siricium Papam uſque. f. *67*. n. 127. & f. *68*, n. 1*29*.

Iſidorus Mercator impoſtor nulliuſque fidei dignus eſt. f. 41. n. 77. cur *Mercator* vocetur? f. 68. n. 1*29*. Decretales a Siricio ad Clementem Papam uſque retrogrado conatu collegit. ibid. & f. *67*. n. 127. hæ tamen epiſtolæ Decretales apocryphis accenſentur. f. *68*. n. 130. & ſeqq.

Itali latinum olim ſermonem pro vernaculo habebant. f. 23. n. 3*6*. quando & a quo lingua italica auſpicium ſuum ſumſerit? ibid.

Itinerarium Petri Apoſtoli apocryphum. f. 42. n. *79*.

Judæi ſub Cajo Auguſto e Babylone Aſſyriorum expulſi. f. 5*6*. n. 101.

Judaizare vetat Paullus. f. 54. n. *69*. cur

tamen a pleriſque Paulli diſcipulis judaizatum fuerit ? ibid.

Judas Apoſtolus prævaricator num in inſtitutione Ss. Euchariſtiæ præſens fuerit; ſub lite eſt, f. 177. n. 400. *b.*

Judex veri ſenſus Scripturæ ſacræ neceſſarius. f. 26. n. 44. & ſeqq. & quis ille ? f. 27. n. 47.

Judicium extremum, f. 125. n. 261, & 262. *c.*

Julianus Apoſtata qui fuit longe poſt Praxeam, contra Trinitatem ſcripſit. f. 226, n. 500. *l.*

Julius II. a Cardinalibus quibuſdam Schiſmaticis damnatur, f. 49.

Junius & Tremellius Bibliorum editionis Genevenſis autores, f. 23. n. 39.

K

Kemnitius ſacræ Scripturæ vernaculas cujuſque nationis editiones a Concilio Tridentino inhibitas falſo propalat, f. 23. n. 38.

L

Lælius Socinus male de Trinitate ſentiens, Sectæ *Socinianæ* caput una cum Fauſto Socino nepote ſuo ſe efficit. f. 225. n. 498.

Lapſus primorum parentum f. 330. n. 686.

Leo III. nunquam Græcorum errori, circa proceſſionem Spiritus Sancti a Patre tantum, adhæſit. f. 245. n. 533. cur in laminis argenteis exarari Symbolum Conſtantinopolitanum ſine particula *Filioque* fecerit ? ibid. n. 534.

Liberius Papa Arianis primum fortiter reſiſtit. f. 279. n. 601. cum ipſis tandem communionem init, formulæque Sirmienſi primæ & condemnationi Athanaſii ſubſcribit, ibid. ab hæreſi tamen immunis pronunciatur atque defenditur. ibid. a n. 601. ad n. 604. Liberii error, ſi fuiſſet, infallibilitati Papæ non obeſſet. f. 61. n. 113.

Libertas humanarum operationum non adimitur per divinam earum præſcientiam. f. 149. n. 329. & 330.

Libertas volitionis divinæ defenditur. f. 165. n. 370. eam in Deo inficiantur Ariſtoteles & Wicleffiſtæ, ibid. n. 371. Ariſtoteles tamen ab hoc errore excuſari poteſt. f. 166. n. 372. quodnam ſit proprium conſtitutivum libertatis divinæ; explicatur. ibid. n. 373. duæ hac in re Scholaſticorum ſententiæ rejiciuntur. f. 166. n. 373. & 374. alia Cardinalis *Cienfuegos* proponitur & ſtatuitur. f. 167. a n. 375. ad n. 381. modus quoque exhibetur divinam libertatem explicandi ſecundum principia *Fardellæ* ex C. R. f. 169. n. 381. & 382.

Libertini hæretici cur ſic dicti? f. 13. n. 16. *e.* ſacram ſcripturam aſpernantur. ibid.

Liberum arbitrium cum ineluctabili Dei Dominio & ſcientia conciliandi modus ab *Alberto Fardella* ex C. R. inventus ſufficitur una & ſtatuitur. f. 153. a n. 338. ad n. 348. cum efficacia quoque divinorum auxiliorum quam bene concordet, oſtenditur. f. 186. a n. 422. ad n. 433. qualiter Semi-pelagiani in hac parte erraverint? f. 198. n. 450. & 451. qualiter Calvinus ? f. 199. a n. 452. ad n. 457. num ſeculo V. extiterint hæretici Prædeſtinatiani, qui liberum arbitrium plus juſto depreſſerint? v. Prædeſtinatiana hæreſis. quomodo circa liberum arbitrium erraverit Jāſenius. f. 216. a n. 483. ad n. 487.

Libri Canonici ſacræ Scripturæ quot? f. 13. n. 18. quot eorum ad Teſtamentum vetus, quot ad novum ſpectent ? ibid. quinam apud Hebræos *extravagantes* fuerint ? ibid. cur Concilium Laodicenum, quod ſacrorum librorum primum Canonem condidit, eorum aliquos hodie probatiſſimos prætermiſerit ? f. 14. n. 19. quando & a quibus libri omnes ſacræ Scripturæ, qui nunc ut canonici ab Eccleſia habentur, in ſacrum unum fuerint relati codicem? ibid. & n. 20.

Libri de *divinis Nominibus* S. Dionyſio Areopagitæ adſeruntur, ipſeque eorum autor demonſtratur. f. 114. a n. 239. ad n. 241. libri quoque de cæleſti Hierarchia ipſi adjudicantur. f. 116. a n. 241. ad n. 244. & f. 335. n. 693.

Libri octo Conſtitutionum. v. Conſtitutiones Apoſtolorum.

Libri illius, cui nomen *Prædeſtinatus*, quiſnam ſit autor ? f. 205. n. 461. illius de *Vocatione gentium* incertus autor. f. 184. n. 417.

Libri Soliloquiorum animæ ad Deum num Divo Auguſtino inſcribendi? f. 341. n. 705.

Digitized by Google

n. 705. c. & f. 342. n. 707. a.
Loci Theologici quid & quot ſint? f. 12. n. 14.
Locus creationis Angelorum qualis fuerit? f. 384. n. 800.
Loquela Angelorum. f. 385. n. 801.
Lucianus Martyr LXX. Interpretum verſionem emendavit. f. 18. n. 27.
Lucidus Presbyter num hæreticus Prædeſtinatianus fuerit? f. 209. a n. 469. ad n. 473. utrum Concilium Arelatenſe & Lugdunenſe eum damnaverit? ibid.
Lucilius quidam Atheiſmi diſſeminator morte mulctatur. f. 89. n. 176.
Ludovicus Capello Maſoram perperam rejicit. f. 16. n. 24.
Lugdunenſis Eccleſia ſæpius citatur in cauſſa Gotheſcalcana. f. 180. n. 409. f. 207. n. 465. f. 212. n. 474. & f. 213. n. 479. ejus libri a quo compoſiti. f. 215. n. 481.
Lullus. v. Raymundus Lullus.
Lumen gloriæ quibus impendatur? f. 130. n. 276. quid veniat nomine luminis gloriæ? f. 132. n. 180. alia ratione illud ſcholæ explicant, quam Patres. ibid. Patrum hac in re ſententia exponitur & ſtatuitur. f. 133. a n. 282. ad n. 285. quanam ratione intellectus creatus per lumen gloriæ elevetur ad videndum Deum? f. 134. a n. 285. ad n. 289. inæqualitas viſionis ab inæqualitate *luminis* provenit. f. 140. a n. 303. ad n. 307.
Luna quarto die creationis formata. f. 298. n. 632. v. Sydera. cur vocetur Luminare poſt ſolem ceteris majus. ibid.
Lutherus. v. Martinus Lutherus.
Lux quando & qualiter creata? f. 295. n. 626. quid S. Auguſtinus intelligat per creationem lucis? ibid. quid ſit? f. 298. n. 631.

M

Macarius quod cum Monachis ſuis ad Paradiſum terreſtrem pertigerit; fabuloſum videtur. f. 328. n. 682. c.
Macedonius in Spiritum S. blaſphemus. f. 45. & 282. n. 604. & 606. refellitur. f. 282. & 283. n. 607. & 608.
Magio. v. Franciſcus Magio.
Mahometes errorem quoque Antropomorphitarum ſuis admiſcuit. f. 103. n. 210.
Maignanus. v. Emmanuel Maignanus.
Mala cur permittat Deus? f. 98. n. 199.
Manichæorum error a quo deſcenderit? f. 99. n. 200. & 201. in quo conſiſtat. ibid. confutatur a n. 202. ad n. 206. de creatione mundi quam male audiat? f. 292. a n. 621. ad n. 623.
Marcellini Papæ lapſus in idololatriam fabuloſus. f. 96. a n. 194. ad n. 199. a donatiſtis confictus. ibid. n. 194. item f. 210. n. 471.
Marcion in quonam differat a Manichæis? f. 98. n. 200.
Marcus Epheſius renuit ſubſcribere Concilio Florentino circa proceſſionem Spiritus S. *ex Filio.* f. 242. n. 526.
Mare quando & qualiter eſſe cœperit? f. 296. n. 629.
MARIA Virgo Decreti illius, quod Apoſtoli de non imponendo gentibus amplius jugo Hieroſolymis fecere, magiſtra fuiſſe creditur a Novarino. f. 37. n. 67. dum adhuc in *via* eſſet, Deum vidit. f. 119. n. 246. ob maternitatem ab originali labe præſervata & ad regnum prælecta. f. 194. n. 440.
Martinus Lutherus de ſua ipſamet germanica Bibliorum editione valde titubat. f. 24. n. 39. ſenſum ſpiritualem S. Scripturæ perperam aſpernatur. ibid. n. 42. Semi-millenariorum errorem adſumit. f. 124. n. 257. illum quoque Joviniani. f. 139. n. 300. Divinam Providentiam nefarie execratur. f. 182. n. 413. S. *Cajetanus* ſe fundatamque a ſe Congregationem ei opponit. ibid.
Martinus Strempus Polonus Chronici autor num de Johanna Papiſſa aliquid ſcriptum reliquerit? f. 76. n. 147. fuit ex ordine *Prædicatorum*. ibid. a.
Maſora ad corrigendum hebraicum textum valde conducit. f. 16. n. 24. quid ſit; quæ ejus ratio; & quomodo originem habuerit? ibid. uſque ad n. 26. Maſoretarum traditio non ſatis conſtans. f. 17. n. 26.
Maſſilienſes. v. Semi-pelagiani.
Materia S. Script. quotuplex? f. 15. n. 21.
Mathias veris ſortibus in locum Judæ prævaricatoris ſubrogatus. f. 36. n. 67.
Mediſtæ. v. Scientia media.
Melchiades Papa Cæciliani electionem confirmat. f. 96. n. 194.

Digitized by Google

Melchioris Cani eximii Theologi liber & labor de *locis Theologicis* laudatur. f. 12. n. 14. ſæpius in hoc opere allegatur.

Melito Epiſcopus Sardenſis ab aliquibus inter Antropomorphitas numeratur. f. 102. n. 208. ſed vindicatur ab hujuſcemodi nota. f. 103. n. 211.

Mendacia licita habent Semi-pelagiani. f. 209. n. 469. mendacium a Deo nunquam aut præceptum aut commendatum fuit. f. 100. n. 203.

Mercurius Triſmegiſtus quis, & quando vixerit? f. 221. n. 469. plurima edidit volumina. ibid. autor eſt Pymandri. ibid. a n. 491. ad n. 495. de Trinitate ſatis clare loquitur. ibid. nonnihil tamen erroris Pymandro ſuo admiſcuit. f. 223. n. 494.

Michaël tum Angelus tum Archangelus in ſacris Bibliis nuncupatur. f. 335. n. 692.

Michaël Paleologus Imperator Græcorum concordiam init cum latinis in Concilio Lugdunenſi, ſemperque in veritate ad mortem uſque perſeveravit. f. 241. n. 526. *a*.

Michaël Servetus de SSS. Trinitate quam male ſenſerit? f. 225. n. 498. Genevæ, urgente ipſomet Calvino, igne exuſtus eſt, ibid. *e*.

Millenariorum error perſtringitur. f. 122. a n. 252. ad n. 256. ejus origo & progreſſus. ibid.

Miniſtri Eccleſiarum a D. Paullo *Angeli* vocantur. f. 343. n. 711.

Miſſa quid? f. 29. n. 49.

Miſſæ Sacrificio quam infenſus erit Antichriſtus? f. 316. n. 663.

Miſſio in Divinis quid ſibi velit? f. 239. n. 522. ſecundum Patres quomodo explicanda? f. 267. a n. 578. ad n. 581.

Monachi Adrumetini turbati ex lectione epiſtolæ D. Auguſtini de *gratia victrici*. f. 207. n. 466. poſtea tamen quievere, nec unquam errorem Prædeſtinatianum foverunt. ibid.

Monachorum Caſſinenſium Congregationis S. Mauri ſtudium laudabile circa opera SS. Patrum ſecernenda. f. 78. n. 153.

Monarchia abſoluta D. Petri a Gallo quodam Neoterico impetitur. f. 53. n. 94. & ſeqq. ſed vindicatur. ibid.

Mons *Calvarius* cur ita vocetur? f. 330. n. 688. *e*.

Moyſes Princeps temporalis, & ſimul Sacerdos. f. 35. n. 64. penes illum jus convocandi Synedrion. ibid. & f. 62. n. 116. viator adhuc, Deum non vidit. f. 119. n. 277. Geneſim, Deo autore, Divinam plane adornat. f. 293. n. 624. num loco Henoch ſit appariturus tempore Antichriſti. f. 316. n. 663. & 664. cur Geneſim ſeu creationis narrationem auſpicatur, quin Angelos exprimat? f. 338. n. 700. ſubobſcuram tamen in decurſu poſt hominem mentionem eorum fecit. ibid.

Mulier apocalypſis pro anima ac libertate humana ſignificanda quoque accipitur: unde apprime ad peccatum Angelorum explicandum conducit. f. 348. n. 700.

Multus in S. Scriptura ſumitur ſubinde pro *omnis*. f. 176. n. 400.

Mundi creatio non *caſui*, ſed Deo eſt aſcribenda. f. 87. n. 171. item f. 290. n. 619. Ethnicorum hac in re error refellitur. f. 291. n. 620. aliorum quoque hæreticorum. f. 292. n. 621. & ſeqq. de mundi duratione, quanta futura ſit, plures recenſentur opiniones. f. 312. a n. 658. ad n. 661. nihil tamen certi quoad præſens punctum ſtatui poteſt. ibid.

N

NAtalis Domini dies ad quem mundi annum conſignandus? f. 306. n. 647.

Nativitas duplex, alia *in* matre, alia *ex* matre. f. 193. n. 436.

Natura creata poteſt exſpoliari propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtere ſubſiſtentia aliena creata. f. 356. n. 739.

Natura Divina nihil producit. f. 259. n. 561. & f. 264. n. 571.

Neapolis. v. Joſeph Neapolis.

Neſtorius a Concilio Epheſino I. damnatur. f. 45. num proceſſionem Spiritus Sancti a Patre tantum defenderit quoque? f. 241. n. 524.

Nicetas Sabbatarium jejunium reprobans carpitur ab Humberto Cardinali. f. 40. n. 75. & f. 42. n. 82. quo fundamento? ibid.

Nicolaus Papa hujus nominis I. num Decretales ante Siricium confirmaverit? f. 96.

Digitized by Google

f. 96. n. 194.
Noëtus hæreſiarcha quis & qualis? f. 224. n. 496.
Nomina Divina quid importent? f. 111. n. 229. quænam diſtinctio intercedat Divina inter nomina? ibid. uſque ad n. 231.
Nominales circa diſtinctionem Divinorum Nominum Eunomio accedere plerisque videntur. f. 112. n. 233.
Notiones Divinarum perſonarum quot ſint, & quænam illæ? f. 289. n. 617.
Nox, dum Sol & Luna tertio duntaxat die fuere creati, quomodo prioribus diebus habita fuerit? f. 295. n. 626.

O

OBſcura loca Scripturæ a quo explananda? f. 27. n. 46.
Ochamus. v. Guillelmus Ochamus.
Ochinus. v. Bernardinus.
Oculus corporeus ad videndum Deum elevari non poteſt. f. 135. a n. 289. ad n. 295.
Œcumenicum quid ſignificet? f. 44. n. 85. *b.*
Olympiades quid ſint? f. 304. n. 642.
Onuphrius Panvinus ſolus ſedem Petri priorem Romæ quam Antiochiæ ſomniavit. f. 57. n. 104.
Opera creationis ſex dierum recenſentur. f. 293. a n. 626. ad n. 637. item f. 338. n. 698. & 699.
Operationes quædam *ad extra*, quæ Triſubſiſtenti Deo ſunt communes, ob miſſionem ſpecialiter cur uni Perſonæ potius quam alteri ſint addictæ? f. 267. n. 579. operationes *ad extra* cujuslibet perſonæ Divinæ ſunt communes toti Trinitati. f. 267. n. 579. & f. 269. n. 582.
Oppoſitio relativa eſt neceſſaria ad diſtinctionem realem inter Divinas perſonas fundandam. f. 252. n. 551. & f. 260. n. 562. neque ad id muneris ſufficit oppoſitio *diſparata*. f. 255. n. 552.
Orientalis Eccleſia quando canones vulgo Apoſtolorum ſuſceperit? f. 40. n. 75.
Origenes LXX. Interpretum verſionem emendavit. f. 18. n. 27. quomodo ſex ex græcis verſionibus una cum hebraico textu ſimul ediderit? ibid. ſcholæ Alexandrinæ Eccleſiæ præfectus erat. f. 39. n. 74. ſeipſum deviravit. ibid. ejus de damnatis liberandis error. f. 176. n. 397. a nota hæreſis Arianæ vindicatur. f. 276. n. 595. *Paradiſum*, in Geneſi deſcriptum, myſtice pro *cælo* perperam explicat. f. 322. n. 673. homines ex æquo & per ſe pariter ac Angelos creatos fuiſſe negat. f. 341. n. 706. damnatur hic error a Concilio Lateranenſi IV. ibid.
Originalis culpa totaliter deletur per baptiſmum. f. 200. n. 455. eſt cauſſa remota damnationis reproborum. ibid.
Oſius Cordubenſis nomine Sylveſtri Papæ præfuit Concilio Nicæno I. f. 45. *a.* quis fuerit? f. 278. n. 598. *c.* in hæreſim Arianam deflexit, ſed ab ea ante mortem receſſit. ibid.

P

PAlamas. v. Gregorii Palamæ.
Palæſtini Judæi, non Alexandrini in captivitate detenti ſacram Scripturam ex hebraico in græcum verterunt. f. 20. n. 33.
Paleologus. v. Michaël Paleologus.
Panvinus. v. Onuphrius Panvinus.
S. Papias Epiſcopus Hieropolitanus Millenariorum fabulam late promovet. f. 122. n. 253. & 254. ipſius tamen fundamenta diſſolvuntur. uſque ad n. 256.
Parabola operariorum expenditur. f. 124. n. 259. & f. 139. n. 301. & 302. item f. 329. n. 685.
Paradiſus terreſtris eſt locus voluptatis. f. 321. n. 672. ejus vaſtitas. ibid. alii figurate Paradiſum pro mundo accepere; alii myſtice pro cælo; utrunq. rejicitur. f. 322. n. 673. flumina Paradiſi. ibid. *c.* ejuſque ſitus. f. 323. n. 674. eum exiſtere oſtenditur. f. 328. a n. 681. ad n. 683. duæ de Macario Abbate, & Bengala Rege fabulæ hac in re. ibid. *c.* Henoch & Elias ibi habitant. f. 328. n. 683.
Paraphraſis Chaldaica quid ſit, & an accurata? f. 17. n. 26. ni tot eſſet reſperſa fabulis, utiliſſima foret Eccleſiæ. ibid.
Particula *Filioque*. v. *Filioque*.
Parvuli, antequam Baptiſmi Sacramento frui potuerint, ex hac vita decedentes, de divina Providentia conqueri non poſſunt. f. 184. n. 418. eos intra uterum maternum adhuc exiſtentes poſſe

ac de-

ac debere, ingruente neceſſitate, baptizari defenditur. f. 191. a n. 433. ad n. 438.

Paſſionale de vitis Sanctorum apocryphum. f. 57. n. 104.

Pater in divinis cur gignat aliam a ſe in Filio perſonam, & non aliam quoque naturam? f. 229. n. 504. ſolus Pater generat. f. 239. n. 521. dicitur principium, non cauſſa. f. 269. n. 582. cur tamen Græcis permittatur, ut eum *cauſſam* vocitent. ibid. Pater & Filius, ceu unicus Spirator, ſpirant Spiritum Sanctum. ibid. n. 522. & 523. Græcorum hac de re error refellitur. f. 242. n. 527. & ſeqq. duplici Pater eſſendi modo pollet, abſoluto nempe & relativo, utroque improducto. f. 260. n. 562. qua ratione conſtituatur dicaturque a nullo. ibid. uſque ad n. 565. quomodo diſtinguatur & identificetur cum reliquis perſonis divinis, aptiſſime explicatur. ibid. n. 563. dari autem duplicem illum eſſendi modum in Deo oſtenditur. ibid. n. 564. & ſeqq. communicat divinæ ſuæ intellectioni, ut productæ, (ſeu quod idem eſt) Filio, quas poſſidebat jam illa in ſtatu eſſendi abſoluto, perfectiones reliquas totius naturæ. f. 263. n. 569. cur nunquam in ſcripturis legatur *Miſſus*. f. 267. n. 578. cur ipſi peculiariter creatio adtribuatur? f. 294. n. 624. Patris nomen ad creaturas intellectuales relatum totam Trinitatem appellat. f. 269. n. 582. in *Oratione Dominica* hoc ſenſu accipitur. ibid. duplex eſt, *eſſentiale* & *perſonale*, Patris nomen: qua perſonale, quid importet? f. 269. n. 582.

Paternitas & filiatio cur Spiritui Sancto non inſint? f. 256. n. 553.

Patres antiqui Eccleſiæ quam ſcribendi rationem tenuerint? f. 2. eorum modus docendi Theologiam. f. 6. n. 2. Patribus quam exoſum, dialecticis cavillationibus Theologiam infarcire. ibid. n. 3. ad Arianos convincendos quo fundamento nixi fuerint? f. 27. n. 46. ad ſacrorum dogmatum confirmationem ſolis divinarum literarum teſtimoniis uti ſolebant. f. 249. n. 540. SS. Patrum opera quamplures ex eruditis viris collegerunt. f. 78. n. 152. eorum autoritas in materia fidei & morum; f. 79. n. 154. in materiis ſcholaſticis & hiſtoricis, quænam? f. 80. n. 159. vindicantur plures Patrum ab errore Armeniorum circa viſionem beatificam, quem eis Vaſquez falſo impingit. f. 121. n. 251. veteres Patres erant Platonici. f. 132. n. 281. & f. 293. n. 625. cur Philoſophiam Platonicam præ Ariſtotelica amplexati fuerint? f. 182. n. 412. quomodo eſſentiam Dei explicent? f. 90. a n. 178. ad n. 185. quomodo *miſſionem* in divinis? f. 267. n. 578. eorum ſyſtema de Trinitate diverſum ab illo Scholaſticorum. f. 256. n. 553. in hoc opus arceſſitur ac late defenditur. f. 259. a n. 562. ad n. 573. Patrum ſenſus ubique exquiritur, totumque hoc opus genuinam eorum doctrinam unice reſonat.

Patres quomodo *ævum* diviſerint? f. 308. n. 651. qua ratione Angelos olim corporeos crediderint? f. 342. n. 708. Patribus in Concilio, quando quædam non ſuggerente Divino Spiritu ſubinde proferunt, quænam autoritas tribuenda? f. 343. n. 710. Patres Ante-Nicæni a nota hæreſis Arianæ vindicantur. f. 275. a n. 593. ad n. 597. ſparſim quoque in hoc opere eorum vindiciæ apponuntur; præcipue f. 121. n. 251.

Patripaſſiani quinam, eorumque errandi genus. f. 224. n. 496. & 497.

Paulli Alciati Mediolanenſis error. f. 225. n. 498.

Paullus Apoſtolus die Dominico jejunaſſe legitur. f. 43. n. 83. cur Petrum reprehenderit? f. 54. n. 96. num juriſdictionem exinde in eum exercuerit? ibid. peculiarem cui præeſſet, Eccleſiam non obtinet, ſed gentibus præficitur. ibid. n. 97. & f. 55. n. 98. qua ratione una cum Petro Romæ præfuiſſe dicatur. ibid. impugnatur Neotericus quidam Gallus, qui ſummum Pontificatum inter Petrum & Paullum conſcindit. f. 53. a n. 94. ad n. 99. contra Paullum ad Petrum appellatur. ibid. n. 95. quando fuerit martyrio adfectus? f. 57. n. 103. Deum unquam vidiſſe, dum adhuc mortali in hac vita degeret, credendus non eſt. f. 119. n. 247. ipſius epiſtolæ ſæpius citantur.

Paul-

Digitized by Google

Paullus IV. (antea Johannes Petrus Caraſa) S. *Cajetano* in fundatione Congregationis *Clericorum Regularium* ſe comitem adjungit. f. 60. n. 112. hi ab ipſo Teatinæ olim diœceſeos Epiſcopo *Teatinorum* nomen vulgo nacti fuere. ibid. male citatur ab Elia Dupin contra infallibilitatem Romani Antiſtitis. ibid. Ss. Inquiſitionis Tribunal primus erexit. f. 318. n. 666. Judæos quantum coarctaverit? ibid.

Paullus Samoſatenus quomodo circa Trinitatem erraverit? f. 228. n. 502. c. quo ſeſu vocem *homouſion* adhibuerit. f. 281. n. 603. ejus exinde damnatio. ibid.

Peccatum Angelorum *carnalem luxuriam* aliqui Patrum putavere. f. 344. n. 713. rejicitur hæc opinio. ibid. ſuperbia prima radix fuit lapſus & ruinæ Angelorum. ibid. n. 714. adferuntur ſententiæ quorundam peccatum Angelorum varie conſtituentium, & rejiciuntur inſimul. f. 345. n. 715. & 716. ſtatuitur tandem juxta *Albertum Fardellam* ex C. R. lapſum Angelorum in peccatum fuiſſe lapſum linguæ: acuerunt enim contra Deum linguas ſuas, eo quod notitiam ſecretorum cordis humani, & futurorum contingentium humanæ libertatis ipſis non conceſſerit. f. 346. a n. 417. ad n. 422.

Peccatum irremiſſibile quodnam dicatur? f. 185. n. 419.

Peccatum philoſophicum non datur. f. 89. n. 174.

Pelagius Papa cur appellari noluerit totius orbis univerſalis Epiſcopus? f. 52. n. 93.

Peraticus Euphrates autor Sectæ Peratarum ſeu Tritheitarum. f. 228. n. 503.

Perfectiones in Deo, aliæ *ſimpliciter ſimplices*, & aliæ *ſecundum quid*. f. 109. n. 226. earum aliquæ, quæ ſunt *intellectus & voluntas*, *intellectio & volitio*, duplici gaudent eſſendi modo, abſoluto uno, relativo altero. f. 260. n. 562. 563. c. & 564. nulla tamen inde entitas poſitiva ipſis adcreſcit. ibid.

Periodus Juliana explicatur. f. 305. n. 645. 646. & 647.

Perſeverantiæ finalis donum nullis meritis alligatum, ſed Deo ſoli reſervatum. f. 197. n. 447. & 449.

Perſonæ in divinis quomodo conſtituantur: ſcholaſticorum de hac re opinio. f. 256. n. 555. peculiaris idea hujus rei proponitur. f. 257. a n. 557. ad n. 562. *Albari* Cardinalis *Cienfuegos* ſententia e Patribus & Conciliis hauſta exponitur una & ſtatuitur. f. 259. a n. 562. ad n. 573. perſonarum divinarum diſtinctio ex quo colligenda? f. 260. n. 562. & 563.

S. Petrus cur primus Hieroſolymorum Antiſtes etiam dicatur? f. 54. n. 98. verba illa: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ad Petrum a Chriſto fuere dicta. f. 51. n. 93. primatum juriſdictionis obtinuit in omnes omnino chriſtifideles. f. 50. n. 87. & ſeqq. Princeps Apoſtolorum. f. 52. n. 91. totiuſque orbis univerſalis Epiſcopus rectiſſime nuncupatur. ibid. n. 93. impugnatur Neotericus quidam Gallus, qui Summum Pontificatum Petro & Paullo communem fuiſſe ajebat. f. 53. a n. 94. ad n. 99. oſtenditur, eum Romæ ſediſſe, Romanumque Epiſcopatum ad mortem uſque rexiſſe. f. 55. a n. 99. ad n. 105. quando Romam venerit? f. 55. n. 100. Simonem Magum damnavit. f. 59. n. 109. quo tempore Antiochiæ, & quo Romæ ſederit? f. 57. n. 103. quando Roma expulſus? f. 56. n. 102. & f. 57. n. 103. Panhormum venit. ibid. d. Hieroſolymitano Concilio præeſt. ibid. in urbem revertitur, martyrioque adficitur. ibid. Petri autoritas in Conciliis ab Apoſtolis & Senioribus celebratis. f. 62. n. 117. qua ratione intelligendum, quod miſſus fuerit in Samariam a Concilio Apoſtolorum. f. 63. n. 117. quot annis Romæ ſederit? f. 70. n. 136.

Petrus Lombardus Scholaſticam Theologiam apud latinos promovit. f. 7. n. 5.

Pezzo, v. Joſeph del Pezzo.

Picardus, v. Quintinus.

Piſces quinta creationis die fuere producti. f. 229. n. 634.

Philippus Valeſius Gallorum Rex ſuis ſub mortis pœna inhibet, ne Semi-millenariorum errorem tuerentur. f. 127. n. 267. quid hac ſuper re ad Johannem XXII. ſcripſerit? ibid.

Philo Judæus quo tempore, & quid de

verſio-

verſione LXX. Interpretum tradiderit? f. 19. n. 30.

Philoponus. v. Johannes Philoponus.

Philoſophia Platonica ſaniori Theologiæ utilior proditur a Cardinali THOMASIO, atque intelligendis Patribus unica. f. 132. n. 281. illa Ariſtotelis Patribus intelligendis minus accommoda. ibid. Philoſophiæ Ariſtotelis varia fortuna percenſetur. f. 145. n. 317. cur Platonica præ Ariſtotelica Patribus arriſerit? f. 182. n. 412.

Philoſophi plures de æternitate Dei ſatis recte philoſophati ſunt. f. 107. n. 221.

Photini hæreſis damnatio. f. 48.

Photius Patriarcha CP. Sedi Apoſtolicæ infenſus Græcos contra Eccleſiam latinam excitat. f. 241. n. 525. plura de eodem. ibid. & f. 46. item f. 252. n. 549.

Plato de æternitate Dei admodum recte philoſophatus eſt. f. 107. n. 221. ejus philoſophandi ratio ex fontibus Moyſis emanavit. f. 294. n. 625. v. Philoſophia Platonica. ab uno maximo reliquos propagatos fuiſſe Deos autumarunt Platonici. f. 94. n. 187. eorum circa Dei immenſitatem error. f. 105. n. 215.

Platonici Athenienſes plura ex libris Divi Dionyſii Areopagitæ excerpta loca in ſuos inſeruiſſe deprehenduntur. f. 115. n. 240.

Pneumatomachorum hæreſis contra Spiritum Sanctum. f. 246. n. 536. g.

Pœna Dæmonum vera pœna eſt, veruſque qui eos torquet, Ignis. f. 349. n. 722. modus quo torqueantur ab hujuſcemodi pœna, explicatu valde difficilis. ibid. tres Doctorum hac in re ſententiæ improbantur. ibid. n. 723. & 724. peculiarem de pœna Dœmonum adinvenit ſententiam *Albertus Fardella* ex C. R. quod nempe *hypoſtatice* uniantur cum igne. f. 350. n. 725. plures ex eruditis viris eam publice propugnarunt. f. 351. n. 727. tota iſthæc ſententia cōpendioſe exponitur. f. 352. n. 728. denique diſſertatio integra ab ipſo inventore adornata per extenſum de verbo ad verbum exhibetur. f. 353. a n. 729. ad n. 793. explicatur, qua ratione in adlato ſyſtemate vere per *combuſtionem* crucientur Dæmones? f. 381. a n. 795. ad n. 799. tormenta, quæ reſultant ex tali unione hypoſtatica ignis cum Dæmone, enumerantur. f. 383. n. 799.

Poëtæ quomodo *ævum* diviſerint? f. 308. n. 650.

Politicorum plures de Atheiſmo ſuſpecti. f. 89. n. 177.

Polytheiſmus refellitur. f. 93. a n. 185. ad n. 188.

Pontifex Romanus in ſolenni ſua inauguratione obſervantiam octo priorum Conciliorum generalium proteſtatur. f. 46. *b.* primatum juriſdictionis in omnes Chriſtifideles a Chriſto obtinuit: quodque late contra Novatores oſtenditur. f. 50. a n. 87. ad n. 94. recte totius orbis univerſalis Epiſcopus vocatur. f. 52. n. 53. cur Pelagius & Gregorius Pontifices hunc titulum reſpuerint? f. 52. n. 93. hæres non ſolum eſt Romanus Pontifex paſtoralis Petri officii, ſed & jurium eidem adnexorum. f. 58. n. 105. ejus infallibilitas defenditur. ibid. a n. 105. ad n. 114. quæ Petro qua paſtori a Chriſto dicta ſunt, Pontifices Romanos omnes concernunt. f. 58. n. 106. Romani Pontificis oraculum quanti ſemper habitum fuerit? ibid. n. 107. cur Concilia generalia cauſſas Pontificis ſententia jam abſolutas de novo quandoque diſcuſſerint? f. 59. n. 108. a ſolo Summo Pontifice, nulla accedente Concilii definitione, plures hæretici damnati, & *ut tales* habiti ab Eccleſia fuere. ibid. n. 109. cur quilibet Romanorum Pontificum ſuccedat Petro in infallibilitatis jure & generali in univerſam Eccleſiam juriſdictione, non vero ſinguli quoque Epiſcopi, quamvis ſint ſucceſſores Apoſtolorum, qui & infallibilitatem & generalem juriſdictionem habuere. f. 60. n. 110. cur Papa non ſit Scriptor canonicus? ibid. & *b.* num ſit ſupra Concilium? f. 62. a n. 115. ad n. 121. inutilia non ſunt Concilia, ſi Papa eſt ſupra Concilium. f. 64. n. 120. Pontificum Romanorum numerus a Divo Petro uſque ad præſentem. f. 70. n. 135. quot eorum ex quolibet ordine religioſo adſumti, quot faſtis Sancto-

rum

Digitized by Google

rum aſcripti, quot Græci, quot Latini. ibid. de Pontificibus quinam vaticinati fuerint? ibid. n. 136. quot futuri adhuc ſint? ibid. Papam qui quovis tempore fuit, vere & legitime fuiſſe talem, num ſit de fide tenendum? f. 84. n. *166*. epiſtolæ Romanorum Pontificum ab Iſidoro Mercatore ad Siricium uſque collectæ num ipſis adtribuendæ? f. *67*. a n. 127. & ſeqq. inepte ab Heterodoxis Pontifex Romanus, vel ſaltim ſeries illa Romanorum Pontificum creditur Antichriſtus. f. 317. n. *665*. & *666*.

Poſſibilia quomodo cognoſcantur a Deo? f. 147. n. 323. & 324.

Præadamitarum error rejicitur. f. 332. n. *689*. & *690*.

Prædeſtinatiana hæreſis ſeculo V. tempore Divi Auguſtini num vere extiterit? f. 204. a n. 451. ad n. *469*. an Concilium Arelatenſe & Lugdunenſe eam in Lucido aut in aliis deprehenderit confoderitque. f. 209. a n. *469*. ad n. 474. Gotheſcalcus Monachus qui IX. ſeculo vixit, ab hæreſis prædeſtinatianæ nota vindicatur. f. 211. a n. 474. ad n. 483.

Prædeſtinatio electorum quonam nitatur motivo? f. 193. n. 438. exponitur ſenſus harunce duarum enunciationum: *GRATIS VULT Deus ſalvare homines*, & *vult SALVARE homines GRATIS*. ibid. prædeſtinationem ad gloriam fieri poſt prævifa merita defenditur. f. 193. n. 441. & ſeqq. Patrum hac in re ſenſus. f. 195. n. 443. error Semi-pelagianorum circa prædeſtinationem carpitur. f. 198. n. 450. & 451. uti ille Calvini. ibid. a n. 452. ad n. 457. quem ordinem teneat Deus in prædeſtinando, & quomodo procedat? f. 203. a n. 458. ad n. *461*.

Prædeſtinatio gemina *ad vitam* & *ad mortem* a quibus tradita, & a quibus negata fuerit? f. 212. a n. 475. ad n. 483.

Prædicata divina. v. Perfectiones in Deo.

Prædicata notionalia. v. Notiones.

Prælium Angelorum ubi contigerit? f. 384. n. 800. qua ratione inter ſe præliati fuerint? f. 385. n. 801.

Præpoſitivus hæreticus nullam adeſſe vult in divinis perſonis conſtituentem proprietatem. f. 257. n. 555.

Præſcientia futurorum libere contingentium Deo ineſt. f. 148. n. 325. & 326.

Praxeas Patripaſſianorum coryphæus. f. 223. n. 495. & *496*.

Primatus juriſdictionis Summi Pontificis cōtra Heterodoxos propugnatur. f. 50. n. 87. & ſeqq. Neotericus quidam Gallus qui eum inter Petrum & Paullum conſcindit, carpitur. f. 53. a n. *94*. ad n. *99*.

Principes ſeculares jus convocandi Concilia non habent. f. 34. n. *61*. & ſeqq. quo titulo ad Concilia admittantur? f. 35. n. *63*.

Prioritas: quænam in divinis locum habeat? f. 281. n. *604*.

Priſcillianiſtarum circa creationem mundi error rejicitur. f. 292. n. 621. 622. & 623.

Proceſſio Spiritus Sancti a Patre & Filio contra Græcos oſtenditur. f. 239. n. 522. & 523. eorum argumentis occurritur. f. 242. n. 527. 528. & 529. quando & quam recte fuerit addita Symbolo particula *Filioque*. f. 250. n. 542. & ſeqq. quid eveniret, ſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet? f. 254. n. 551. 552. & 553.

Proceſſiones in divinis quid præſtent? f. 239. n. 521. duplex earum genus; una quæ eſt generatio activa & paſſiva: altera quæ ſpiratio activa & paſſiva. ibid. per proceſſiones conſtituitur *formaliter* libertas divinæ volitionis ſeu per intellectionem & volitionem ut libere realiter procedentes. f. 167. a n. 375. ad n. 380.

Proclus Philoſophus plura ex libris Dionyſii Areopagitæ excerpta loca ſibi appropriavit. f. 115. n. 240.

Pophetæ qua ratione Deum viderint? f. 136. n. 301. & 302.

Protagoras prima Atheiſmo fundamenta jecit. f. 89. n. 176. & *d*.

Providentia Dei ex ipſis creaturis elucet. f. 181. n. 410. ad omnes omnino homines, nullo excepto, ſe extendit. ibid. non officit divinæ providentiæ, quod juſti perſæpe deprimantur, impii vero exaltentur. f. 181. n. 411. Ethnicorum Lutheranorumque circa providentiam Dei error. f. 182. n. 412. cuicunque

cunque homini quantumvis perverſo Deus providet de auxilio ſufficienti ad ſalutem, quod nedum parat, ſed & confert. f. 184. a n. 417. ad n. 422.
Pſalmi quoſnam autores habuerint. f. 15. n. 21. *b*,
Ptolemæi Philadelphi juſſu LXX. Interpretes ſuam verſionem auſpicati ſunt, f. 18. n. 29.
Pulcheria Auguſta ſextæ actioni Synodi Chalcedonenſis non interfuit. f. 45. *c*.
Pymander Mercurio Triſmegiſto adjudicatur. f. 221. a n. 491, ad n. 495,

Q

Quadrageſimalis jejunii autor quis? f. 31. n. 55.
Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: principium hoc notiſſimum, an & quomodo conciliari poſſit cum Myſterio Trinitatis? tria placita adferuntur. f. 237. a n. 518. ad n. 521. conciliatur ad mentem *Albari* Cardinalis *Cienfuegos*. f. 238. n. 520. & f. 260. n. 564.
Quaternitatem in divinis quanam ratione ex Petri Lombardi verbis Joachimus Abbas dicatur deduxiſſe. f. 331. n. 508. & 509.
Quintinus Picardus Libertinorum hæreticorum coryphæus. f. 13. n. 16.

R

Rabbi Azarias quid de triduanis tenebris ſcripſerit, & quo tempore? f. 20. n. 32. *d*. hæc de triduanis tenebris Rabbinorum fabula quomodo originem habuerit? ibid.
Raymundus Lullus Majoricenſis autumavit, ſe rationibus evidentibus demonſtraſſe myſterium Trinitatis. f. 232. n. 511. & 512. ejus hac in re ratiocinium expenditur. f. 233. n. 512. & 513. an plures ejus articuli ab Eccleſia fuerint damnati, & quid de Eymerico, qui ipſi tam ſevere ſuccenſet, dicendum? f. 233. n. 514. 515. & 516.
Raymundus de Terraga alius a Raymũdo Lullo Majoricenſi. f. 233. n. 511. & 512.
Regio una cur altior ſit quam altera? f. 296. n. 629.
Relationes in divinis quomodo perſonas conſtituant diſtinguantque, quin aliquid poſitivum eis ſuperaddant. f. 260. n. 562. & 563. relationes *originis* dicuntur, quæ vi proceſſionum habentur. f. 266. n. 575. earum quatuor in divinis locum habent. ibid. & n. 576.
Relativæ entitates. v. Entitates relativæ.
Reprobi cur vocentur *præſciti*? f. 215. n. 482.
Riera. v. Franciſcus Riera.
Romana ſedes primaria. f. 57. n. 103. a quo & quo tempore inſtituta? ibid.
Romanæ Eccleſiæ præter Petrum num & Paullus præfuerit? f. 54. n. 97. Epiphanius quomodo hac in re intelligendus? ibid. Romani Antiſtites cur Petro & Paullo utriſque ſucceſſiſſe ſe dicant? ibid.
Romanum Epiſcopatum a Petro actum & ad mortem uſque rectum fuiſſe oſtenditur. f. 55. a n. 99. ad n. 105.

S

Sabellius hæreſiarcha quis; & qualis ejus error? f. 223. n. 495. & 497. num & Patripaſſianus dicendus? ibid. impugnatur. f. 226. a n. 499. ad n. 503.
Sadducæi Antropomorphitarum errori viam ſternunt. f. 102. n. 208. eorum quidam Angelos negavere. f. 334. n. 691. ſed rejiciuntur. ibid.
Saguens. v. Accidentia.
Sanctitas cur ſpecialius Spiritui Sancto approprietur? f. 281. n. 604.
Santes Pagninus, & ejus verſio ſacræ Scripturæ. f. 23. n. 38.
Sapientia Dei. v. Scientia Dei.
Sapientiæ liber a Semi-pelagianis ut apocryphus rejectus fuit. f. 198. n. 450.
Sapientis idea exhibetur. f. 1.
Saturninus Simonem Magum ſecutus ſeptem Angelis fabricam mundi affingit, f. 292. n. 621. rejicitur. ibid. n. 622. & 623.
Scaliger. v. Joſephus Scaliger.
Schiſmata quot fuerint in Eccleſia? f. 70. n. 135. ſchiſma Petri Leonis Antipapæ in Lateranenſi II. confringitur. f. 46. & illud Octaviani, Guidonis ac Johannis pſeudo-Pontificum in Lateranenſi III. ibid. de ſchiſmate famoſi Petri de Luna & Angeli Corarii de Pontificatu acriter contẽdentium. f. 64. a n. 121. ad n. 126. Græcorum ſchiſma.

Digitized by Google

ma. f. 240. n. 524. & ſeqq.

Scholaſticorum vulgaris opinio de entitatibus pure reſpectivis quibus quidditatem perſonarum divinarum adamuſſim explicare ſe credunt, quando & qua ratione ortum habuerit? f. 256. n. 555. rejicitur. f. 257. n. 556. Scholaſtica Theologia. v. Theologia.

Scientia Dei ad omnia omnino objecta cognoſcenda ſe extendit. f. 144. n. 315. nullum ex tanta ſcientiæ divinæ latitudine abſurdum pertimeſcendum. ibid. n. 316. variæ illius acceptiones diviſioneſque, quarum præcipua eſt in ſcientiam *viſionis* & *ſimplicis intelligentiæ*. f. 146. a n. 319. ad n. 323. poſſibilia quomodo cognoſcantur a Deo? f. 147. n. 323. & 324. eſt in Deo & ſcientia futurorum libere contingentium. f. 148. n. 325. Cicero aliique in Deo ejuſmodi ſcientiam inficiantes redarguuntur. f. 149. a n. 327. ad n. 331. Scientia Dei futurorum contingentium non recte explicatur a Thomiſtis. f. 150. a n. 332. ad n. 335. nec a Scotiſtis. f. 151. p. 335. & 336. neque a Mediſtis. f. 152. n. 337. ſed ſtatuitur peculiaris *Alberti Fardellæ* ex C. R. hac in re ſententia. f. 153. a n. 338. ad n. 348.

Scientia futurorum conditionatorum in Deo quoque datur. f. 158. n. 353. difficultas hac in re ex Auguſtino petita reſolvitur. ibid. n. 354. rejicitur ſententia illorum, qui putant Deum cognoſcere ejuſmodi futura conditionata in ſe unis ante omne decretum ipſorum indifferentiam determinans. f. 159. n. 355. & 356. illa *Fardellæ* propugnatur. f. 160. a n. 358. ad n. 361.

Sciẽtia Media quomodo explicetur? f. 146. n. 320. quæ ejus origo & progreſſus? ibid. n. 321. futurorum contingentium cognitionem in Deo non recte exprimit. f. 152. n. 337. futura conditionata non conſtituunt in Deo ſcientiam, quæ ſit *media* inter illam *viſionis* & *intelligentiæ*. f. 161. a n. 361. ad n. 367. ſcientia Dei, quæ ſit exploratrix operum conditionatorum ante prædeſtinationem, rejicitur. f. 200. n. 457.

Scotiſtæ quid de ſcientia ſeu cognitione divina futurorum contingentium ſentiant? f. 151. n. 335. & 336. impugnantur, ibid.

Scriptura ſacra quid ſit? f. 12. n. 15. cur vocetur *Biblia*? ibid. ejus autor & autoritas. ibid. prima fidei noſtræ regula eſt. ibid. quinam ex hæreticis eam rejiciant? f. 13. n. 16. eorum fundamenta convelluntur. ibid. n. 17. ſacræ Scripturæ materia quotuplex? f. 15. n. 21. ejus editiones quamplures. ibid. n. 22. & præcipue heic agitur de hebraica, nec non de Paraphraſi Chaldaica. f. 15. a n. 23. ad n. 27. de Græca. f. 18. a n. 27. ad n. 36. v. LXX. Interpretes. de Latina vulgata, ubi & de vernaculis aliorumque catholicorum editionibus, atque de illis hæreticorum. f. 22. n. 36. & ſeqq. quo idiomate fuerit primitus conſcripta ſacra Scriptura? f. 15. n. 22. & 23. igne conſumta tempore captivitatis Judæorum; & qua ratione dein ab Eſdra reſtaurata? ibid. n. 23. quot & quinam libri canonici ſacræ Scripturæ? f. 13. n. 18. 19. & 20. ſenſus ſacræ Scripturæ quotuplex? f. 24. n. 42. ejus obſcura loca a quo explananda, ſeu quis ſit Judex veri ſenſus ſacræ Scripturæ? f. 27. n. 44. & ſeqq.

Sebaſtianus Caſtalio, & ejus Baſileenſis editio ſacræ Scripturæ. f. 23. n. 39.

Secreta cordis humani. v. Futura contingentia humanæ libertatis.

Sella ſtercoraria in Summi Põtificis inauguratione quondã adhibita quid ſignificet? f. 76. n. 148. quin & alię porphyreticę duę olim adhiberi ſolitę cur & quãdo initium, quando finem habuerint. ibid. g.

Semi-millenariorum commentum refertur. f. 123. n. 256. multos habuit olim patronos. f. 124. n. 257. mature ab Eccleſia diſcutitur. ibid. impugnatur. ibid. a n. 258. ad n. 266. quid Johannes XXII. hac in re ſenſerit? f. 127. a n. 266. ad n. 270.

Semi-pelagiani quinam dicantur? f. 198. n. 450. quid de prædeſtinatione effutierint? ibid. carpuntur hac in re. ibid. n. 451. Auguſtinus acriter ipſos inſectatus eſt. f. 198. n. 450. & 451. *Sapientiæ* librum ut apocryphum habuere. ibid. n. 450. quid de ſcientia exploratrice operum conditionatorum ante prædeſtinationem ſẽſerint? f. 203. n. 457. Auguſtino ejuſque diſcipulis errorem prædeſtinatianum affinxere. f. 204. a

 n. 461.

n. 461. ad n. 465. carpuntur a Cæleſtino Papa, quod male Auguſtinum traducerent. f. 208. n. 468.

Seneca quam recte de divina Providentia ſcripſerit. f. 181. n. 411.

Senſus ſacræ Scripturæ quotuplex? f. 24. n. 42. & 43. accommodatitius num admittendus? f. 25. n. 42. quinam plurium ſacræ Scripturæ ſenſuum in explicatione ejuſdem præ alio adhibendus? ibid. n. 43. Judex veri ſenſus ſacræ Scripturæ. f. 26. n. 44. & ſeqq.

Separandi in Eccleſiis viros a feminis mos unde profluxerit? f. 116. n. 241.

Septuaginta Interpretes græcam ſacræ Scripturæ verſionem adornavere. f. 18. n. 27. de hac opus edidit Ven. JOSEPHUS Cardinalis THOMASIUS. ibid. n. 28. narratio adfertur de LXX. Interpretum verſione, ibid. n. 29. cur LXX. dicantur, quum fuerint *duo* amplius. ibid. rejiciuntur cellulæ hac in re tanquam fabuloſæ. f. 19. a n. 30. ad n. 32. de libro Ariſtææ quid? f. 21. n. 34. LXX. Interpretum translationis memoria in Pharo inſula teſte Philone, quotannis magno populi concurſu celebrabatur. f. 20. n. 31. num hæc verſio autentica, & quænam ejus autoritas? f. 22. n. 35.

Seraphim a ſplendore ita dicuntur. f. 335. n. 693.

Series Chronologica & hiſtorica Conciliorum generalium compendioſe exhibetur. a f. 45. ad f. 49.

Servetus. v. Michaël Servetus.

Severiani hæretici *collationem* cum catholicis habuere, & quænam illa fuerit? f. 117. n. 243. Tritheitarum errorem quoque profitentur. f. 229. n. 503.

Sfondratus Cardinalis (Cæleſtinus) pro ſententia de prædeſtinatione poſt præviſa merita ſæpius citatur. f. 194. n. 441. 443. & 446.

Sicilia contra Arii errores infracta ſemper ſtetit. f. 273. n. 590.

Sidera quarto creationis die formata; f. 298. n. 632. num anima locomotiva, vel etiam intellectiva gaudeant? ibid. quid Patres, quid Divus Thomas hac in re? ibid.

Signorum ordo in prædeſtinando recenſetur. f. 203. a n. 458. ad n. 461.

Similitudinem cum Deo appetiit dæmon; & quid per illam appetierit? v. Peccatum Angelorum.

Simon Magus creationem mundi Angelis adtribuit. f. 292. n. 621. refellitur. ibid. n. 622. & 623.

Simplicitas Dei qualis & quanta? f. 101. n. 206. & 207.

Simultas creationis ab Auguſtino adſerta. v. S. Auguſtinus.

Sinagoga hebræa num infallibilitatis privilegio gaudebat? f. 32. n. 57.

Sinüeſſæ urbis quæ fuerit in regno Neapolitano, nulla mentio apud Scriptores. f. 97. n. 196.

Sinüeſſanum Concilium. v. Concilium Sinüeſſanum.

Situs Paradiſi terreſtris. f. 323. n. 674.

Sixtus V. verſionem LXX. Interpretum emendari curat, cui & *decretum* appoſuit. f. 22. n. 35. quanti illud decretum habendum? ibid.

Socinianæ hæreſis origo & progreſſus. f. 225. n. 497. & 498. circa Trinitatis myſterium, quid? ibid.

Socinus. v. Fauſtus Socinus.

Sol quarta creationis die formatus. f. 298. n. 632. luminare majus cur vocetur? ibid. qua ratione fuerint habiti dies ante Solem creatum? f. 295. n. 626.

Sozomenus nullius fidei eſt, ubi Novatianis favet. f. 82. n. 163.

Spiratio æterna Patri & Filio ceu unico Spiratori competit. f. 239. n. 521.

Spirituales, non corporeos eſſe Angelos oſtenditur. f. 342. a n. 709. ad n. 713.

Spiritus privatus in explanandis obſcurioribus ſacræ Scripturæ locis contra Novatores rejicitur. f. 13. n. 16. & 17. item f. 27. n. 46.

Spiritus Sanctus a Patre & Filio ceu unico Spiratore procedit. f. 239. n. 522. & 523. Græcorum error & ſchiſma convellitur. f. 241. a n. 524. ad n. 530. particula *Filioque* quando, & num recte Symbolo fuerit adjecta? f. 250. n. 542. & ſeqq. ſi *a Filio* Spiritus Sanctus non procederet, quid ſequeretur? f. 254. n. 551. 552. & 553. in quo conſiſtat formaliter? f. 260. n. 562. 563. & 564. duplici pollet eſſendi modo, *abſoluto* nempe & *relativo*. f. 260. n. 562. & 564. ipſius cum Patre & Filio identitas

Digitized by Google

titas & diſtinctio explicatur. ibid. n. 563. Spiritus S. eſt amor ſeu volitio ipſa divina, ut procedens: quod latius oſtenditur. f. 260. a n. 564. ad n. 573. & f. 282. n. 604. & 605. item f. 284. n. 608. recte dicitur miſſus a Filio. f. 265. n. 578. tertia perſona SSS. Trinitatis cur Spiritus Sanctus vocetur? f. 281. n. 604. tertia autem eſt non poſterioritate *temporis*, ſed *originis*. ibib. ipſius *coæternitas* & æqualitas cum Patre defenditur. f. 281. n. 604. & 605. item f. 283. n. 607. & 608. contra Macedonianos ipſius divinitas demonſtratur. f. 282. & f. 283. n. 607. & 608. cur non dicatur *Filius* ſeu *genitus*? Doctorum in hac re placita examinantur. f. 284. a n. 609. ad n. 612. illud tandem *Alberti Fardellæ* C. R. ſtatuitur. f. 286. n. 612. & ſeqq. cur Spiritui Sancto peculiariter adtribuatur *Sanctitas*. f. 281. n. 604.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas: quis hujus loci ſenſus? f. 294. n. 625.

Stephanus Papa adverſus Cyprianum de rebaptizandis hæreticis quid ſtatuerit? f. 40. n. 74.

Stoicorum error circa divinam immenſitatem. f. 105. n. 215.

Subſiſtentia divina. v. Hypoſtaſis.

Subſiſtentia propria fuiſſe Dæmones in pœnam peccati a Deo exſpoliatos, & indutos illa ignis ex *Alberto Fardella* C. R. demonſtratur. f. 352. a n. 728. ad n. 794. ubi ſparſim plura occurrunt dicenda de ratione ſubſiſtentiæ.

Subſtantia ſupernaturalis, ſive exigens connaturaliter viſionem Dei, poſſibilis non eſt. f. 129. n. 273.

Sufficiens gratia. v. Gratia Dei.

Summam ſuam Divus Thomas paullo ante mortem conſcripſit. f. 298. n. 632.

Superbia prima radix fuit lapſus & ruinæ Angelorum. f. 344. n. 714. & f. 348. n. 721.

Supernaturale ſeu ſupernaturalitas in quo conſiſtat? f. 129. n. 274. *Alberti Fardellæ* C. R. hac in re opinio. f. 130. a n. 275. ad n. 278.

Sybillæ ſecretiora fidei Chriſtianæ monumenta reſervere. f. 222. n. 492. Sybillæ Erythrææ de Pontificatu Petri vaticinium. f. 55. n. 100.

Symbolum Apoſtolorum quando & quo fine confectum? f. 38. n. 69. varie pro variis Eccleſiis olim recitabatur. ibid. n. 70. huic plura addidit Concilium Nicænum I. f. 252. n. 545. Chriſti deſcenſus ad inferos cur in Symbolo Nicæno prætermittatur, quum in illo Apoſtolorum habeatur? f. 30. n. 53. & f. 38. n. 70. & 71. Niceno Symbolo poſtea Conſtantinopolitanum Concilium plures voces, explicationis ergo, adjecit. ibid. particula *Flioq.* quando addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano. V. *Filioque*. Symbolum novum aut additionem ad Symbolum fieri quo ſenſu fuerit ab Epheſino Concilio inhibitum? f. 249. n. 539. item f. 252. a n. 544. ad n. 548. quod & Chalcedonenſe inhibuit. ibid.

Symbolum vulgo Athanaſianum eſſe genuinum Divi Athanaſii partum oſtenditur. f. 246. n. 535. & ſeqq.

Symmachus, & ejus græca verſio ſacræ Scripturæ. f. 18. n. 27.

T

TAlmud quando confectum? f. 17. n. 25.

Tatianus Syrus Encratitarum ſeu continentium ſectæ caput de pœnitentia primorum parentum male audit. f. 332. n. 688.

Teatini: cur Clerici Regulares ita dicti ſint? f. 61. n. 112. ipſis cura Breviarii corrigendi a Clemente VII. demandatur. f. 98. n. 198.

Templariorum ordo extirpatur. f. 47. eorum crimina vera, non ficta. ibid. *b.*

Temporis varia diviſio adfertur. f. 307. a n. 649. ad n. 652.

Terra quando creata? f. 295. n. 626. quid Auguſtinus nomine *terræ* intelligat? ibid. V. Arida.

Terræ Sanctæ recuperatio. f. 47.

Tertullianus in Millenariorum errorem incidit. f. 122. n. 253. ab errore Antropomorphitarum vindicatur. f. 102. & 103. n. 212. uti & a nota hæreſis Arianæ. f. 276. n. 596.

Teſtamentum vetus & novum ſacræ Scripturæ quo idiomate conſcripta primitus prodierint. f. 15. n. 22.

Thaleja Arii liber vilis, impurus, & crapularius. f. 272. n. 587.

Thale-

Digitized by Google

Thalétes recte de Divina immenſitate ſenſit. f. 105. n. 215.

Thare cur 205. ætatis anno obiiſſe dicatur, dum ſeptuageſimo apparet genuiſſe Abramum, qui quintum ſupra ſeptuageſimum agens paterno funeri juſta ſolvit? f. 311. n. 655.

Theodoritus quis & quo ſeculo vixerit? f. 240. n. 524. Græcorum erroris de proceſſione Spiritus Sancti primus architectus. ibid. de eo alia quædam. f. 241. n. 524. & f. 243. n. 529.

Theodoſiani hæretici quid circa Trinitatem ſenſerint? f. 229. n. 503.

Theodotio, & ejus græca ſacræ Scripturæ verſio. f. 18. n. 27.

Theologia non latuit ipſos quoque Philoſophos Ethnicos. f. 6. n. 1. ejus nomen, origo, & progreſſus. f. 6. n. 1. & ſeqq. dividitur in *naturalem* & *revelatam*. ibid. quid Poſitiva, quid Scholaſtica ſit? ibid. n. 2. dialecticæ cavillationes ab ea longe abigendæ. f. 7. n. 3. ſcholaſtica perutilis eſt, ſi ſobrie decurratur. ibid. n. 4. inſtitutores ſcholaſticæ quinam fuerint? f. 7. n. 5. ejus abuſus reprobatur, & uſus probus commendatur. f. 8. n. 6. & 7. Dogmatica autem maxime colenda. f. 9. n. 8. & 10. Theologiæ objectum. f. 10. n. 12. eſt proprie ſcientia, immo & ſapientia. f. 11. n. 13. Theologia noſtra eſt ſupernaturalis. ibid. in patria an ſit perſeveratura. ibid. Theologia hæreticorum quænam? ibid.

Therapeutæ qui, quæ eorum diſciplina, & a quo inſtituti? f. 116. n. 241. & *f.*

S. Thomas Aquinas num ſenſerit, ſidera habere animam *intellectivam*. f. 298. n. 632. ejus Summa & doctrina commendatur. f. 7. n. 5. v. *Summam*.

Thomas de James vulgatam latinam ſacræ Scripturæ editionē reprobat. f. 23. n. 37.

Thomaſius. v. Joſeph Cardinalis.

Thomiſtæ quid de ſcientia divina futurorum contingentium? f. 150. a n. 332. ad n. 335. rejiciuntur. ibid. diſtant longiſſime a Calvino & Janſenio. f. 151. n. 334. & f. 217. n. 486.

Timotheus Patriarcha Alexandrinus num in Concilio Conſtantinopolitano I. legatum Damaſi Papæ egerit? f. 45. *b.*

Traditio Apoſtolica quid ſit, & an detur? f. 28. n. 48. & ſeqq. ſolvuntur difficultates Novatorum contra eam. ibid. & f. 29. n. 52. & 53. eſt regula fidei & morum. ibid. n. 49. & f. 29. n. 50. ſacræ Scripturæ æquiparatur. f. 29. n. 50. hæreſes plures traditione confixæ. ibid.

Traditiones Eccleſiaſticæ quænam? f. 30. n. 54. poſſunt diſſolvi. ibid. ſunt variæ. ibid. *c.* diſcrimen inter has & divinas. f. 31. n. 54. & inter Eccleſiaſticas & Apoſtolicas. ibid. n. 55. regula pro traditionibus diſtinguendis. ibid.

Trapezitæ. f. 44. n. 84.

Tremellius & Junius Genevenſis Bibliorum editionis autores. f. 23. n. 39.

Trinitariorum hæreſis origo & progreſſus. f. 223. a n. 495. ad n. 499. impugnatur. f. 226. a n. 499. ad n. 503.

Trinitatis myſterium explicatur. f. 219. n. 487. quid vetus teſtamentum de eo? f. 220. n. 488. quid novum? ibid. Ethnici ignari prorſus hujus myſterii haud videntur. ibid. n. 489. Mercurius Triſmegiſtus quid de illo ſcriptis conſignaverit? f. 220. n. 489. & f. 221. n. 491. Sabellianorum in Trinitatem error impugnatur. f. 223. n. 495. & ſeqq. uti & ille Tritheitarum. f. 228. a n. 503. ad n. 506. tria placita adferuntur circa conciliationem myſterii Trinitatis cum noto principio: *quæ ſunt eadem uni tertio*. f. 237. a n. 517. ad n. 521. & f. 261. n. 564. Trinitatis myſterium quomodo explicetur a ſcholaſticis. f. 256. n. 555. peculiaris ad illud explicandum idea ſuppeditatur. f. 257. a n. 557. ad n. 562. ſyſtema tandem Cardinalis *Cienfuegos*, quod de Trinitate ad mentem Patrum & Conciliorum texuit, examinatur una & propugnatur. f. 238. n. 520. f. 256. n. 554. & 555. f. 259. a n. 562. ad n. 573. item f. 266. n. 574. *a.*

Tritheitæ hæretici quinam; a quo & quando eſſe cœperint? f. 228. n. 503. impugnantur. f. 229. a n. 503. ad n. 506.

Trivia gentilium Dea. f. 227. n. 500.

Tyro-Proſper Semi-pelagianis adnumeratur. f. 205. n. 461.

V

V*Acare in Prophetis*, quid ſit? f. 1.

Valentiniana novella in favorem primatus Romanæ Eccleſiæ. f. 52. n. 92. qua de cauſſa fuerit edita? ibid.

Valen-

Digitized by Google

Valentini Gentilis Calabri hæretici in Trinitatem error. f. 225. n. 498. ejus ſupplicium. ibid. e.

Valentinum Concilium. v. Concilium Valentinum.

Vaſquez carpitur, quod Patrum quampluribus Armeniorum de viſione beatifica errorem audacter impingat. f. 121, n. 251.

Vaticinia de Summis Pontificibus plures edidere. f. 70. n. 136.

Velum calicis cur in principio Miſſæ duntaxat, & non in fine demittatur ad tegendum totum calicem. f. 227. n. 500.

Ventimiglia. v. *Antoninus Ventimiglia*.

Verbum divinum non diſtingueretur a Spiritu Sancto, ſi relationis oppoſitio inter ipſos non intercederet. f. 254. n. 551. Verbum formaliter eſt intellectio ipſa eſſentialis, ut realiter producta, ſemoto omni alio poſitivo ſuperaddito. f. 260. n. 563. & 564. latius hoc idem oſtenditur. f. 261. a n. 565. ad n. 569. Verbum ſolum adſumſit naturam humanam. f. 263. n. 570. & f. 268. n. 580. quod explicatur ſecundum poſitam doctrinam noſtram de *Trinitate*. f. 263. n. 570. Verbum cur dicatur *genitum*, & inde Filius; non vero Spiritus Sanctus. v. Spiritus S.

Vernaculæ cujuſvis regionis ſacræ Scripturæ editiones quanti habendæ? f. 23. n. 38. Kemnitius eas falſo a Concilio Tridentino inhibitas propalat. ibid.

Verſiones ſacræ Scripturæ. v. Scriptura ſacra.

Vigilius Tapſenſis quis? f. 247. n. 537. cur opuſculis ſuis variorum Patrum antiquorum nomina præfigere conſueverit? f. 115. n. 239. & f. 247. n. 537. Athanaſianum Symbolum ei quidam falſo aſcribunt. ibid.

Virginitas perpetua B. MARIÆ ſatis ex *traditione* nobis conſtat. f. 30. n. 53.

Virorum conſervare narrationem, quid ſit? f. 1.

Virtus Dei creatrix. f. 293. n. 625.

Virtutes infuſæ cum Theologales tum morales quid præſtent? f. 130. n. 276.

Viſibilium omnium & inviſibilium: cur Patres Nicæni verba hæc Symbolo addiderint? f. 99. n. 200.

Viſio Dei poſſibilis oſtenditur. f. 118. n. 244. & 245. nonniſi poſt mortem de lege ordinaria hominibus conceditur. f. 119. n. 246. nec ulli viatorum tanta unquam ſors obtigit, ſi MARIAM Virginem excipias, ibid. n. 247. & 248. Patres in Anomæis viſionem naturalem intuitivam & comprehenſivam impugnavere. f. 121. n. 251. Armeniorum circa viſionem beatificam error convellitur. f. 120. n. 250. & 251. Millenariorum fabula exploditur. f. 122. a n. 252. ad n. 255. uti & Semi-millenariorum commentum. f. 123. a n. 256. ad n. 266. viſio Dei viribus naturæ obtineri non poteſt. f. 128. a n. 270. ad n. 272. creaturis ſanctis unice conceditur. f. 130. n. 276. oculus corporeus ad videndum Deum elevari non poteſt, nec obedientiali quidem potentia cujuslibet ad quodlibet, f. 135. a n. 289. ad n. 295. viſio Dei obtinetur inæqualiter ſecundum opera majori vel minori præmio digna, f. 138. a n. 295. ad n. 299. error Joviniani perſtringitur, f. 139. n. 299. & ſeqq. inæqualitas viſionis unde oriatur? f. 140. a n. 303. ad n. 307. quid quiſque Beatorum videat de objecto, explicatur. f. 141. n. 307. & 308. major vel minor beatitudo ex majori vel minori penetratione divinæ eſſentiæ derivatur. f. 142. n. 310.

Ulrichus Velenus impugnatur, qui negat, Petrum Apoſtolum in Romano Epiſcopatu ſediſſe, quin & Romæ vixiſſe, aut ibi fuiſſe mortuum, f. 55. n. 99.

Unio hypoſtatica quid præſtet? f. 130. n. 276. & f. 133. n. 283. c. item f. 353. n. 730. & ſeqq. dæmon hypoſtatice unitur cum igne, ut pœnam ab eo recipiat, v. Pœna dæmonum.

Unitas Dei contra Polytheiſtas defenditur. f. 93. a n. 185. ad n. 188.

Univerſi ſtructura Deum ipſum creatorem habuit. f. 290. n. 619. Ethnicorum hac in re error refellitur. f. 291. n. 620. aliorum quoque hæreticorum, f. 292. n. 621. 622. & 623.

Volitiones divinæ. v. Voluntas Dei.

Volucres quinta die creationis productæ. f. 299. n. 634. fuere ex aqua factæ. ibid.

Voluntas Dei multipliciter accipitur dividiturque. f. 164. a n. 367. ad n. 370. voluntatis divinæ libertas, v. Libertas voli-

Digitized by Google

volitionis divinæ. Actus divinæ voluntatis ſunt æterni; & qua id ratione ſe habeat. f. 170. n. 383. & 384. Vorſtii hac in re error. f. 171. n. 385. & 386.
Voluntas Dei *ſalvandi omnes* non reſtringenda. f. 172. n. 387. & 388. ſed extendenda ad omnes, & ſingulos quoſq. homines, etiam inſideles. ibid. n. 388. & 389. generalis iſthæc voluntas explicatur. f. 173. a n. 390. ad n. 393. difficultates quoque reſolvuntur. ibid. voluntatem ſalvandi omnes, Adamo peccante, Deus adhuc habet. f. 194. n. 442. e. & f. 200. n. 455.
Vorſtius. v. Conradus Vorſtius.
Uteri natura & conditio deſcribitur, ubi de baptiſmo num infantibus intra uterum degentibus impertiri queat, ſermo habetur. f. 192. n. 434. & 435.
Waldenſium hæreſis proſcripta. f. 46.
Wicleffus. v. Johannes Wicleffus.

Z

Zacharias Papa quid de Antipodis? f. 302. n. 639.
Zanchius Calviniſta Calvini de prædeſtinatione ſententiam novis pigmentis obducit. f. 199. n. 453.
Zephyrinus, Papa num Canonum Apoſtolorum meminerit? f. 41. n. 77.

FINIS.



INDI-

INDICULUS
INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM VETERUM PATRUM

JOSEPHI MARIÆ

THOMASII

S. R. E. Cardinalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cariſſimo, & ſinceriſſimo, ac obſequendo Fratri Johanni Mabillonio Monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Joſephus Maria Thomaſius Presbyter Congr. Clericorum Regularium ſalutem in Domino.

AMicorum munera non ex precio rerum, ſed ex animi voluntate ſunt æſtimanda; quare non vereor, ne munuſculum hoc meum, rudem ſcilicet delineationem Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum, aſperneris & reſpuas: quum id ex magna benevolentia quam habeo erga te, proficiſcatur. Amice amicum muneror, ſed quia tenuiſſimus in re literaria locupletiſſimum; iccirco jure amicitiæ munus hoc a te repoſco cum fœnore: quod tum mihi reddes; quum id ipſum ruditate deterſa expoliveris, auxeris, perfeceris. Quod ſi judicium quoque meum probaveris de novi operis utilitate, quod hoc Indiculo tantummodo indicavi; quam tibi gratiam habebit Eccleſia, nedum ego, ſi opera tua id effeceris, ut per tuæ Congregationis Monachos doctiſſimos Patrumque amantiſſimos id operis efficiatur? Certe niſi via aliqua excogitetur, quei a prima juventute Eccleſiaſtici inſtituantur in lingua & doctrina Patrum per Magiſtrorum prælectiones & explicationes, propriumque laborem & ſtudium; difficillimum erit (ut experientia non ſine proborum dolore demonſtrat) poſt exactam bonam ætatem in ſolis recentiorum commentariis, tum primum adire Patres, quum exhauriri cœperint vires inge-

ingenii; quum variis jam curis, & occupationibus ab illis divellantur, ac diſtrahantur; & nulla pene ſpes remaneat conciliationis animorum cum Patribus, præter nudam reverentiam exhibitam e longinquo. Memini me dicere Em. Cardinali de Aguirre piæ mem. ſi repueraſcerem, alio me prorſus modo meа ſtudia inſtituturum; mihique optimum Cardinalem candide reſpondere; ſe quoque rem menti meæ conſimilem facturum. Hæc ſunt, quæ commemoranda duxi prudentiæ tuæ, reliquum eſt, ut opus quod ego paucis verbis adumbravi, tu facias, atque efficias ut inſtituatur, & conficiatur. Vale, meque chriſtiano amore dilige, mei memor in orationibus tuis ad Deum. Anno MDCCI. ante XIV. Kal. Decembris. Romæ.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NON immerito quiſpiam admirabitur, cur poſt complura edita Theologiæ ſummaria quibus in ſacra doctrina vel inſtituantur juvenes, vel provectiores ætate in memoriam revocent compendio temporis, quæ longo olim tempore didicerunt; nemo hactenus curarit ſeligere, & in unum veluti corpus redigere præclara hujus generis opuſcula Veterum Patrum, quæ ſummatim comprehendunt præcipua ſacræ Doctrinæ capita; quibus profecto opuſculis nihil magnificentius de rebus altiſſimis, quantum poteſt captus hominum Divina irradiante luce; nihil pro chriſtiana modeſtia temperatius de ineffabilibus myſteriis, quæ vix licet homini loqui; nihilque accommodatius ad inflammandam pietatem & amorem in Deum, in poſterioris ævi ſcriptis nunc uſque comparuit. Sed tametſi illa recentiora exacuendis armandiſque ingeniis ad diſceptationes conflictationeſque Scholarum ſint idonea; ſuamque utilitatem habeant, ſi ſobrie & pie ex locis Theologicis materias tractent ac bona methodo digerant: ut plerique ex Scholaſticis fecerunt eruditiſſimi viri; antiqua tamen opuſcula Patrum ad gravitatem ſanctimoniamque divinarum rerum quibus imbuendus eſt animus Chriſtianus, longe ſunt aptiora. Hæc non perſtrepentis torrentis inſtar, grandi impetu arentes agros non tam fœcundantis, quam ſternentis; ſed velut *aquæ Siloë, quæ vadunt cum ſilentio*, [a] quo lenius decurrunt, eo profundius perfundunt, uberiuſque fœcundant hominum mentes. Eam enim dicendi rationem modumque tenent, qualis cæleſtem decet ſapientiam: *quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.* [b]

[a] Iſa. cap. 8. verſ. 6.

[b] Jacob. cap. 3. verſ. 17.

Et

Et certe modum dicendi ſi ſpectes planum, & ut ita dicam, narrativum, quem Patres in ſuis adhibuere libris ſine ratiunculis pugniſque verborum, ſine contortulis & minutis concluſiunculis, & (ut cum Tullio loquar) ſine ſpinis diſſerendi, partiendi atque definiendi juxta præcepta diſſerendi, quæ & Ariſtoteles plurima tradidit, & poſtea qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt; is ſane modus æque facillimus atque utiliſſimus eſt in tradendis diſciplinis: quem neque noſtrates tantummodo, ſed ipſi etiam exteræ ſapientiæ homines, magiſtrique Dialecticæ artis in ſuis quoque ſcriptis ſervavere: ſic Plato, ſic Ariſtoteles, ſic Cicero, totuſque Philoſophorum cœtus tum Græcorum tum Latinorum ſcripſerunt. Ut enim vera ſapientia non tam in verbis, quam in rerum intelligentia & contemplatione ſita eſt: ita ſedatum ſerenumque animum, ceu purgatum oculum, nec contentionum fumo obtenebratum poſtulat. Hoc nanque modo blandius ſeſe ingerit veritas, tenaciuſque adhæreſcit, ad intimas uſque medullas pervadit, totamque ad ſe vocat aciem mentis; ſecus ac accidit in litigioſis diſputationibus & tricis: ubi divulſis animi viribus, dum pugiles acrius arma conſiderant, quibus pugnant, vel impugnantur, ſuaque exacuunt, & aliena propulſant; rem ipſam quam propugnant turbida jam mente tantum non obliviſcuntur. Sic etiam, qui in vepribus & dumetis flores legunt & roſas, quum ſpinas ne pungantur cavent attentius, ſuavitatem odorum qui afflantur e floribus, qua ſeſe oblectent & recreent, minus ſoliciti curant.

Præter hunc antiquum diſſerendi ſtylum, præterea ſi tibi obverſetur ante oculos Autorum dignitas & autoritas, qui hæc opuſcula condiderunt, tantum illi recentioribus ſcriptoribus præſtant, quantum Patres filiis, Magiſtri diſcipulis: *Non eſt enim diſcipulus ſuper Magiſtrum.* a Ut propterea ſummis ſit votis optandum, *ut convertatur cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*, b per quos veluti per intermedios canales Apoſtolicarum ad nos traditionum fluenta manant: eorumque unanimi conſenſu divina dogmata diſcimus, quæ Apoſtoli ore docuerunt *conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* c

a Matth. cap. 10. verſ. 24.
b Malach. cap. 4. verſ. 5.
c Ad Hebræos cap. 2. verſ. 4.

Itaque ſi qui viri pii doctique collecta undique iſtiuſmodi opuſcula Patrum ſimul ederent; & ad informanda legentium judicia brevibus in inferiore margine libri notationibus paullo abſtruſiora explicarent, quemadmodum SS. Thomas & Bonaventura brevibus explanationibus illuſtrarunt Textum Magiſtri Sententiarum; indicatis quoque poſterioribus Eccleſiæ definitionibus, ubi id fieri poſtulat regula Fidei; ac copioſo demum indice, non ordine alphabetico, ſed filo doctrinæ per varia, ſed connexa quæſtionum genera ducto ad metho-

Digitized by Google

thodum Summæ S. Thomæ; quo promtius in quavis propoſita quæſtione inveniatur, quod quæritur: hi certe operam darent egregiam publicæ ſtudioſorum doctrinarum Theologicarum utilitati, ſive in Seminariis & Collegiis, ſive in privatis domibus Clericorum, ut haberent ſenes cum junioribus, quod diurna nocturnaque manu maximo totius Eccleſiæ bono verſarent ad extremam uſque ſenectam.

Interim ut primoribus labris aliquid guſtent ſtudioſi ex hoc genere doctrinæ, expono Indiculum hunc ante complures annos privato uſui meo confectum, nunc vero expolitum, Opuſculorum Veterum Patrum; quæ univerſam ferme complectuntur Theologiam theoreticam, & practicam. Qua in re imitatus Theodoritum Epiſcopum Cyri, qui ſimul junxit Hæreticarum fabularum compendium, & Epitomen Divinorum Decretorum; libellos utriuſque generis ſelegi, & qui ſacra noſtræ Religionis dogmata docent; & qui adverſos pugnanteſque hæreticorum errores detegunt; ſic enim fiet, ut monſtroſis figmentis hominum viſis, divinæ pulchritudo veritatis refulgeat magis, vitatiſque ab hac parte gurgitibus & voraginibus, illinc rupibus & præcipitiis, Spiritu nos Sancto ducente manu Eccleſiæ matris noſtræ, recte ducamur in omnem veritatem.

Ceterum quo utilior lecturis ſcripta veterum Patrum noſter hic prodeat Indiculus, non alienum duxi, aliquas ex multis quæ adferri poſſent, hoc loco præmittere monitiones, quæ maxime conducunt rectæ intelligentiæ Patrum, ut paratior ſit animus legendis.

I. Solent Patres uſurpare vocabula, modoſque loquendi in ea ſæpiſſime ſignificatione verborum, quæ in divinis Literis habetur. Exempli cauſſa, *Eutrapeliam* Ariſtoteles quidem inter virtutes collocat, ſed Apoſtolus inter vitia; quod enim Latinus interpres dixit *Scurrilitatem*; Græcus ſermo quo ſcribebat Apoſtolus, habet *Eutrapeliam*. a Horum utrum ſequerentur Patres in hujus vocis uſu, Philoſophum ne? an Apoſtolum? Certe qui in Scripturis ſanctis inſtituti erant, quum ad populum verba facerent aſſuetum non ſcholæ Athenienſi Philoſophorum, ſed Hieroſolymitanæ ſcholæ Apoſtolorum, aliter non intellexerunt hoc vocabulum, quam quomodo intellexit Apoſtolus; nec velut ambiguum explanaverunt, ſed abſolute damnarunt. Lege S. Jo. Chryſoſtomum hom. 6. in Matthæum in parte morali, & in Epiſtolam ad Epheſios, & Theodoritum in eandem Epiſtolam Græce, prout ipſi ſcripſerunt.

a Ad Epheſ. cap. 5. verſ. 4.

II. Quum ſcirent Patres cum Apoſtolo ſeſe debitores eſſe ſapientibus & inſipientibus, ſcriberentque non ad inanis gloriolæ auras aucupandas, eo de Religione ſtylo diſſerebant, ut a doctis pariter & ab indoctis intelligerentur. Quare vocabula, modoſque loquendi ex communi uſu popularique ſermone deſumebant; popularibuſque pati-

Digitized by Google

patinis divini verbi cibum dabant tempore opportuno. Id quod valde notandum eſt in lectione Patrum: in qua fortaſſis non nemo hodie offenditur iis, quæ antiquitus inoffenſis auribus a Chriſtiana plebe audiebantur: tunc nimirum, quando vocabula Patrum ad Ariſtotelis officinam non deferebantur ponderanda quanti valerent. Exempli gratia, utuntur aliquando Patres vocabulo *Neceſſitatis* in rebus quæ ex libero fiunt arbitrio: hac adhibita regula, nihil offenſionis accidit: quum vulgus populariſque ſermo dicat damnans ſimul, & aliquo pacto excuſans: Pauper hic *neceſſitate* compulſus furatus eſt, quia fame laborabat. Ad hunc modum loquitur S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. II. Sententiarum cap. 22. ſub hoc titulo: *De peccandi neceſſitate*. Præterea SS. Baſilius & Jo: Chryſoſtomus, Liturgiæ, & Eccleſiaſtica officia Græcorum & Orientalium diſcrimen ponunt inter voluntaria peccata atque involuntaria: id quod nemo mirabitur, quaſi homo non ſua ſponte & voluntate, ſed vera & quaſi fatali neceſſitate culpam aliquando committat. Loquuntur ſiquidem Patres & Eccleſiaſticorum officiorum autores abſolute conſuetudine vulgi; ſed ex contextu pluribuſque locis collatis apparet, ab illis peccata involuntaria appellari, quæ a Scholaſticis, adhibitis paucis voculis dicuntur: *Voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundum quid*, ſive nitidius, *aliqua ratione involuntaria*: nimirum quæ vel dolore vel terrore premente ab homine fiunt. Sic S. Jo: Chryſoſtomus hom. 6. in Matthæum negationem Chriſti peccatum appellat involuntarium; quia terrore vel dolore cruciatuum extorqueri ſolet ab hoſtibus fidei Chriſtianæ. Qua in re bene conveniunt Patres cum filiis, magiſtri cum diſcipulis. Hæc & alia complura locutionum terricula nemo non dicet, niſi qui puer eſt, qui ſapientiam Antiquorum non exquiſivit, qui linguam Patrum non didicit: qui ſi in eorum congreſſionem & longam familiaritatem ſeſe dederit, & eorundem linguam intelliget, & vera ſenſa tenebit. Ex hac animadverſione ultro ſe offert ratio, quamobrem Theologica ſcripta Patrum in omnium olim manibus haberentur, & haud magna difficultate intelligerentur a quovis, dummodo inferiora rudimenta liberalium artium didiciſſet, & ſano prudentique judicio præditus eſſet: quum recentiora e contra ſcripta Scholaſticorum viri ceteroqui ſani judicii, prudentes doctique in Eccleſiaſtica hiſtoria ſanctiſque Conciliis, & Canonici Juris profeſſores, nec primoribus labris guſtent, nec extremis digitis attingant; ſed ſoli Scholaſtici legant, ſolique Scholaſtici, ſi tamen omnes, intelligant; immo ſi ipſimet acutarum quæſtionum autores, quæ argutiſſime tractant, intelligant, ut feſtive dicebat Theologus eximius Melchior Canus. [a] Certe hic non aliam video rationem, quam quod altuſmodi ſit ſtylus Patrum, ac Scholaſticorum: ille planus aptatus ad omnes,

[a] De Locis Theol. lib. 10. cap. 7.

Digitized by Google

nes, hic ſubtilitatibus, acuminibus, ac tricis refertus, reſervatus ad paucos.

III. Quoniam popularis uſus aliquando caret vocibus ac locutionibus, quæ alioqui neceſſariæ ſunt ad tractationem ſcientiarum & diſciplinarum : hinc quum neceſſe haberent Patres iſtiuſmodi locutiones uſurpare, quas ex vulgi conſuetudine expromere non poſſent; tum utebantur formulis dicendi, quæ Platonicis maxime uſu veniebant. Quæ enim illi a juventute in diſciplina Platonica quæ tunc temporis florebat, imbiberant; haud ægre quum opus eſſet, erumpebant in ætate matura. Porro quum impræſentiarum jaceant inſtituta Platonica; & Ariſtotelem cuncta reſonent gymnaſia: quid mirum ſi minus intelligantur quandoque Patres; ſi quæ illi didicerunt, plerique omnes ignorant? Animadvertit hoc alicubi S. Thomas, quum locum quendam S. Auguſtini explicans, illum dicit locutum fuiſſe more Platonicorum. Certe phraſis illa, quam beatus Auguſtinus & nonnemo Græcorum Patrum uſurpant, creaturam ſcilicet rationalem eſſe, v. g. ſapientem, juſtam, ſanctam &c. *participatione*; hæc, inquam, phraſis tota Platonica eſt. Qua quid Plato intelligeret, vide apud Proclum lib. 2. comment. in illius Timæum. Ex quo diſcimus Patres ex uſu Platonis dixiſſe creaturam eſſe *participatione* ſapientem, juſtam, ſanctam &c. quia non ex propria ſubſtantia vel ex ſe ipſa habet ſapientiam, juſtitiam, ſanctitatem &c. ſed a Deo, qui per ſe ſapiens eſt, juſtus & ſanctus, ſive, qui eſt ipſamet primaria ſapientia, juſtitia & ſanctitas & fons omnis ſapientiæ, juſtitiæ atque ſanctitatis. Ob eam cauſſam multo præſtaret adoleſcentibus aggreſſuris ſuo tempore ſolidæ Theologiæ ſtudia, primis lineamentis ac rudimentis *Philoſophiæ Platonicæ* informare animos ex Alcinoi ſaltem ad Platonis doctrinam Inſtitutione, vel alio quopiam Platonico; ut ne imparati inveniantur, quum aliquid occurrerit Platonicum in libris veterum Patrum.

IV. Ante pleniorem alicujus dogmatis diſcuſſionem & Judicium Eccleſiæ, ad quam tanquam ad Judicem pertinet definire controverſias de Fide & moribus Chriſtianis, aliter quandoque aliqui ex Patribus ſenſerunt, quam veritas poſtulat. Ad quam rem demonſtrandam vel unicus ſufficit Auguſtinus glorioſiſſimus triumphator inimicorum gratiæ Chriſti: qui ad exordium uſque ſui Epiſcopatus in ea fuit ſententia, quam poſtea, re diligentius perpenſa, in Semi-pelagianis ſumma vi & ſapientia damnavit.

V. Quum locum aliquem vel Scripturæ vel Dogmatum Patres verſant, ſæpe illum tanto apparatu tantaque copia dicendi premunt atque urgent; ut aliquantulum deflectere videantur de aliis Dogmatibus & Virtutibus. Agnoverunt & hoc ipſimet Patres; qui propterea Apologias pro ſe ipſi ſcripſerunt. Sed & iſtud non eſt negotium ma-

magnum; ſi plura ſimul conferantur loca ejuſdem Patris; ex quibus plane conſtabit, ſic unum adſtrui, ut aliud non deſtruatur. Ita quoque uſu venit in dies: ſi concionatorem hodie audieris de miſericordia Dei verba habentem ad populum, fortaſſe illum diceres oblitum terribilis juſtitiæ Dei; cujus juſtitiæ ſeveritatem ſi craſtino die idem ille pertractaverit, rurſum illum putares immemorem pridiani ſermonis. Quid igitur? Utrunque junge ſermonem, & ex duobus uno conflato, cum Pſalmiſta dices ad Deum; *Miſericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.* [a]

[a] Pſalm, 100. verſ. 1.

Ex pluribus amplioribuſque obſervationibus haſce tantulas excerpſiſſe ſufficiat, quas mihi nunc memoria ſuggerit ex quantulacunque lectione Patrum. Digitum tantum intendi ad id genus animadverſionum; relinquens viris doctis in regno cœlorum, ut proferant de theſauro ſuo novas de veteribus ſcriptis monitiones ſuas. Unum reſtat, de quo moneatur, qui lecturus eſt Patres; ut ſcilicet id faciat depoſitis præjudicatis opinionibus privatarum Scholarum atque factionum; idque ſolum attentiſſime quærat, ut vera ſenſa Patrum aſſequatur, eo modo quo Scytha, Perſa vel Indus, qui Scholarum noſtrarum privata diſſidia non noverunt, Patres legerent animo ſimplici, nulli partium ſtudio addicti. Itaque nullius ſit partis, cui ad ponderanda dicta Patrum non minimam partem tenet ſententia ipſa Patrum.

INDI-

Digitized by Google

INDICULUS INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM VETERUM PATRUM,

Quæ aperte & breviter exponunt Theologiam ſive theoreticam vulgo ſpeculativam, ſive practicam.

Q. Septimii Florentis Tertulliani [a] *Presbyteri Carthaginienſis, qui obiit circa annum 216.*

Liber de Præſcriptionibus adverſus Hæreticos: *cum argumento Jacobi Pomelii. Extat inter opera ejuſdem tom. III.*

S. Cæcilii Cypriani Epiſcopi Carthaginienſis, qui martyrio coronatus eſt anno 258.

Teſtimoniorum ad Quirinum Liber tertius. *Pertinet ad mores. Extat inter opera ejuſdem Sancti in antiquis & recentioribus editionibus.*

S. Baſilii Magni Epiſcopi Cæſareæ in Cappadocia, qui obiit anno 378.

1. Æthica, *hoc eſt*, Moralia. *Sunt in tomo II. Græco-Latino ejuſdem Sancti editionis Pariſienſis 1618.*
2. Regulæ breviores expoſitæ per interrogationem & reſponſionem.

[a] *In hac tertia edit. additum eſt Tertulliani iſtuc opuſculum; quippe quod is ipſe Vener.* THOMASIUS *in tom. 1. Inſtit. Theol. antiquorũ PP. (quas juxta datum indiculum elaboravit) poſtea adjecit, a quo & auſpicatus eſt.*

nem. *Pertinent etiam ad mores, & extant ibid. Has una cum Regalis fuſius diſputatis in Gallicam linguam vertit, & eruditis notis locupletavit vir Cl. Godiſridus Hermantius Doctor Sorbonicus.*

Sancti Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi Epiſcopi primum Saſimorum in Cappadocia tum Conſtantinopolis, qui obiit anno 389.

1. ORatio XXVI. de moderatione in diſputationibus ſervanda; & quod non ſit cujuſvis hominis nec cujuſvis temporis, de Deo diſputare.

Hæc oratio ob eximiam pietatem, ſapientiam atque prudentiam dignissima lectionis & conſiderationis, ac tanto Doctore digniſſima eſt: ubi etiam de Ethnicis Philoſophis, & Dialecticis agit; qui velut Ægyptiacæ quædam plagæ (*ſunt S. Doctoris verba ex Græcis Latina*) male irrepſerunt in Eccleſiam noſtram. *Quæ oratio merito & jure ad Prolegomena Theologica referenda eſt.*

2. Orationes quinque de Theologia, *hoc eſt*, XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. *&* XXXVII. *Quarum prima qualem eſſe Theologicæ rei profeſſorem oporteat docet; reliquæ quatuor ſolum tractant de ineffabili myſterio SS. Trinitatis.*

Continentur hæ Orationes tomo I. operum ejuſdem S. Gregorii, *Græce & Latine editorum Pariſiis anno* 1609.

S. Epiphanii Epiſcopi Salaminæ, ſeu Conſtantiæ in Cypro, qui obiit anno 403.

1. EXpoſitio Fidei Catholicæ, *quæ incipit*: At ſingularis illa columba, ſanctaque virgo Deum confitetur. *Eſt in fine Panarii pag.* 1095. *tomi I. operum ejuſdem editorum Græce & Latine Pariſiis anno* 1622. *a Dionyſio Petavio, viro doctiſſimo: qui optime de Patrum eſt Theologia meritus grandi illo opere Dogmatum Theologicorum.*

2. Anacephaleoſis ſive eorum, quæ in Panario adverſus LXXX. Hæreſes dicta ſunt, ſumma comprehenſio. *In tomo II. ſuperioris editionis.*

S. Au-

Digitized by Google

S. Aurelii Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, qui obiit anno 430.

1. LIber de cathechizandis rudibus, *a capite XVI. ad finem uſque: ubi duæ Formulæ orationis Cathechiſtæ ponuntur, altera prolixior, brevior altera. In tomo VI. operum ejuſdem Sancti poſtremæ editionis Pariſienſis Monachorum Benedictinorum Congregationis Sancti Mauri.*

2. ENCHIRIDIUM ad Laurentium: *quod eſt totius ferme Theologiæ breviarium. In eodem tomo VI. & in tomo I. opuſculorum S. Auguſtini editorum Venetiis* 1547. *a M. Auguſtino Soſteneo Fregoſo cum utilibus citationibus marginalibus conſimilium dictorum ejuſdem Sancti Doctoris, quæ diſperſe aliis libris dicit.*

3. Libri de Civitate Dei, *nimirum* XI. XII. XIII. XIV. XIX. XX. XXI. & XXII. *In tomo VII. ut ſupra, & in tomo V. editionis Antuerpienſis anno* 1577. *cum commentariis Johannis Ludovici Vivis, caſtigatis ex cenſura Facultatis Theologicæ Lovanienſis.*

4. Liber de Agone Chriſtiano, fratribus in eloquio Latino ineruditis humili ſermone conſcriptus, Fidei Regulam continens, & præcepta vivendi. *Ita de hoc ſuo libro loquitur S. Auguſtinus lib. II. Retract. cap.* 3. *In tomo VI. noviſſimæ editionis, & I. opuſculorum Venetorum* 1547. *cum citationibus marginalibus aliorum locorum ejuſdem S. Doctoris.*

5. Liber de Hæreſibus ad Quodvultdeum. *In tomo VIII. operum, & in I. opuſculorum Venetorum* 1547. *cum marginalibus notationibus & citationibus aliorum locorum ejuſdem S. Doctoris.*

S. Vincentii Presbyteri & Monachi Lirinenſis, qui obiit Theodoſio & Valentiniano regnantibus, quorum prior mortuus eſt anno 450.

COmmonitorium adverſus hæreticos. *Opuſculum aureum, quod tanquam generale Prolegomenon poteſt haberi a ſtudioſis ſacræ Theologiæ. In tomo VII. Bibliothecæ noviſſimæ Lugdunenſis & alibi ſæpe recuſum.*

Digitized by Google

Theodoriti Epiſcopi Cyri in Syria, qui interfuit Concilio Chalcedonenſi, & obiit ſub Leone Seniore Auguſto, qui Leo mortuus eſt anno 473.

1. HÆreticarum fabularum libri quatuor.
2. Epitome Divinorum Decretorum, qui eſt liber quintus.
Hi libri continentur tomo IV. operum Theodoriti Græce & Latine editorum Pariſiis 1642. curante Jacobo Sirmondo.

Gennadii Presbyteri Maſſilienſis, qui vixit ſub S. Gelaſio Papa, qui Gelaſius mortuus eſt anno 496.

DE Eccleſiaſticis Dogmatibus, *ſive* De Definitionibus Orthodoxæ Fidei. *Extat cum neceſſaria additione complurium capitulorum in appendice tomi II. operum S. Auguſtini edition. Antuerpienſis 1577. & in tomo I. opuſculorum S. Auguſtini editionis Venetæ 1547. cum citationibus marginalibus plurium locorum S. Auguſtini; & in appendice tomi VIII. S. Auguſtini Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri ſine additionibus, ſed cum eruditiſſima Admonitione.*

Sancti Fulgentii Epiſcopi Ruſpæ in Africa, qui obiit anno 529.

LIber de Fide ad Petrum, *ſive* De Regula veræ Fidei. *Extat in appendice tomi VI. operum S. Auguſtini, & in I. tomo opuſculorum S. Auguſtini Venetæ editionis 1547. cum citationibus marginalibus complurium locorum S. Doctoris.*

S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis, qui obiit anno 636.

IV. LIbri Sententiarum, *ſive* De ſummo bono. *Pertinent ad utranque Theologiam, maximeque ad practicam; qui bona ex parte excerpti ſunt ex libris moralibus S. Gregorii Papæ. Extant inter opera ejuſdem S. Iſidori, & ſeparatim editi a Caſpare Loayſa.*

S. Johan-

Digitized by Google

S. Johannis Damaſceni Presbyteri & Monachi, qui obiit circa annum 780.

1. DE FIDE ORTHODOXA libri quatuor. *Extant Græce editi Veronæ* 1531. *& Latine cum commentariis Jodoci Clichtovei Pariſienſis Theologi inter opera ejuſdem S. Johannis edita Pariſiis* 1619.

2. Parallelorum libri tres. *Ad utranque Theologiam ſpectant theoreticam, & practicam. Extant Latine tantum inter citata opera editionis Pariſienſis.*

3. Liber de Hæreſibus. *Præſertim pars illa, quæ incipit a Neſtorianis, quæ propria eſt S. Johannis Damaſceni. Extant inter opera ejuſdem, & Græce in tomo I. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ viri doctiſſimi Cotelerii.*

EXPLICIT
VENERAB. JOSEPH CARD. THOMASII
E Presbyteris Teatinis, Panhormitani,
INDICULUS,
Qui
Poſt Romanam editionem 1701. & primam Panhormitanam 1723. nunc tertio huic noſtræ *Synopſi Theologiæ Veterum Patrum*, ad illius mentem elaboratæ, adjiciendus in lucem prodit, 1731.

ELEN-

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS
PRÆCIPUARUM
SENTENTIARUM
QUÆ
Hocce in opere continentur.

De Locis Theologicis.

1 DIviſa Theologia hacce noſtra in *Scholaſticam*, *Dogmaticam* & *Hiſtoricam*, ejus ratio, utilitas atque nobilitas maxime commendatur; tum nonnullos ejuſdem fontes, veluti locos topicos e quibus potiſſima in ipſius confirmationem argumenta eruantur, ſtatim ſubjungimus, quos ſingillatim expendamus.

2 Exſufflato interim cujuſque *privato ſpiritu* quem *Svenchfeldius* intrudere conabatur, certis quibuſdam ſtare fidem catholicam fundamentis cuilibet erit profitendum. Primum ſunt *ſacra Biblia* divinam exhibentia nobis locutionem æternamque Dei voluntatem, ut quæ credere vel agere debeamus, vel omnibus innoteſcant.

3 *Duobus*, veteri ac novo, *teſtamentis* diſtincta ſunt; amboque ea *ſeptuaginta duos* libros æque omnes divinos complectuntur, firmiſſimeque ab antiquo receptos, Patreſque mox apud omnes ſumma habitos in veneratione.

4 *Hebraice* primitus teſtamentum vetus fere totum prodivit: quod tametſi jugo colla Judæis ſubmittentibus hoſtium iram & ignem fuit paſſum, non omnino tamen quoad omnia exemplaria periiſſe eſt credibile: iccirco non tam difficile fuit *Eſdræ* (qui reſtauraſſe, non prophetaſſe, in canonicis libris ſuis perhibetur) collatis iis invicem quæ repererat, id in integrum reſtituere, expunctiſque mendis veluti novus ejuſdem Autor haberi.

5 Quum autem ad multa ſecula incorrupta Biblia manſiſſent, poſt

Digitized by Google

prima Chriſti tempora, aut Amanuenſium aut Rabbinorum malitia, vel oſcitantia, candorem priſtinum amiſerunt: iis tamen non levi eſſe poterit adjumento opus illud *Maſora* dictum (ſive critica Hebræorum) poſt Divum Hieronymum a Doctoribus Tiberiadis elaboratum: modo quidem ſincerum conſtruxerint, chriſtianamque occulere veritatem animum non induxerint.

6 Poſt Magnum Alexandrum utriuſque *Ptolemæi*, Patris Filiique, una regnantium ævo hebræa ſcriptura illis depoſcentibus *Græca* facta eſt: quum per lxxii. ſeniores (ex unaquaque Judaica Tribu duodenis arceſſitis) *Pharo* in Inſula prope Alexandriam Ægypti conſidentes invicemque conferentes (non ſingulos *ſingulis cellulis* incluſos) uno omnes afflante Numine concorditer fuit adornata. Non perinde tamen plurimi facimus *Ariſteæ* Ptolemæi legato librum adſertum, quippe pleriſque anachroniſmis & incongruentiis ſcatentem.

7 Succeſſu dein temporis latinis literis fuit conſignata: quumque vetus quædam extaret (Vulgata & Itala dicta) incerti autoris, ac nova alia per Divum Hieronymum adornata, ex utriſque iis, ſub hujus tempora, *Vulgata* una *communis* confecta eſt; quam poſt longam traditionem, Conciliorumque probationem *Tridentina* tandem *Synodus* iterato ſacram renunciavit, atque ad fidem quod ſpectat vel mores, maxime authenticam, contradicentibus omnibus hæreſeos notam inurens.

8 Plura tamen in ſe una illa patitur ſenſa, quæ ubi perſpicua non fuerint, Romanorum Pontificum jus eſt Conciliorumve œcumenicorum, ea declarare clariſſimamque edere in lucem; ut qui *ſoli* ac *veri* Judices ſunt indeficienteſque germanorum ſenſuum Scripturæ, lucemque a tenebris dividere uni valentes.

9 Divinis vero Bibliis quæ æternum exhibent Verbum ſcriptum, divinæ etiam, quæ prolatum duntaxat, *Traditiones* accedunt: quin & nonnullæ ipſiſmet ſunt Bibliis antiquiores; neque alia ante Moyſen credendi operandique fuit regula, quam traditio. Utriſque iis ſub pœna fidei jacturæ ex æquo nobis eſt obſequendum, tenendumque id quod didicimus ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem. Sane quidem non plus ineſſe poterat Apoſtolorum calamo autoritatis, quam linguæ; modo ambobus iis ut Chriſti *præcones* ſint uſi. Nonnulla etenim docuerunt ut *Eccleſiæ* tantum *Paſtores*, quæ æquali atque ipſi poteſtate Romani Epiſcopi a Deo donati, pro ſua prudentia relaxare poterunt.

10 Nec ſibi *œcumenica* Eccleſiæ *Concilia* in rebus fidei vel morum minorem vindicant autoritatem. Hæc neque *laici* Principes in rigore olim coëgerunt, ſed neque cogere potuiſſent: *ſolius* Pontificis Maximi potiſſimum jus eſt, cujus etiam & confirmare, ut fidem pariant inconcuſſam: eo nolente coacta, diaboli conventicula ſunt. Plura fue-

Digitized by Google

re primitus per Apoſtolos celebrata ad ſeptem uſque; quorum in uno famoſum *Symbolum* illud quod *Apoſtolicum* vulgo dicimus, per eoſdem traditur conſtitutum.

11 *Antiochenum* autem quod octavum poſtremumq. habent nonnulli, apocryphis recto jure amandandum videtur: quemadmodum & vulgares illi octogintaquinque qui *Apoſtolorum Canones* nuncupantur, necnon octo alii *Conſtitutionum libri*, Apoſtolis etiam quibus minus recte adſeruntur, rectius ſunt abjudicandi. Quandoquidem in non paucis Apoſtolicam pietatem & ſapientiam non redolent.

12 Quartum ordine locum tenet œcumenicus Eccleſiæ Paſtor, *Romanus Pontifex*, ſummus omnium Epiſcopus; qui non ſingulares alios duntaxat, ſed & *una in Concilio congregatos* ſibi omnes poteſtate ſubdit. Petro is ſuccedit, cum in ampliſſimo dominandi jure, tum (quum ex Cathedra, ut ajunt, loquitur) in res fidei morumque *infallibiliter* pronunciandi privilegio, extra etiam conciliarem Congregationem.

13 *Romanam* quippe eam *Sedem* poſt abdicatam Antiochenam Apoſtolorum Princeps erexit quam conſcenderet; rexitque quoad vita per martyrium functus eſt. *Solus* inibi regnavit, ſeu Papam egit, qui cum *Paullo* in Pontificatu minime communicavit.

14 Permultæ Romanorum Præſulum a Clemente ad Siricium uſque *decretales literæ* recenſentur, quas ſalvo meliori ſaltim judicio, ab iiſdem fuiſſe confectas, permagna ſunt quæ ab adſerendo animum prohibeant, apocryphiſque impellant ſingulas amandare, *Iſidori*que cujuſdam *Mercatoris* fraudem tandem detegere; qui commiſſam ſibi provinciam eruendarum harunce epiſtolarum audacter ſuſcipiens, nec valens poſtmodum adſequi, eaſdem utcunque conficere procuravit.

15 E cenſu putatorum Eccleſiæ univerſalis Antiſtitum *Johannam* vulgo *Papiſſam* ab Heterodoxis illuc intruſam, ſacra omnis illius temporis eruditio eliminari cogit. Sed neq. tamen ex ſe unquam ita proſcribi falſitas potuit, ut quoſdam non infecerit; dimoveri, ut non traxerit: ancipitem ſuſpenſumque ne non acciderit, ſe *Divus Antoninus* Epiſcopus Florentinus exhibuit, quod corrupti ab impudentibus ſectariis orthodoxi Scriptores id ita quidam tradiderint.

16 Sed nec veriſimile minus de *Felice II.* qui vivo *Liberio* Petri claves ſuſtinuiſſe dicitur, eſt habendum judicium, tenendumque cum Athanaſio, nunquam fuiſſe legitimum atque verum Pontificem. Quem autem *Anacletum* alii expungunt, ſeu cum *Cleto* in unum confundunt, præſertim Græci; nos inter eoſdem probabiliter diſtinguendum arbitramur, Romanorumque Præſulum Canoni utroſque ſubjiciendos.

17 *Veteres* quoque *Patres* ſuum nobis Theologicum locum ſuppeditant; ſic ut ſemel ac in materia fidei vel morum unanimes ſeſe exhibent, ineluctabilia ex iis argumenta depromantur. Inter hos tan-

tum ſibi unus *Auguſtinus* autoritatis conciliavit, ut nedum in conciliares Canones ipſius paſſim transfuſa doctrina ineopte ineluctabilis ſit effecta, ſed quum (in materia ſane de *gratia*) tanquam dogma catholicum adſert aliquid, id etiam præeminentiæ ex decreto Cæleſtini Papæ fuerit adſecutus. Omnes autem omnino apices *Epiſtolæ* Divi Leonis *ad Flavianum*, ſacrum quidpiam redolere, cui non ſine piaculo contraëatur, Gelaſius Papa inconcuſſus ſit autor.

18 Valde tandem juvat, ob irrefragabilem Auguſtini dignamque ipſo ſententiam, *ad libros ſanctos intelligendos* ſacra juxta ac profana geſtarum rerum *hiſtoria*: ejus propterea ratio, commoditas, atque dignitas maximi plurimique habenda. Qui ipſius prorſus jejunus animoſe Theologiæ operam navarit, *perfecti* Theologi prærogativam nacturum minime ſe ſperet,

DE DEO IN SE.

De Divinis Nominibus.

19 APtam cuique ſupremi *Numinis ideam* natura magiſtra ita indidit, continuoque ſuggerit, ut ſint inexcuſabiles quicunque non ſunt in eum credituri; quin & etiam ignoraturi. *Peccatum* ſiquidem purum *Philoſophicum* nullum, ac propterea qui a malo bonum ſejungit ſuique eſt compos, jam hoc ipſo ſupremus aliquis Legislator, omnium maximus, vetans illud, iſtud præcipiens in ejuſdem veniat mentem neceſſum eſt, a quo ut ſummo bono malum quodcunque neceſſario interdicatur. *Athei* igitur veri propriique nulli.

20 Ejus autem perfectiſſima eſſentia, eſſentiarum omnium pelagus, hoc uno inſtauratur verbo, quod ſit *id quod eſt*: ut proinde ipſiſſimum *eſſe* ſimpliciter ac per eſſentiam, ejuſdem interminabilem eſſentiam conſtituat, exprimat, adæquet. Ex eo nempe id efficitur, ut ſit Deus ex eſſentia ſua *totum eſſe*, *ſemper eſſe*, *ac ſimul eſſe*: neque enim alias abſolute *eſſe* foret. Id quod quum contra creaturæ quævis non ſint; nec *totum*, nec *ſemper*, neque iccirco *ſimul* ſunt *eſſe*; illudque quod de Deo *eſſe* participant, iſtud habent, non ſunt.

21 *Unicus* igitur eſt Deus; alioquin alterius Dei *eſſe* utrique deficeret, ſicque non eſſet abſolute ipſum *eſſe*, quod tamen neceſſario eſt, Peſſimam inde *Idololatræ* omnes in crucem abeant, qui tot Deos ſibi finxerunt, quot patiebantur vitia, & amplius. In hoc tamen perverſitatis genus, commentum Donatiſtarum fuit (ſi Auguſtino fides) *Mar-*

celli-

cellinum olim Papam, turpiſſime idolis thus adolendo, turpius fuiſſe lapſum.

22 Putidiſſima *Manichæorum* hæreſis ex præjacta divinæ eſſentiæ conſtitutione prorſus & quoque corruit; Deus inde non eſt, cui ſemel *eſſe* bonitatis deeſt. Deum malum inepte iſti fingunt, ultra bonum Deum alterum; ſed neque hunc Deum faciunt, quem ſupra illum aut nullam aut modicam habere poteſtatem volunt, ipſique propterea ipſum *eſſe* majoris virtutis ac dominationis deficere.

23 *Antropo-morphitarum* etiam qui Deum corporarunt,aliorumq. eundem componentium delirium penitus evaneſcit. Quei enim alterutra Dei pars foret Deus, quæ ad compartis *eſſe* haud tranſcendit? quei ex iis totum inde compactum, ut quod ex non divinis partibus coaleſcens? Fatuorum horum Principes *Sadducæi* perhibentur: eis tamen adhæſiſſe neutiquam *Melitonem* Sardenſem Epiſcopum & *Tertullianum* veriſimilius.

24 Per ſuam Deus *immenſitatem* omni loco ſeſe præſentat,cælumque atque terram ſubſtantia ſua totus implet. Nec timendum, fore ut majeſtati ejus ſint dedecori (ut Vorſtius Calviniſta inter alia noſtris objectat) plerique quos inde pervadere ſtabilitur, impuri loci atque viles. Extra cælos qui his eſt *excelſior*, *longioremque terra menſuram* habet, *latioremque mari*; ſeu qui actu immenſus eſt, adinvenitur etiam, & quo modo in orbe eſt, eſt quoque ubi ſunt vel finguntur vaſtiſſima illa extra orbem ſpatia.

25 *Æternitate* indiviſibili ſua Deus omnia inter ſe maxime diſſita tempora comprehendit. Fluunt hæc extra ipſam, non ipſi: quidquid fuit quidque erit, in ea nunc eſt; nihil illi præteriit, ſequetur nihil; ſed omnia ſibi præſentat ac etiam phyſice, ſeu præterita, ſeu præſentia ſint, ſive futura. Si æternitatem attendas; quod fiet, jam factum eſt; quodque fit modo, a facto jam faciendoque non diſtat; qui nempe *in æternum vivit*, æternitate hacce ſua *facit omnia ſimul*, quod non facit omnipotentia. Et quum hoc ſemper præſtiterit, ſemperque ſit æternitas præſtatura, ut quæ tota ſimul & invariabilis eſt; non tamen aut futurum *ab æterno* unquam fuit, aut præteritum *in æternum* fortaſſe erit: excurrit ad tempora æternitas, non ad æternitatem tempora accedunt.

26 In hæc & alia divina Nomina *Eunomius* Cizicenus, & Porretanus *Gilbertus* e regione penitus effutiere: hic quod in re ipſa *diſtinxerit*; ille, quod *ſynonyma* prorſus ſingula exiſtimaverit. Porro in utroſque modo nobis eſt inſurgendum, Concilio Remenſi atque Patribus, Baſilio, Nyſſeno aliiſque qui id fecerunt, morem ita gerentibus. Hoc autem; tametſi ab illis non longe factos multi ſuſtineant pleroſque de ſchola Theologos, quod conſtitutam jam in divi-

nis

Digitized by Google

nis Nominibus certam quandam diſtinctionem, aut ante mentis operationem credant, aut ex ſola vocum diverſitate derivent.

27 *De divinis* hiſce aliiſque ſubſequentibus *Nominibus* extat hoc potiſſimum inſcriptum nomine ſumma omnium conſenſione celebre opus quoddam: quod quanquam *Dionyſio Arcopagitæ* cum libri titulus, tum antiqua exinde traditio adſeruerunt; nihilo tamen ſecius nonnullis, quos inter doctiſſimus *Morinus*, detectarum mox difficultatum pondere preſſis, eidem abjudicare ſecurius viſum eſt. Nos vero quibus antiquitas ſemper maxime eſt veneranda, quodammodo (nec infeliciter tamen) adductas enodantes difficultates, Areopagitæ reſtitui opus curamus.

De Viſibilitate Dei.

28 NOn videbit Deum homo & vivet. Lex quidem hæc eſt, non neceſſitas: eamque ob rem, ut neminem ab ea exceptum, quem exceptum fuiſſe non ſatis conſtet, ſicque *Moyſen*, *Paullum*, *Benedictum* nonnulloſque alios quos referunt, illa prorſus fuiſſe tentos judicare debemus; ita *Beatiſſimam* Chriſti *Matrem* quæ privilegio amoris præcipui ceteris altius meruit honorari, ab ea facile eximendam arbitramur. Vidit Moyſes *poſteriora Dei* ac prope ipſum Deum; *arcana verba* & divina Paullus audivit; luce quadam perquam fulgentiſſima, ut fere Deo fruitos dixeris, Benedictus aliique pauci fruiti ſunt: quid inde reſtat, niſi ut Deum ipſum ejus Mater quandoque viderit? Non pro ipſa quidem fuit data, ea pro omnibus data lex.

29 Quum vero primum fidelis anima mortales quibus obvolvebatur, exuvias depoſuerit; ſi nihil ei ſupereſt expiandum, Deum unum & trinum *prout eſt in ſeſe*, non lucem quandam corpoream ex eo manantem (ut *Palamas* & *Almaricus* vera Dei viſione indigni effutiere) illius tantum loco aſpectabit; hunc eundemmet & ipſiſſimum, inque *propria ejus ſubſtantia* feliciſſime contemplabitur.

30 Suis tamen anima ſibi viribus id non vertat, quam ad tantum in cælo faſtigium a gratia Dei expedit elevari. Trahit ad ſe Deus illam, quæ ad Deum ceteroquin nequit accedere; non ſolum ipſa, ſed quodcunque quod æque atque ipſa creatum eſt. Nemo enim vadit ad Patrem, niſi Pater traxerit eum. Trahet autem oculos mentis, *non carnis*, quos nec trahere poterit ad ſeſe in ſubſtantia aſpiciendum, ut qui *corporaliter* aſpectabilis non eſt. Neſcio interim cur aliqui ſolis oculis faveant, invideant autem ceteris ſenſibus: aut ſi iis etiam favere inde coguntur; quam bella res, audiri Deum, palpari Deum, olfieri guſtarique Deum!

31 *Chi-*

Digitized by Google

31 *Chiliaſtarum*, ſeu *Millenariorum* figmentum quo ex *Lactantio Firmiano* eorum tincto fuligine, mille ante generalem reſurrectionem annis Juſti reſurgentes, inque terrena-nova Hieruſalem una cum Chriſto regnaturi inducuntur, impiiſque dominaturi, fruiturique univerſis corporis voluptatibus; tanquam nullis ſcripturarum monumentis ſuffultum, quin & eiſdem maxime apertiſſimeque contradicens refellendum eſt, ut refellitur.

32 *Semi-millenariorum*, ut ita loquar, aliud fuit, æque erroris ac temeritatis damnandum: Juſtorum omnium decedentium animas, pleniſſime purgatas licet, expectaturas nihilominus ſecundum Chriſti Domini Servatoris adventum, ut in die tandem judicii, operum omnium diſcuſſione tunc facta atque lata ſententia, divina primum facie perfrui mereantur, totoque interim expectationis hoc tempore, mille illis *Apocalypſicis* annis adumbrato, humana Chriſti facie, glorioſa quidem, Angelorumque conſortio duntaxat fore contentas. Ab hoc tamen errore, cujus orthodoxi ceteroquin Scriptores *Johannem Papam XXII.* incuſant, rectius hunc vindicandum fuimus arbitrati.

33 Quoniam autem Viſio Dei hæc gratia ſimul & *merces* eſt; jam inæqualiter laborantibus inæqualis ea etiam reſpondebit. Æque omnibus æternum extenſa erit; æque tamen intenſa non omnibus: alius alio clarius videbit; ſic ut qui parce ſeminat, ſit parce etiam meſſurus. Hac porro in re turpiſſime falſum eſſe *Jovinianum* comperimus, ſcripturiſque maxime abuſum: ea præcipue, qua inæqualiter in vinea ejus laborantibus æqualis a Patrefamilias datus fuit denarius diurnus.

De Sapientia Dei.

34 ALtitudinem divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei quis inveſtigaverit? nemo quidem ſcrutatur profunda Dei, niſi Spiritus ejus. Quis contra eidem conſtituere limites fuit auſus? *Averroës*: Philoſophiæ Ariſtotelicæ commentator præcipuus, ſed non ſincerus, qui in quo illa ſcatebat erroribus, novos alios addidit ſuos. Sapientiam Dei audacter impetiit, putans obſequium ſe præſtare illi, dum ad omnem omnino rem eo animo extenſam non voluit, ne e conſpectu viliſſimarum rerum etiam ipſa vileſceret. In eum igitur invehentes, nil prorſus latere Deum, ſed nec latere poſſe monſtrabimus; ſeu præſens id ſit aut præteritum vel futurum, ſive ſola ut fieri poſſit poteſtate fruens, ſordidum aut purum; omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.

35 Sed aliter atque Averroës ſcientiæ divinæ amplitudinem *Cicero* timuit: fore nimirum ut *fortuitorum* eventuum quicunque *contingentiam*

Digitized by Google

gentiam ſuam ac libertatem exuerent, ſi *prænoſcerentur*: falli ſiquidem Deus neſcius ſi quidpiam ſcientia ſua prænovit, & indubitanter ipſum eveniet. Siccine ergo Creatori quam creaturæ potius detrahendum fuit arbitratus; præſcium illum inficiatus eſt, ut hanc liberam non diffiteretur? Sed Chriſtiana veritas & Creatori ſuo defert, & creaturæ non derogat: utrunque iſtud, præſcientem Deum, nos liberos; contingentes actus fortuitos, prævifos licet; credendum jubet. Evenient profecto actus ut prævidentur; prævidentur autem e libera reſpectiva ſua cauſſa libere proceſſuri. Suo ſibi interim vitio peccatum vertat peccator, non Dei ſcientiæ; quæ propterea futurum illud præ-attingit, quod ex ſe ſit patraturus, non contra.

36 Divina iſthæc ſcientia pro duplici objectorum genere duplex eſt: *poſſibile* & *futurum* unam Dei ſapientiam veluti partiuntur; ita ut alia ſit *Intelligentiæ*, alia *Viſionis*: prima primum ſpectat, altera ſecundum. Illud in ſe uno omnimodis Deus videt, quod in *eſſentia* divina ſua apertiſſime fundamentalis communicatio ad extra perfectionum ejus reluceat, atque in *omnipotentia* pariter activa virtus ad communicabilitatem eam reducendam in actum.

37 *Futurum*, ſi naturale eſt, in ſuo decreto & voluntate is ille qui ſolo decreto ſuo futurum facit omne futurum, cognoſcit comprehenditque quam abſolutius: ſi autem *liberum*; in decreto quidem ac prævio, ut Patres paſſim loquuntur, ſed ad *exigentiam* humanæ voluntatis libertatiſque noſtræ vel unice derivato. Quæ quidem *libera* voluntatis noſtræ *exigentia* entitatem ſuam non aliam ab eamet voluntatis ac libertatis nanciſcitur: hæc tamen ſolum *actu exigere* dicitur tum quum externum cum quo inſimul agat, primæ cauſſæ concurſum *connotat*; non ſecus ac de *modis* ſuis *indiſtinctis* Philoſophi, *libero*que æternæ voluntatis *actu* Theologi plerique differunt.

38 Porro ſingulare iſtuc decretum *exigentiam* voluntatis ſequens ejuſdemque actum præcedens, optimo atque maximo jungi fœdere facit ſupremum Dei *dominium* & *libertatem* creatam: in quo quidem nullatenus ampullas nos projeciſſe ſciſcitati deprehendemur. Viam hanc quam in ſua etiam *Philoſophia ſacra* eximius Theologus *Emmanuel Maignanus* ſtravit pluribuſque majoribuſque perviam fecit, *ALBERTUM* noſtrum *FARDELLAM*, aliarum quoque reconditiorum adhuc ſententiarum feliciſſimum inventorem, primitus aperuiſſe aliiſque indicaſſe, brevi quadam critica demonſtratur.

39 Quia vero nonnulla ita futura non ſunt, ut eſſent tamen nonnullis ſeſe intromittentibus congruentiis, *conditionata futura* appellari ſolita; hæc etiam *in decreto* ſuo a Deo cognoſcuntur, quod ante actum habet de actu, quem humanam voluntatem videt fore exacturam. Porro iſte *actus qui eſſet*, quum non exinde quod eſſet, poſſibi-

litatis

Digitized by Google

litatis puræ limites ſit excedendo, induendoque *ſtatum* aliquem *medium*; nullum inter duas extremas illas ſcientias, *Viſionis* & *Intelligentiæ*, intrudendi tertiam quandam *mediam* locum parat; quin aliquem effingi prohibet. Enim vero tam actus pure poſſibilis, quam qui pure futurus eſſet, utrique in re non erunt: is quidem ſolius defectu conditionis; ille autem defectu cauſſæ nolentis aut alterius cujuſpiam: quo fit, ut duo actus illi quoad purum putumque *extrinſecum* differentes, prorſus omninoque quoad *intrinſecum* conveniant, ſintque in re ambo pure poſſibiles.

De Voluntate Dei.

49 Ariſtotele præeunte *Wicleffus* Deum *liberum* fuerat inficiatus, ex æterno tamen volentem confeſſus: *Vorſtius* autem divinarum volentiarum libertati veluti indulgens, earundem *æternitatem* impetiit. Deum nos liberum atque ex omni æternitate libere volentem proteſtantes, adverſus utroſque hoſce impios catholicum dogma tuebimur. Neque enim deficienti creaturarum generi vis tanta ineſt, ut ad ſui efficientiam Deum impellat; neque aliud volentia Dei a Deo eſt, ut æternus hic licet, ea ſit nihilominus temporaria.

41 *Vult* autem *libere* Deus, quod quemadmodum creata voluntas eſt principium quoddam potens producere vel non producere actum volentiæ ſuæ (ſeu volitionis, ut ita loquar) aut hunc vel illum efficere quem lubet, eoque ſe inde reddere volentem; ita & divina principium quoque ſit æternæ volitionis actum effundens, & hanc vel illam ipſius formalitatem valens emittere quam libuerit, perque eas ſe conſtituere hoc vel illud volentem. Quum enim æterna Dei volitio abſoluta & a ſe, ſit forma omnium *volibilium*, omnique prorſus modo quo volibilia ſunt, atque adeo virtute ipſa aut ratione noſtra ſit multiplex; conſequens eſt, ut licet productio ipſius quoad formalitates quæ circa Deum verſantur, ſit naturalis & neceſſaria; quoad illas vero quæ in objecta creata tendunt, libera ſit & contingens. Id quod etiam prorſus de cognitione divina libera contingentique dicendum eſt.

42 Eſto igitur Deus volitionem mundi produxerit, valiturus æque illa carere, non proinde tamen ſubſtantia ejus mutari neſcia, ſubitura tum fuiſſet detrimentum ullum mutationis, quoniam ſecundum *eſſe abſolutum* tota quanta ea eſt, penes Deum remanſiſſet. Doctrinam hanc de *duplici* quorundam divinorum prædicatorum *eſſendi modo*, relativo & abſoluto, ex celeberrimo Eminentiſſimi juxta ac ingenioſiſſimi

Digitized by Google

ALBARI Cardinalis *CIENFUEGOS* Trinitatis ſyſtemate arceſſivimus; clarioremque, quum de Trinitate, infra ſubjiciemus.

43. Ex hac autem æterna liberaque Dei voluntate profectum eſt, ut omnes omnino homines ſalvos fieri vellet: nullum eſt ſane hominum genus, ſeu pium vel impium, ſeu fidele vel barbarum, ſeu prædeſtinatum vel reprobum, quod *generali* ſua Deus *antecedenti*que voluntate ab æterna feliciſſimaque Cælicolarum manſione excluſum mittat. Quanquam tamen aliter aliqui ſentiant, habemus nos firmiorem propheticum ſermonem; eam Deum voluntatem fundaſſe in Chriſto Domino Servatore; ſic ut quemadmodum pro omnibus is mortuus eſt nullo excepto; ita excepto nemine omnes Deus miſeratus, eorumque ſaluti fuerit ſuffragatus.

44 Sed nec pro omnibus mortuus eſt, quod ſolum ad redemtionem omnium omnino infidelium, immo etiam dæmonum & damnatorum ſufficiens *ex ſe* pretium in effuſo ſanguine obtulerit; ſed quod ex ſe ſufficientiſſimum pretium iſtuc, pro univerſis & ſingulis non prædeſtinatis modo, ſed & reprobis mortem ejus ſubſequentibus, in redemtionem voluerit *applicatum*. Latiſſime in hoc erraſſe *Janſenium* latius jam exploratum, compertum eſt: *quinta* illa quæ ſub ejus nomine circumfertur, famoſa *propoſitio* & *errorem* continet, & *ipſius* eſt.

De Providentia Dei.

45 TOt ſuæ Deus beneficentiſſimæ *Providentiæ* habet teſtes, quot creaturas, non intelligentes modo, non animantes, ſed & quoque inſenſatas. Sua volucribus grana non deſunt, ornamenta floribus, ſtatiſque temporibus ſua etiam terræ pluvia: ita ut ad eoſdem ſit remittendus, ſi quis infidelis accedat. Specialiter divinæ tantam largitatis munificentiam plerunq. Religioſorum Ordines exhibent: ſpecialius vero *noſtratum* per DIVUM CAJETANUM CLERICORUM OMNIUM REGULARIUM PRINCIPEM ſub divina Providentia erectam *Congregationem* a tot annis rem ſemper ineluctabilem oſtendiſſe conſtat. Operibus igitur, non tam voce nos in præſentia *Lutherum* effutientem, *Non eſt Providentia Dei ſuper terram*; profligare in animum inducere deberemus.

46 Sed qui tam pie corpori indulſit, putaſne poſtmodum animæ non proſpexerit? providit immo potiſſimum, remedia pro ſalute obtinenda ſingulis nedum parans, ſed pro quorunque aptitudine largiens atque impertiens, fidelibus & infidelibus, piis & impiis obſtinatis adhuc; & quid credas? iis etiam qui in uteris malo fato decedunt, auxiliares gratias univerſis, ut facto opus judicat, diſtribuens. Pertinent

Digitized by Google

uient hi ad eam gratiæ partem, quæ univerſis *impenſa eſt* nationibus, qua ſi bene utentur parentes eorum, etiam ii per eos juvabuntur, dataque ad baptiſmum largiente Domino opportunitate admittentur.

47 Hæc porro auxilia de quibus agimus, omnia *ex ſe efficacia* ſunt; nullum *pure* ſufficiens: opus *faciendum* exquiret a nobis Judex rectiſſimus, non expeditam *potentiam*: gratiam iccirco *ad operari* dabit queis dabit, non *ad poſſe* duntaxat. Nimirum ſeverus adeo foret ac *metens quod non ſeminavit*, volens opus ex data gratia, quam non ad operandum, ſed ad petendum ſimpliciter fuerat elargitus. Omnis igitur collata a Deo gratia, omniſque conferenda efficax eſt: alia tamen *efficiens*, alia *inefficiens*. Quum voluntas vim illi non infert, ſalutare opus tum efficit; quum ſua eidem libertate proterviaque reſiſtit, tum vim paſſa gratia, inefficiens remanebit. Hinc novus alter dividendi gratiam modus emergit; ut alia ſit *efficax abſolute*, alia *efficax conditionate*, utraque *ſemper* tamen efficax. Id quod poſt *FARDELLAM* Maignanus & Sfondratus late proſequuntur.

48 Quoniam vero paſſione ſua infantibus quoque gratiam Servator promeruit, illamque univerſis baptiſmate potiſſimum applicari voluit; nullus propterea dubito, quin ſinguli ad quos egreſſa de latere Servatoris dextero aqua perveniet, illico ſalvi fiant; ſeu qui etiam *in maternis ſunt uteris*, ſi ablutioni tamen obnoxii ſunt, *baptiſmum* & ſalutem conſequi recta valeant. Secus equidem delictum *ſuperabundavit*, non gratia: illud a conceptione ſingulos inficit; iſta, etſi antea jam ablui poſſunt, ex matre duntaxat natos emundat. Timebit quis in ſacramentum delinquere, ipſum fruſtrando: ſit igitur in neceſſitate puer, ſub conditione verba Sacerdos proferat: conſulet tunc iſte conſcientiæ ſuæ ſacramentique decori. Salubriter id alibi fit (& oh utinam ubique!) agente doctiſſimo *Gabriele Gualdo* ex noſtratibus, de multorum infantium ſalute optime merito: cujus ſi peculiarem aureis characteribus dignum qui exaretur, libellum adieris; crediderim, ni forte tranſverſus ageris, te etiam ubi urſerit neceſſitas, in laudatum baptiſma daturum manum.

49 Ad Providentiam finalem quod attinet: ſententia illa de *Prædeſtinatione* ad gloriam *ex prævisis meritis ſuavitate, antiquitate ac ſcripturarum nativa autoritate* ſicut Divo Franciſco Saleſio, ita & nobis *nobiliſſima ſemper viſa fuit*. Horribiliſſima contra illa fatalis neceſſitas *Calviniana*, qua ex libera odii proſequentis ac reprobantis voluntate exitio æterno devoti impii inducuntur. Abeſt paulliſper a Calviniano iſto *Semi-pelagianum* inventum, impium tamen eſt, divinæque pietati maxime injurium: *Tales* nempe infantium rationi præmortuorum *perdi*, *taleſque ſalvari*, *quales futuros illos in annis majoribus*, *ſi ad adultam ſervarentur ætatem*, *ſcientia divina præviderit*. Propterea

D 2 nul-

Digitized by Google

nullam in ſalutis negotio habere partem ſcientiam conditionatorum, peculiari quodam *ſignorum ordine* ſtabilivimus.

50 Impetitis ab Auguſtino Maſſilienſibus Semi-pelagianis, quod gratiæ vires irritas facerent, de æqua rependenda vice aſtutiſſimi cogitarunt: *Sanctæ memoriæ Auguſtini* ac diſcipulorum *ſcripta reprehenderunt*, quod ſuæ veluti gratiæ *prædeſtinatione* jam ipſi humani arbitrii interitum induxiſſent. Hinc illius inter Criticos famoſæ *Prædeſtinatianæ hæreſis* origo & nomen. Imaginaria iſthæc fuit; *Prædeſtinatorum*que theta nigro nonniſi Sancti *Auguſtini* diſcipuli per Semi-pelagianos invidioſe fuere traducti: utræq. illæ hac in re adductæ Synodi, *Arelatenſis* & *Lugdunenſis*, itemque epiſtola cujuſdam *Lucidi* ſuſpectæ ac ferme confictæ ſunt, ſubdolaque *Fauſti* Regienſis arte confectæ, quo Auguſtinianam doctrinam ſub prædicto Prædeſtinatianæ hæreſeos nomine a Gallicanis Synodis proſcriptam, ſuamque Maſſilienſes probatam venditarent.

51 Eadem poſt ſecula quatuor *Hincmarum* cauſſa tenuit: antiqui Origeniſmi novator habitus adverſarios ſuos conficti a Maſſilienſibus Prædeſtinatiani erroris ut inſtauratores continuo conclamavit; prætenſæque hujus hæreſeos novum ſeſe effecit architectum. Adducto inde ſuum ad tribunal miſerrimo *Gotheſcalco* facile in eundem dure direque animadvertere debuit: maleq. hujus *de duplici* ad vitam & ad interitum *prædeſtinatione* ſyſtema intellectum, tum prædeſtinatianiſmi illico inſimulare, tum maledictis ac cenſuris inceſſere. *Cariſiaci* vero ab illo adunati Patres duntaxat obreptitie in Gotheſcalcum ſententiam tulere: quorum propterea celeberrima quatuor capitula *Valentinum III.* Concilium qua *noxia* & qua *erronea* omnino expungi juſſit. Gotheſcalcum igitur ab inuſta ipſi hæreſeos nota prorſus abſolvimus, quem minus tamen ſibi fidentem mordacemque in alios voluiſſemus.

52 At *Janſenius* Yprenſis Gotheſcalcum hunc Prædeſtinatianoſque aliter excuſat: nimirum vult, imputatos ipſis ab Hincmaro & Semi-pelagianis errores vere fuiſſe illos profeſſos, ſed errores neutiquam extitiſſe; hos docuiſſe Auguſtinum, identidemque omnes hujus ſectatores. Quocirca Semi-pelagianos a fide in eo devios exiſtimavit, *quod vellent gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*. Quarta hæc eſt ex præſcriptis Janſenii propoſitionibus, merito *ipſi* adtributa, perquam longiſſime ab Auguſtino diſtans, manifeſtumque in fide continens errorem.

De

Digitized by Google

De Sanctiſſima Trinitate.

53 SUbobſcuros inacceſſæ Trinitatis lucis olim radios Deum direxiſſe ad hebræos non modo, ſed & ad *Gentes*, immo ad Gentes, utrorunq. horum libri demonſtrant. Plura ſunt in Pentateucho Moyſis, quæ habita jam myſterii revelatione, tantum exhibent, ut ex iis colligatur. Multa in Sybillis; majora forte in eximio quodam opuſculo ac prope divino, quod *Pymandrum* appellitant. Hoc antiqua Patrum autoritas, ſumma etiam Ethnicorum conſenſio *Mercurio Triſmegiſto*, pagano quidem viro, ſed chriſtiane (potiſſimum ſaltim) ſcribenti adſerunt. Nonnulla ſunt quæ ab hac ſententia diverterent; nihilominus id tanquam Mercurii *germanum fœtum* veri certe ſimilius arbitramur.

54 Quos autem ſubobſcuros olim direxit, eos clariſſimos in teſtamento novo de Trinitate perſonali ſua Deus radios emiſit. *Tres ergo ſunt qui teſtimonium dant in cælo PATER, VERBUM & SPIRITUS Sanctus, & hi tres UNUM ſunt.* Vere tres; ut *Sabellius* commentumque ſuum de *Trinomini* in Deo perſona penitus corruat: vere Unum; ut *Tritheitarum* delirium radicitus evellatur. Unum Deum ille unam perſonam ſtatuit; tres perſonas iſti tres Deos ſomniarunt. Utroſque interim maleſanos laceſſimus, in quos multa invehamur.

55 Sed famoſus *Abbas Joachimus* quadam in Petrum Lombardum ſuo inſcripta nomine confutatione iſtum carpit, quod tres divinas perſonas omnino *eſſentiæ unitate* unum faceret, quas duntaxat volebat *collectionis*, ceu plures homines unus populus, pluresque milites unus dicuntur exercitus. Quod quidem ſi dixit, inter Tritheitas amandare non dubitamus: verum non longe a vero abeſſe opinamur, opus illud medio in Concilio Lateranenſi igni ſuppoſitum, tametſi *Abbatis* nomine titulatum, eidem fuiſſe prorſus affictum; aliam enim, hancq. catholicam, *in Pſalterio decem chordarum* de Trinitate edidit confeſſionem.

56 Quanquam autem myſterio huic naturale lumen non refragatur, treſq. etiam tenemus vias æque pervias, ut unum cum altero conciliemus; valde tamen *Raymundus Lullus* exceſſiſſe videbitur, qui naturalibus argumentis evidentem rei veritatem ſupponi poſſe eſt arbitratus. Quod ipſe inde ſubdidit, autoris aciem demonſtrat, rem non demonſtrat; declarat tamen. Quale vero ſit de ipſius libris quos Pontificiis cenſuris alii ſupponunt, alii eximunt, habendum judicium; crediderim non ſatis conſtare interdictos fuiſſe, delictoque non probato reum eſſe abſolvendum: multoque magis quod de impoſita per

Digitized by Google

Eymericum Lullanis libris hacce calumnia non levia extant indicia.

57 Ita tamen Ternarium divinæ Perſonæ numerum abſolvunt, ut vi relationum *proceſſionum*que obtineant: hoc ſolum profecto numerum inſinuat, quod ad invicem ſunt. Procedunt autem hoc pacto: Filius a Patre *ſolo*, Spiritus Sanctus vero ab *utroque*. Magna heic nobis cum Græcis ſchiſmaticis altercatio, contra quos plura ſtatuimus. Eccleſiam latinam & recte, Spiritum S. a Patre & Filio proceſſiſſe, credere; & rite particulam *FILIOQUE* imminente tunc neceſſitate ac rationabiliter in Nicæno Symbolo a ſeculo VII. appoſuiſſe; fruſtraque *Leonem III.* Pontificem ac Johannem *Damaſcenum* id negantium numero accenſeri. Et quidem ſi a Dei Verbo Amor Dei non procederet, in unum ineopte idemque coaleſcerent ſuppoſitum ac perſonam: nulla ſane tunc qua diſtinguerentur, inter eos intercederet *relationis oppoſitio*.

58 Rem hanc de Spiritus Sancti proceſſione etiam a Filio, late antea proſecutus fuerat Divus Athanaſius Græcus Doctor in ſuo celeberrimo Symbolo *Quicunque*: quem inde in Florentina Synodo contra Græcos laudatum quum inficiari nequiſſet, ebrium tum fuiſſe Marcus Epheſius blaſphemare veritus non fuit. Contra autem recentiores orthodoxi plerique critici ſummam Athanaſio venerationem proteſtantur, ſed laudati *Symboli* autorem non faciunt. Ab iis recedendum ducimus, multo magis quod in *Gelaſiano* antiquiſſimo omnium *Codice*, per Ven. Card. *THOMASIUM* publici facto juris, inſcriptum id Athanaſio Symbolum recenſetur.

59 Pro illarum vero quæ ab aliis derivantur, æternarum Perſonarum *phyſica quidditate* haud aſtruimus vulgares *terminos* intellectionis volitioniſque, ſed ipſaſmet *volitionem intellectionem*que eſſentiales, prout tamen realiter dimanantes. Nimirum ex præjacto jam quod lubenter amplectimur, *Cienfuegoſiano* ſyſtemate, divinarum perfectionum aliquæ vi ſuæmet *formaliſſimæ* entitatis neceſſario exigunt, ut ſecluſa quacunque poſitiva additione, omnique alia id genus formalitate *virtualiter* aut mentis operatione ſuperaddita, *duplicem eſſendi* habeant *modum*, abſolutum videlicet & reſpectivum. Hujus generis in Deo ſunt *intellectus* & *voluntas*, *intellectio volitio*que quæ & abſolutæ eſſe debent ex ſumma earum *eſſendi neceſſitate*; divinæ enim ſunt; & relativæ etiam ex intrinſeca *fæcunditate*, quum vel principia ſint quidem operationum vitalium, vel ipſæmet vitales operationes.

60 Quæ quidem ſane quatuor Dei prædicata dum ad naturam divinam ſecundum *eſſe* abſolutum; jam ad illius ob reſpectivum aliud perſonas ſpectant. Hinc Pater æternus in ſuo formali *Intellectus* eſt qua divinam producens intellectionem, & Filius ipſamet *Intellectio* ut producta; Spirator autem ipſa *Voluntas* qua producens volitionem ſuam,

& Spi-

Digitized by Google

& Spiritus Sanctus iſthæc quidem *Volitio* ut dimanans. Quam ſane acutiſſimam ſuam opinionem *Eminentiſſimus* doctiſſimuſque Autor apertis ſcripturarum locutionibus, Conciliorum & Patrum, potiſſimumque Auguſtini, firmat fulcitque; ejuſque ſemel admiſſo ſyſtemate erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.

61 Quum autem exinde Verbum ipſa ſit *Sapientia genita*, qua Pater eſt Sapiens; ſitq. formale illius conſtitutivum prædicatum jam unum ex abſolutis eſſentialibuſque divinæ Patris naturæ; conſequens eſt ut unam prorſus eandemque Pater & Filius naturam & eſſentiam habeant. Anathema interim *Ario*, qui Dei Verbum creaturam ejus effutiit, non *homouſion* illi. Plures hic ejuſque gregales fidei ſeu perfidiæ formulas conſtruxere univerſim orcum ſpirantes: quaſdam autem ambiguas licet, ſuſpectas tamen refutandaſque, quippe quæ infectas radices habent.

62 Ante-Nicæni Patres, pro ſua ab Arianis impietate allegati, religioſe vindicantur. Neque in illam prolapſus eſſe *Papa Liberius* facile credendus eſt: cui enim ipſe, exilii tandem victus tædio, Arianorum formulæ ſubſcripſit, hæc Filium Dei creaturam non aſtruebat, ſed duntaxat Patri ſuo *miniſtrantem*, ab orthodoxis olim etiam Patribus uſurpatam vocem. *Prima Sirmienſis* hæc fuit, quam, ſecluſo ad autores reſpectu, catholicam in ſe ſpectatam voluit Divus Hilarius, qui latine illam reddidit. *Ariminenſes* etiam Patres *ſecundæ Sirmienſi* Semi-Arianæ formulæ incaute manum admoventes, a nota tamen hæreſeos immunes ſunt; tametſi quod a voce *homouſion* œconomiæ cauſſa abſtinuerint, quadantenus deliquerunt. Ea tandem Crucifixi Domini *ad Petrum* Alexandrinum Epiſcopum *apparitio*, ne Arius in communionem cum Eccleſia reciperetur, apocryphis eſt accenſenda.

63 Pari atque Filius jure ſupremus Spiritus divinitatem cum Patre habet eandem: *Amor* ipſus *ſpiratus* eſt, quo Pater & Filius ſe invicem proſequuntur, unum ex eſſentialibus Dei jam prædicatis, quod vi proceſſionis ſtatum etiam alium habet *reſpectivum*, perſonamque inde conſtituit. Diris interim devovendus eſt *Macedonius* Spiritum Sanctum creaturis impius accenſens. Recoctam hic crambem appoſuiſſe creditur, quam prius Arius decoxerat. Qui enim in Verbum Dei ſemel invehi potuit; & in ejus etiam Amorem debuit: neque ſane increato amore amat, qui verbo creato loquitur. Verum nulla quoad hoc de Ario in Conciliis mentio; tota de Macedonio, ut præcipuo ſaltim propagatore habita eſt. Ab impii hujus olim ſectatoribus male per heterodoxos intruſum *S. Baſilium Cæſarienſem* ſecernimus.

64 Quanquam autem a Patre procedit Filius, a Patre Spiritus Sanctus, inque eandem naturam ambo procedunt; eſt tamen inter utraſque

Digitized by Google

utraſque has proceſſiones latum diſcrimen, ita ut Filius *generari* dicatur, neutiquam vero Spiritus Sanctus. Grave id olim Patres negotium agere coëgit. *Quid inter naſci & procedere interſit* (inquiebat Auguſtinus lib. 3. contra Maximin. c. 14.) *explicare quis poteſt?* Tantum vero heic illicque dixerunt, ut non modico inde fuerint lumini ſuccedentibus ſibi Doctoribus orthodoxis. Ab *ultimis* plerique particulis queis generationis definitio abſolvitur, rem petunt; quod nimirum ex vi *formalis* proceſſionis ſolum Verbum procedat *in ſimilitudinem naturæ* cum Patre, non Spiritus Sanctus: alii ad *medias* recurrunt, ſicque illud, non iſtum *a principio conjuncto* putant proceſſiſſe. Nos vero obſequentes noſtratibus, *Paſqualigo* juxta ac *Fardellæ*, ſubjunctæque ab iis rationi, a *primis* definitionis particulis duntaxat rem arceſſere cogitavimus; quod nempe ſolus Filius procedit *ut vivens a vivente*, uti ad *veram* generationem eſt neceſſarium. Solus quippe Filius vivens eſt *notionale* a vivente *notionali*, ſolumque penes notiones haberi poteſt in divinis generatio.

De actionibus Dei ad extra.

65 NOn caſu aliquo vario, ſed manu ſupremi Artificis, ſapientis, optimi, omnipotentis tota hæc quam videmus, conſtructa fuit rerum univerſitas. *Abyſſum*, ſeu vaſtiſſimam indigeſtamque aquarum congeriem, primum produxit, ex qua paullatim omnia formata ſunt: *Cæli quidem & terra erant prius de aqua & per aquam*. Sex *veros* dies noſtriſque reſpondentes in tota mundi machina ejuſque ornamento divinus Opifex impendit; eo tamen pacto atque modo, qui excelſam Numinis majeſtatem non dedeceret. Talem nimirum primis mundi elementis indidit motum, ut paullatim intra ſex dies ſeſe explicantibus, & cognatis mox ſimul juxta motus naturam, diverſimode ea mundum formatum conſtituerent.

66 Interim Auguſtinus ab obtrectatoribus vindicatur: nullum in re literaria commiſiſſe delictum, quod veros eos dies creationis *myſticos* reputaverit; quod *antipodas* negaverit. Ejus tamen his in rebus rationes aliorum Patrum doctrinis experientiæque magiſtræ luminibus enodantur.

67 Maximum rerum in orbe geſtarum ſtudio adferre adjumentum, *Epocharum*, *Ærarum*, *Periodi*que *Julianæ*, temporum diviſionum, ſacræque Chronologiæ notitiam adſeveramus. Patriarcharum *antiquorum* omniumque in ſcripturis commemoratorum *annos*, ſive antea ſive poſt diluvium degentium, præſentibus his noſtris fere æquales rectius opinamur.

68 Cir-

Digitized by Google

68 Circa temporum conſummationem revelabitur homo peccati & perditionis alumnus. Is ab uſurpata falſo Chriſti Domini Servatoris nomenclatura, *Anti-Chriſtus* dicetur. Nomen ejus 666. numerum conflabit; qui tamen a quo petendus ſit, vel a primævo quod adſumet, nomine, vel ab alio ob aliquod ipſi facinus aſcito, omnino incertum. Judæus erit de ſtirpe ac Tribu *Dan* proficiſcens, unicus ſingularisque homo.

69 Cum riſu prorſus exceptum accedimus Novatorum ineptias, qui Luthero prodromo Anti-Chriſtum jam veniſſe dixerunt, huncque *Romanum* eſſe *Pontificem* ſomniavere; ſeu Romanorum Præſulum Regnum ac ſeriem poſt Gregorium Magnum deductam. Ex quo Apocalypſim, epiſtolas Paulli ac Danielis Prophetias quoad perſonam Anti-Chriſti Papæ applicantes maxime torquent, ne ab iis torqueantur.

70 Sed a fine ad mundi initium revertamur. Sexta die creatus homo divinam in ſe præferre *imaginem* obtinuit. Ea autem in eo eſſe ſita videtur, tum quod quemadmodum omnia propter ſe ipſum operatus eſt Deus, ita & propter hominem omnia condiderit; tum forte rectius quod ſicuti Pater a *nullo* eſt factus, Filius ex Patre *ſolo*, Spiritus Sanctus a Patre & Filio, ita & Adam a nullo homine proceſſerit, Eva ex Adam ſolo, filii denique progignendi ab Adam & Eva. Qui quidem creandi modus fuit homini ſingularis, quo pacto debere eſſe in ſcripturis late indicatur.

71 Ut autem a quo factus fuerat, obedientia Autorem homo cognoſceret; translato ipſi amœniſſimum in Paradiſum conſtituta in hujus medio *arbor fuit*, de qua ſub mortis pœna decerpere comeſtionis cauſſa fructum haud liceret. Cujus generis hæc fuerit, quum ſilentio Moyſes obvolverit, loqui nobis non expediet: quidquid dixerimus, divinabimus. Ex eo autem quod dixit, in *medio* Paradiſi conſtitiſſe lignum *vitæ* lignumque *ſcientiæ* boni & mali, aliiſque ſeſe adjungentibus animadverſionibus, arbitrari libuit, arborem ſcientiæ & vitæ *unam in re* fuiſſe, licet *virtute duplicem*: ſi ab ea, ad præfinitum uſque tempus a Patre, abſtinuiſſet Adam, arbor vitæ ei fuiſſet, ſi tum vero acceſſiſſet ad eam; arbor mortis: poſtque autem certum tempus arbor perpetuo vitæ. Non abſtinuit; una cum uxore peccavit; ſed facta pœnitentia ambo ſalvi contra *Tatianum* creduntur.

72 Paradiſum in quo ad ſummum octo dies vixit, *etiamnum durare* Patrum autoritas conteſtatur: inibi veriſimilius rectiuſque ſtatuuntur *Henoch* & *Elias*, qui de fructu vitæ veſcantur; redituri in mundum extremis hujus diebus. In illorum conſortium qui intrudere volunt *Johannem Evangeliſtam*, fruſtra conantur; is enim vere fuit mortuus, cujus olim reliquiæ Epheſi in ſui Epiſcopatus Eccleſia honorabantur.

73 Ri-

Digitized by Google

73 Riſum movet *Præadamitarum* novum commentum, quo ante Adamum alios quoque a quibus iſtum progenerat, nonnemo homines inducit. Certe cuſtoditurus Paradiſum voluptatis in hunc Adam introducitur, quod homo non eſſet, qui *operaretur terram*. Nihil interim quidam Paulli textus Novatorem eum juvat.

74 Ultra homines dari Angelos, fides docet, teſtatur Patrum autoritas, ratio naturalis ſuadet. Ante mundum non extitiſſe, fere certum: ante Adæ lapſum creatos fuiſſe, certiſſimum: præciſum talis creationis tempus, incertum: contigiſſe autem ſexta die *poſt hominis creationem*, valde probabile. Quem enim mota a Deo natura *perfecti ad perfectius* ordinem ſemper ſervat, & Deum moventem ſervaſſe veriſimilius eſt. Et multo magis, quod in creaturis viſibilibus hanc ſibi ipſe conſtituiſſe methodum eſt deprehenſus. Unde inquit Greg. Nyſſenus in Hominis Opificio cap. 8. ſub finem: *Icirco poſt plantas & pecora homo demum conditus eſt: natura ordine ad creatum plane perfectum progrediente*. Nobiliores inde Angeli poſt hominem paullo minus ab eis minoratum, recto ordine inducuntur effecti.

75 Quapropter ſimpliciſſimas eſſe ſubſtantias, corporeaq. labe *immunes* illos oſtendimus, autoritate præſertim *Generalis* Concilii in cap. *Firmiter*. Per quod tamen antiquis Patribus aliter rem intelligentibus ſeu oppoſitæ eorum ſententiæ nullam fuiſſe notam inuſtam nonnemo opinatur.

76 Locutio per quam ſecreta manifeſtant, ſpirituales Angeli quum ſint, occultiſſima nobis videtur: linguam enim in Patria, quam non novimus, audiemus. Requirens autem ad id officii ordinationem liberam conceptuum ab ipſis loquentibus Angelis habitam, non inepte loqui credendus eſt.

77 Lapſus Luciferi & aliorum Angelorum in peccatum *lapſus linguæ* fuit; acuerunt enim contra Deum linguas ſuas ſicut ſerpentis, eo quod ipſis notitiam *ſecretorum* humani cordis, & futurorum contingentium humanæ libertatis non conceſſerit.

78 Pœna Dæmonum pene ineffabilis; torquet eos ignis, ſed quomodo, torquet ingenia; ſunt qui putant difficultatem ſolvere, eos ad ignem alligando, qui exprimere per qualitatem in ipſis ab igne impreſſam; & qui falſam Dæmonum apprehenſionem, veram putant illorum pœnam. Melius ergo ſentimus, dicendo dictam pœnam oriri ex eo quod per *unionem hypoſtaticam* Diabolus factus ſit ignis, & ignis Diabolus.

79 Multiplex inde oritur in Dæmonibus pœna, ac illa præſertim quæ magis in eo quæritur, atrociſſima *combuſtionis* tortura. Quemadmodum nempe anima æque ſpiritualis unita corpori in unum compoſitum, dolores materiales exinde ſentit; ita & ſpiritalis Dæmon in unum

unitus

Digitized by Google

unitus igni ſuppoſitum. Unio enim ſuppoſitalis eſt adinſtar alterius ſubſtantialis, ſi Athanaſio fides, qui ſic in Symbolo: *SICUT anima rationalis & caro unus eſt homo*, *ITA Deus & homo unus eſt Chriſtus*.

80 Sed quum in amiſſas a Dæmonibus cæli ſedes elatiores exinde impleturi ruinas homines avocentur; maxima in eos ardere cœperunt invidia, continuaque ad malum ſuggeſtione & cælo & Deo furari conantur. Verum hominum piiſſimus Pater curam ſuſcipiens, miſſis *tutelaribus Angelis* qui nec dimittant eos quum peccaverint, unicuique proprium aſcivit. Quod quanquam Hæretici novatores, Calvino prodomo, valde ſtudent inficiari; id ſemper & Patres & univerſa tenuit Eccleſia, quin & ſub *Geniorum* nomine etiam Ethnici tenuere. Illis nos tandem obſequium noſtrum proteſtantes, in omnibus adfuturos nobis ſperamus.

EXPLICIT.

Addenda quædam quæ hinc inde exciderunt.

P*Aragr.*48. lin.ult. poſt vocem, Traditionemque. *adde:* Quare THOMASIUS (a) iis Divi Baſilii verbis, *quidquid extra ſcripturam eſt, ex fide non eſt*: hæc ſubdidit: *Hoc ita dictum eſt a Magno Baſilio, quemadmodum dixit Apoſtolus* (Act. 26. 22.) nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti ſunt & Moyſes; *vel ſpeciatim vel generatim.* (b) *Sic Scriptura divinas ſine ſcripto Traditiones teſtatur ac præcipit, ut S. ipſe Baſilius teſtatur in lib. de Spir. S. hiſce verbis*: Arbitror Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis Traditionibus inhærere: *Laudo*, inquit, (c) *vos quod omnia mea meminiſtis & quemadmodum tradidi vobis, Traditiones tenetis*; *& illud: Tenete Traditiones* &c.

Paragr. 143. lin. ult. poſt vocem ſequuntur, *adde*: Quod autem in uno vel altero ex antiquis Martyrologiis videatur ad diem 29. Julii appoſitus *S. Felix Secundus*, ex eo id ſuboriri potuit, quod *duos* inter illos Martyres *Felicem* & *Secundum* non ſatis pro captu legentium initio fuerit diſtinctum. Enim vero Incomparabilis vir ex noſtratibus Ven. *Carolus* de *Thomaſiis*, (d) hujus Operis Mæcenatis Patruus, duos ab Eccleſia veneratos olim ea die Martyres ſub voce Felicis Secundi, recenſet in libro cui fecit nomen; *Annus Boneventuræ*. Sic nempe tum inibi; *SS. Felicis & Secundi MM.* Qui quidem, facile a poſterioribus in numerum mutato nomine, occaſionem inter alia errori parere potuerunt.

Paragr. 149. lin. 2. poſt vocem, hoſce homines: *adde*; neque enim ex ſe unquam proſcribi falſitas potuit, ut quoſdam non infecerit, dimoveri, ut non traxerit. Suſpenſum iccirco & ancipitem ne non &c.

Paragr. 671. lin. ult. poſt vocem, refragabuntur; *adde*: Placuit autem *aliam* quoque adaperire *viam*, divinamque in homine *imaginem* in eo etiam conſtituere; ut quemadmodum *eminenter* Deus *omnis* eſt *creatura*, nihilque eſt extra ipſum, quod in ipſo non ſit; ita & omnis creatura quoque ſit homo, omniumque a ſe aliorum aliquid in ſe inter creaturas *ſolus* poſſideat. Commune ſiquidem cum *lapidibus* eſſe habet, vivere cum *arboribus*, ſentire cum *animalibus*, intelligere cum *Angelis*.

Paragr. 692. lin. 24. poſt vocem, exhiberent: *adde*; Id quod etiam exiſtimaſſe videtur Clemens Alexandrinus, ubi numeri ſeptenarii dotes explicans, inter alia ſic ait: (e) *Septem quidem ſunt, quorum eſt maxima potentia*, *PRIMOGENITI Angelorum PRINCIPES.* In idem mox &c.

(a) Tom. 2. Theol. PP. ad num. XXI. moral. S. Baſil.

(b) *Nimirum ſcriptura in genere dicit*; *quidquid per* Traditionē *recepimus, tenendum eſſe.*

(c) 1. Cor. c. 11. juxta textum græcum.

(d) De quo quidquam infra num. 665.

(e) Lib. 6. Stromat. pag. 493. *editionis Heinſ.*

MEN-

Digitized by Google

MENDORUM EMENDATIO.

Quemadmodum *currentem* calamum major cultura, ſic & prælum *feſtinans* accuratio major præteriit. Ea propter non vereor quin permulta typographica ſphalmata, ac duræ quædam formæ dicendi irrepſerint. *Nihili vero faciens eorum de noſtræ dictionis tenuitate & humilitate ſubſannationes, paucis ſcripſi quæ tuæ religioſitati* humane lector nunc ſiſto: *plurimum te hortans, ut in iſtis legendis quædam emendes, & ubi imbecillior eſt dictio, veniam dones,* (Athanaſ. epiſt. ad Serapion.)

Folio 46. Concil. x. *lege*, Epiſcopi & PP. fere 1000. *Fol. 48. Conc.* III. *lege*, Johan. XXIII. *Par. 94. 12.* ſiqua (*& ſic alibi aliquoties, melius quam, ſi quæ*) 313. 7. ſubis 314. 5. excuteres 445. *in marg. ad lit.* e; Qui nĕpe, Hieron. 466. 16. cum inde eſsĕt profecti *Paragr. 516. 10. lege*, ad contextus relatione (*& ita quandoq. alibi*, loco, rationem. ad) 688. 24. protoplaſtis, & 698. 13. protoplaſtum

Paragrapho 34. linea 15. lege, aliis tecum 44. 19. profano (*& ſic alibi etiam ſine*, ph) 47. 3. juviſſet 12. utrorunque (*& ſic alibi aliquoties, ubi conjunctio*, que, *præter intentionem excidit*) 48, 15. adſumere (*quæ litera*, d, *præter morem etiam alibi excidit*) 53. 8. præferri 55. 5. profectionem 65. 13. pro expell: 68. 19. illi aptam occaſionem 69. 2. *deeſt in margine citatio loci Divi Hieron. quæ ſic*: lib. 1. in epiſt. ad Galat. ad cap. 2. 70, 3. heic (*& ſic alibi adverbium iſtuc*) 74. 23. conteſtantibus 81. 18. qua fruſtra 20. quod valde 88, 3. qui præfectum regendis 96. 16. conformarentur 97. 16. Antiſtites utriſq. 98. 17. Hieroſolymis præſtita 102. 7. internecione 106. 9. promtu (*uti & alibi*, p, *litera præter morem irrepſit*) 107. 3. Juxta quod æque 126. 15. vero 127. 19. ſuomet 132. 6. cum aliis 137. 21. quanquam ſchiſm; 144. 18. ſtultioribus 145. 2. puellari 147. 13. nihil cum 152. 1. ſibi, ſecus ac Hieron. 158. 7. luituris pœnam, a nobis adhær. 14. detrectes 161. 3. objectent 189. 4. ſolita 191. 8. a famulis 196. 15. debere 201. 9. opprobrii ſcopum 202. 10. ſi ſe invicem comp: 228. 2. jeciſſet 237. 8. ut non ſit Deus 242. 1. Areopagites 248. 14. quei (*ſic & alibi adverb. iſtud*) 253. 9. Papiæ fuiſſe aſtipul. 270. 2. quatenus ſua 278. 4. eos divinam 284. 11. niſi actuale 313. 11. propius 327. 6. fluitatura 334. 3. applicentur 345. 1. hujus tractatui loci 348. 4. Emanuele 354. 2. tetendiſſe 365. 2. inter unam ſit 405. 6. quidem ſunt 414. 3. non parum tamen 415. 3. ſuppetiæ 417. 2. propius 432. 11. ſceleſtioribus 433. 8. ſimpliciter obfuerit conceptis 11. quos hic ſacram: 434. 17. per eventum probatam 436. 10. ipſiuſq. 460. 7. redeat 471. 13. reus 536. 5. *in margine ad lit. f. addatur*: de qua epiſt. Theodoritus lib. 4. hiſt. Eccl. c. 3. 567. 14. non intueretur 585. 19. oſtendere 603. 3. perpeſſam ceteroquin eruditorum contemtum, decept: 629. 24. quæ ceteroquin 643. 3. Ab alio prius 668. 15. artubus 676. 18. paſſim latamque tent. 680. 7. demandata 704. 9. utriuſq. 732. 7. *in ratiocinio Fardellæ legitur* exigiti *pro* exacti, *ſicut & ibidem* 773. 15. præmiare *pro* præmiis donare, *e ſcholarum licentia impune derivatæ voces*. fol. XXX. num. 58. lin. 9. omnium Sacramentorum Codice, XXXIV. 79. 2. in eis (*ut in aliquot exemplaribus.*)

Leviora alia atque animadverſu facilia quæque oculos ipſorum noſtros declinarunt, humaniſſimus Lector ex ſe corriget; parcetque interim nonnullis diſtincto plerunque charactere exaratis, barbaris vocibus dicendique modis, quæ paſſim de *ſchola* venerunt, cui potiſſimum inſerviunt, tum aliqua *Patrum* uſu *Bibliorum*que jam ſacra ſunt. Timeo tamen fore ut nonnullis *iccirco* latinæ minus videantur loquendi rationes voceſque nonnullæ, quod eas in *ſuis* quibus utantur, Lexicographis Grammaticiſve minime inveniant: inveniuntur autem in non infimi ſubſellii aliis quos arceſſivimus. Adeat ergo omnes & conſulat, qui unum conſulto invadere velit,

ENDATIO.

or cultura, ſe ſupra lum feſtinan non vereor quin permulta typo- ſormæ dicendi irrepſerint. Nihili ſ tecuitate & humilitate ſubſannan- ac lector nunc ſibi: primum te r ubi imbecillior eſt ſtilo, veniam

profano (& ſic alibi etiam ſcrip), ries, ubi conjunctio, que, præter in- d, præter morem etiam alibi expi- 13. pro expelli 88. 19. illi ipſum vi Hieron. quæ ſic lib. 1. in epiſt. ad ium ibve) 74. 23. conteſtantibu præfectum cegrotis 96. 16. cro- erololymis præſita 102. 7. inte- præter morem irrepſit) 107. 3. ſum . 6. cum aliis 137. 21. quarqua 147. 13. nihil cum 152. 1. ſibi, adhær. 14. detrectes 161. 20. 5. debere 201. 9. opprobriſa- 237. 8. ut non ſit Deus 252. ſud) 253. 9. Papiæ ſuiſſe aſspl. r. niſi actuale 313. 11. propi tractatui loci 348. 4. Emanati ſlem ſunt 414. 3. non parun ſcelchuoribus 433. 8. ſupplici- 34. 17. per eventum probatan 36. 5. in margine ad lit. f. adde- c. 3. 567. 14. non interretur ruditorum contemtum, decere 63. 15. artubus 676. 28. poſſi 732. 7. in ratiociniis Fordiis præmiare pro præmiis dare, r. num. 58. lin. 9. omnium in aliquot exemplaribus)

ipſorum noſtros declinarunt, um nonnullis dictio plerun- e modis, quæ paſſim de ſcho- Patrum uſu Bibliorumque jam minus videantur loquendi as utuntur, Lexicographis n in non infimi ſubſelli alii i unum conſulto invadere.

Digitized by Google